FRXVIII/94

CB 1000792784

THEORICA
ARTIS NOTARIÆ,

QUAM

VINCENTIUS GIBERT
Notarius Publicus de Numero
Barcinonæ

OFFERT

PUBLICÆ UTILITATI.

Typis FRANCISCI GENERAS.
Anno 1772.
SUPERIORUM PERMISSU.

THEORICA

ARTIS NOTARIÆ,

QUAM

VINCENTIUS GIBERT

Notarius Publicus de Numero

Barcinonæ

OFFERT

PUBLICÆ UTILITATI.

Typis FRANCISCI GENERAS.

Anno 1772.

SUPERIORUM PERMISSU.

PERILLUSTRI

D. D. FRANCISCO

DE TREVIÑO, ET DAVILA,

Domino Populationum, & Territorii de Sancho-Rey, Benavente, Siruela, ac Peralbillo, Honorumque Capichilatro, & Tarba, Patrono de la Olíba, à Consilio R. M., & in Regia Audientia Principatus Cathaloniæ Senatori integerrimo, Judici Conservatori Regii Montis Pietatis præsentis Civitatis Barcinonensis,

&c. &c.

PERILLUSTRI DOMINO

F. P.

VINCENTIUS GIBERT.

QUI vigilias aliquas suas publici juris facere decreverunt, eas Perillustri alicui Viro sapientia, & nobilitate conspicuo inscribere solent, à cujus nomine

pretium

pretium accipiant, & operi dignitatem, honoremque concilient. Quod ego librum huncce prælo commissurus minimè prætereundum putavi; eoque libentius id præstiti, quo mihi de Patrono diligendo cogitanti, Tu illicò in mentem venisti, de quo dubitare non poteram, quin pro ea, qua me semper gratia, & munificentia honorasti, facilè pateréris, ut sub Nomine, & Patrocinio tuo elucubratio hæc mea maxima cum dignitate adpareret. Si Nobilitatem spectem, quis est, qui nesciat, Te ex nobilissima, & vetustissima stirpe Trevinica ortum ducere, & avitam nobilitatem egregiis factis illustrasse? Libenter ego hìc in generis tui laudes excurrerem, nisi alia, quæ magis sunt tua ad se quodammodo hanc raperent orationem. Præclarissimas, dico, sapientiæ dotes, ad quam, cum Te optimis, & ingenii viribus, & præsidiis natura parasset, addidisti ab ineunte ætate studium, amoremque incredibilem, quo per omnes eas artes excurrens, quibus Viri nobiles, & ad humanitatem, & ad capescenda publica munia informantur, efeciſti, ut non solum excellas egregiè, sed etiam cæteros ad Te trahas admiratione virtutis, & dexteritatis tuæ. Quam politiores litteræ tribuunt dulcem, facilemque in dicendo suavitatem, & gratiam: Quæ Philosophia suppeditat præcepta vivendi: Quas docet eadem naturas rerum pervestigandi, inveniendique vias: Quas continet Jus utrumque regulas suum cuique tribuendi, decidendique quæstiones, quæ de jure, sive publico, sive privato

in-

incidunt; Totam demum, quantam his rebus adferre lucem solet Historia, & studio quæsivisti, & feliciter comparasti. Et quamquam hoc Tibi glorioſum; illud verò laudabilius, & glorioſus, quod non ea rerum, & doctrinarum tam opulenta comparatione contentus, in tuos tantum, ſed etiam in aliorum uſus converteris. Solent ſæpè qui hoc litterarum amore ducuntur, in earum contemplatione gaudere, & ſiſtere, quin ullam doctrinarum tanto labore adquisitarum partem, vel ad publica munera, vel ad aliorum utilitatem accommodent: Quod ut facilius eſt; ita etiam haberi debet minus glorioſum. At Tu ne ulla deeſset in hac parte laudatio, ſemper, & in contemplandis veris harum rerum fontibus, & in aplicandis ad cauſas decidendas, & ad negotia publica adminiſtranda verſatus es. His permotus rebus Catholicus Rex noſter (quem Deus diu ſoſpitem ſervet) æquiſimus meritorum æſtimator, præter alios Tibi demandatos honores, Te primùm in Fiſci Patronum Regium, deinde Cathaloniæ Senatorem cooptavit; in quo quanta integritate, ſedulitate, & religione Judicis munia exercueris, quantumque non modò Provinciæ, ſed Regni univerſi commodis inſervieris, notius eſt, quam ut opus ſit à me prædicari. Illud verò tacitus præterire non poſsum Barcinonenſium animos obſtrictos tibi perpetuo fore, tum ob innumerabilia in eos collata beneficia, tum præcipuè, quod ſumma annonæ caritas, paucis ab hinc annis experta, conſiliis, & diligentia tua fuerit

penitus exterminata, quo quidem illustriori facto magnum primum à superis, tum à clarissimis urbis incolis, victus inopia laborantibus gratiam iniisti. Quæ cum ita sint, quis jam miretur, me unum ex Barcinonensibus in grati animi monumentum, labores hosce meos, clarissimo Nomini tuo inscriptos voluisse? Sed est & alia causa, ob quam merito Tibi dedicem hujusmodi opusculum: Nam cum volueris in multis quas administrasti Reipublicæ nostræ partibus me Tibi adesse præsto, perpetuoque, & excipere tanquam Notarium, quæ reddebas jura, vel jussa mandabas; ingratus essem, si non publicè profiterer, quod in arte valeo (valeo quamquam parum), hoc totum, & Te docente, & jura reddente proffecisse: Quod cum negare nec debeam, nec possim; jure suo res ipsa postulabat, ut ad eum accederet, à quo tanquam à fonte suo proficiscitur. Accedit (alia ut multa prætream accepta beneficia, quibus me sæpius immerentem cumulasti) illud, quod semper præcipuo in honore collocabo, me à Te delectum fuisse qui adessem, & exciperem instrumenta nuptialia, quæ nuper iniisti cum, non minus forma, quam sanguine nobilissima, & prudentissima virgine D. D. Maria Joanna de Gregorio, & de Paternò, filia Ex.mi D.ni Marchionis de Vallesantoro, Viri, & bellica laude, & nobilitate generis apprime conspicui, quem nunc admoventem munus hujusce Civitatis governationi omnis Civitas plena spe, & gaudio intuetur. Hæc ego nomina cum commemo-

ro, ſcio, quam pulchra, & Tibi perjucunda futura ſit hujuſce rei, & beneficii à me accepti recordatio; nec dubito, quin facta hìc à me ejuſce conjunctionis memoria, novum operis meæ dedicationi pretium conciliet, à Te, Perill. Dom. benigno vultu accipiatur. Ita precor, & D. O. M. enixe rogo, ut Te diu ſoſpitem ſervet, & tua fortunet. Barcinone die 20. Aprilis 1772.

AD LECTOREM.

MOS est, nec sine ratione inter scriptores usitatus, ut perbrevi oratione lectoribus alloquantur, qua de rationibus, quibus permoti sint ad scribendum; ac de his, quæ vel difficultatem, vel admirationem in decursu operis ingerere posunt eos edoceant; ut sic admoniti è limine ad interiora quasi manu ducantur. Hoc, præ aliis, sibi exposcere videtur præsens opus, quod propter continuam Legum, Canonum, Constitutionum, Pragmaticarum, Edictorumque laudationem (quæ et frequens et necessaria fuit) forsan exposcere tibi videbitur Auctorem citius Jurisperitum, quam Notarium, qualem me recognoscis, et credis. Fateor hæc omnia primo adspectu difficultatem, et admirationem excitare posse non levem: Verumtamen si causas, quæ me, ut ita facerem tandem impulére candidè perspexeris, nihil non consultò factum invenies; nihil admiratione dignum; nihil denique nisi in tuam utilitatem factum esse recognosces.

Videbam primò, et summè dolebam, Arti Notariæ studentes necessitate ductos uti quodam manuscripto (quod vulgo Theoricam appellamus) innumeris plenum erroribus, nedum in latino idiomate, verum etiam in his, quæ pertinent ad regulas, et præcepta quibus constare ars nostra debet; eoque fiebat, ut qui magis intenti erant ad huiusce facultatis studium maiores memoriæ suæ traderent vel errores, vel inversa principia, vel etiam erroribus conspersas sententias. Quod cum viderem in perniciem, et contemptum nostræ Artis cedere; volens tanto malo illico occurrere, improbum, ac molestissimum (ingenuè fateor) adhibui laborem, ut pro utilitate publica typis darem hanc meam Theoricam sin minus non tam ob regulas artis, ordinemque commendandam; at certe à pluribus mendis expurgatam, et altera, quæ manuscripta circumfertur, et per manus omnium decurrens, quotidie nova vitia contrahit, diligentius correctam, et expurgatam.

Cerne-

Cernebam ſecundò, nec minus dolebam, duram ſtudentium conditionem, qui poſt 8 horarum ſpatium, quo quotidie detinentur, ut inſtruantur, in Magiſtrorum ſuorum officinis, alium ſibi laborem adhibebant, tranſcribentes manuſcriptam Theoricam, quo ſane eveniebat, ut nec ferè particula diei miſeris juvenibus, nedum ad privatum Theoricæ ſtudium, verum etiam ad honeſtam animi recreationem ſupereſſet. Quod quis non videt hoc noſtro opere totum in melius commutatum iri?

Videbam tertiò, in Theoricis manuſcriptis introductam varietatem, et diſſimilitudinem intollerabilem, ut nec duæ inter ſe pares, et ſimiles invenirentur, et hoc quidem neceſsitate quâdam evenire dolebam propter puerorum, et deſcribentium, vel imperitiam, vel negligentiam: quorum alii ſuperflua immiſcebant; alii neceſsaria ommitebant. Quâ de causâ in infelicem adeo ſtatum venerat manuſcripta Theorica, ut mihi potius pernicioſa, quam utilis nunc temporis videretur.

Animadvertebam quartò, in manuſcripta Theorica nullam, aut si aliquam pertenuem, nec accuratam dari notitiam juris noſtri municipalis, quæ cuilibet Notario ad Artis noſtræ perfectam notitiam, et opportuna eſt, et quandoque perneceſsaria.

Aſpiciebam tandem nullas rerum in Theorica manuſcripta contentarum adhiberi rationes, et ubi aliquæ adhibebantur adeo breviter et sine ulla derivatione à ſuo fonte redduntur, ut nec si ſepties (ne dicam infinito) perlegantur capi, aut intelligi poſsint. Ego vero ne corpus efformarem relicta anima, ne ſcientiæ ſpeciem potius quam ipſam ſcientiam in ſtudiosis aſsequerer, rationes omnes, quas efficatiores, et congruentiores adinvenire potui, appoſui, additâ confirmatione ex Legibus, Canonibus, Pragmaticis, Edictis, et Auctoribus noſtris celebrioribus in calcepaginar. adnotatis; ut sic tædium evitetur; et tamen fontes unde ducunt originem, omnibus aperiantur.

Hæ

AD LECTOREM.

Hæ ſunt rationes, benevole Lector, quibus conmotus hoc opus non ſine ingenti labore, ac multo ſudore componere, ac publici juris facere decrevi, certiſsimè perſuaſus te, qui plus ſcientia, eloquentia ac ſtilo vales facilè additurum quod deffuerit, correcturum quod deviet, quodque nimis rude dictum ſit expoliaturum.

Accipe L. B. has elucubrationes noſtras, quibus adjuvare conatus ſum ſtudioſorum noſtrorum labores, atque vigilias, quibusque excitare ſedulitatem cupio omnium, qui in hac arte noſtra verſantur, non tantum hic in Urbe; ſed etiam in toto Cathaloniæ tractu, queis omnibus (si votis noſtris ſpes non vanæ reſpondeant) nonnihil utilitatis allaturas eſse confido. Nunc quod à te exigam, nihil ſupereſt, niſi ut in manus benigne, ac frequenter opus recipias, illudque diuturna manu verſando (aucta Artis noſtræ peritia et Notariorum ſcientia, et æſtimatione) eficias, ut experimento comprobetur, quod opto, quodque tua, et cæterorum benevolentia, et aſsiduitate eventurum eſse ſpero, et deprecor. Vale.

APPARATUS,
SIVE PROLUSIONES
AD THEORICAM
ARTIS NOTARIÆ.

NE hospite insalutato, et illotis (ut aiunt) manibus ad convivium accedere videamur, nonnulla hic in principio oportet prænotare, quæ generalia sunt; et insuper necessaria, non solum pro pleniori intelligentia Artis Notariæ, cujus præcepta, et regulas postea trademus; sed etiam pro perfecta noticia Officii, Auctoritatis, Præstantiæ, et Dignitatis ipsius Notarii; quem efformare cupimus.

ARS noſtra Notariæ, ſicut, et aliæ omnes Artes, et Scientiæ, Theoricam, et Praxim complectitur. Illa in cognitione regularum conſistit. Iſta in earumdem exercitio, et debita applicatione verſatur.

Notariæ divisio in Theoricam et Praxim.

Theorica enim nihil aliud eſt, quam *Illuminatio intellectus, et cognitio veritatis*; nam qui Theoricam habet, intellectum habet illuſtratum regulis, et præceptis Artis, vel Scientiæ illius, quam profitetur.

Quid sit Theorica generaliter ſumpta.

Theorica Notariæ. Theorica nostra definitur : *Artis Notariæ scientia comprehendens naturas personarum, rerum, ac negotiorum, quæ ab hominibus licitè geruntur, et posteritati commendantur.*

Expositio. *Comprehendens naturas personarum*; scilicet, contrahentium, paciscentium, testantium, ac litigantium : *Rerum*, nempè, super quibus valet contrahi, paciſci, testari, et litigari ; *Negotiorum*, nimirum, contractuum, pactorum, ultimarum voluntatum, et judiciorum : *Quæ ab hominibus licitè geruntur, &c.* nam cognitum, exploratumque haberi debet, an istud, vel illud fieri possit juxta legum dispositiones: hocque in acta redigitur, vel ut quid servandum sit, constet ; vel ut quid actum sit, perpetuò innotescat.

Unde dicatur. Theorica à Græco venit, cui latinè *cognitio*, sive *contemplatio* respondet ; ex eaque, sive per eam ad artem redacta est nostra professio.

Praxis quid sit. Praxis verò definitur : *Exercitium, et actus huic fini, et rationi deserviens* ; Illa enim nihil aliud est, quam exprimere, seu in effectum deducere illud, quod homo theoricus intellectu concepit.

Quid Ars Notariæ. Ars Notariæ est : *Super legitimis hominum negotiis authenticè conscribendis rationabile documentum.*

Expositio. *Super legitimis hominum negotiis* ; videlicet, contractibus, pactis, ultimis voluntatibus, et judiciis: *Authenticè conscribendis* ; id est, per manum publici Notarii ; sic enim instrumentum redditur authenticum, et fidedignum : *Rationabile documentum* ; quia hæc Tabellionatus scientia est adinventa cum ratione, quæ docet ad artem spectantia, et legitima hominum negotia authenticè describere.

Notarius. Notarius est : *Persona privilegiata ad negotia hominum publicè, et authenticè conscribenda.*

Expositio. *Persona privilegiata* ; Notarius enim istud habet privilegium, quo alii non gaudent ; quia per totum orbem

orbem creditur, et plena fides adhibetur scripturis, et instrumentis publicis illius, et ab ipso Notario subscriptis, seu subsignatis: (*a*) *ad negotia*, nempe legitima, vera, et quæ obligationem inducunt, ut sunt contractus, et pacta, ultimæ voluntates, ac judicia: non autem vana, et frivola; ut si diceretur Tabellioni, quod scriberet, an canis latret, leo rugiat, bos mugiat, vel aliud simile: *hominum*, videlicet contrahentium, testantium, et litigantium: *publicè*; id est, publica aucthoritate, quæ reddit instrumentum publicum, et fidedignum: *authenticè*; nam tunc scriptura Notarii est authentica, et fidedigna, quando in ea publicationes, et solemnitates apponuntur: *conscribenda*; non autem memoriæ commendanda, nec mente tantum colligenda; memoria enim hominum labilis est, et ideo Notarius incontinenti instrumentum per ordinem, secundum voluntatem, et intentionem partium scribere debet.

Alia Notarii definitio.

Notarius item est: *Persona privilegiata, ad cujus fidem nunc plenarie recurritur ut scribat, et transcribat, et ad perpetuam memoriam reducat ea, quæ ab hominibus fiunt.*

Hujus definitionis verba satis clara sunt, consequenterque expositione non indigent, nisi quo ad illa verba: *Ad cujus fidem nunc plenarie recurritur*; quia olim Argentarii, et Campsores conficiebant instrumenta in rebus ad mensam suam, cambia, et commercia, eisque fides impendebatur; sed hodie vix in usu sunt; imó ad Notarii fidem recurritur.

Notarii Officium.

Officium Notarii est: *Dignitas, et Auctoritas ad legitimorum hominum negotiorum notam de publico introducta.*

Expositio.

Dignitas; istud enim Officium magnæ est dignitatis; quocirca ab ejus Officio infames repelluntur:

(*a*) Engel *ad tit. Decretal. de fide instrument. n.* 4.

Auctoritas; quia Notarius maximam habet auctoritatem; nam suis scripturis publicis plenissima per totum orbem fides adhibetur cum suo solito signo, et clausura: *Ad legitimorum hominum negotiorum*; nimirum, contractuum, pactorum, ultimarum voluntatum, et judiciorum; quæ tamen legitima, et secundum leges sint, super quibus Notariatus Officium extenditur: *Notam*; ideſt, ad posterorum perpetuam memoriam, et probationem plenissimam earum rerum, super quibus contrahitur, et paciscimur, testamur, ac litigatur, et non è contra: *De publico introducta*; hoc est, jure publico, et ad utilitatem publicam, et quidem jam à Romani Imperii tempore inventa; Officium enim istud ab Imperiali culmine suam traxit originem.

De Notariorum initio, munere, præstantia, officio, et quod inter officia, ac munera publica de jure recenseantur, Vid. *tit. Cod. de Tabulariis, Scribis, Logographis, et Censualibus lib.* 10. nonnulla etiam peti possunt *ex tit. Cod. de Numerariis, Actuariis, & Chartulariis lib.* 12.: adde Perez *ad dd. titulos Cod.*, qui multa eruditè de Romano, et Hispano Jure collegit: *et Novel.* 44.

Dignitas. Dignitas est: *Hominis honestas, qua ad id inducimur, ut ab aliis veneremur*; unde patet, Notarios in dignitate constitutos esse, atque inde viros honestos, vitæ laudabilis, et rectis moribus, atque scientia præditos existimari.

Auctoritas. Auctoritas est: *Scientia imitatione digna, quam homines consequuntur longo virtutis experimento.*

Notarii variis nominibus appellantur. Diversis nominibus vocatur Notarius; sed in effectu una semper, et eadem est definitio. Nuncupatur *Tabellio*, sive *Tabularius*, et *Tabellarius* à tabulis, quibus antiqui ad testamenta, et cautiones utebantur, superposita cera, et adhibito calamo,

sive

sive ſtylo ferreo ad litteras exarandas. (*a*) *Item* Scriniarius ; quippe ſcripta eorum olim reponebantur in ſcriniis , id eſt , in locis , ubi pretioſa , et ſecreta ſervantur. (*b*) *Item* Librarius , et Libellio ; sic enim appellabant antiqui eos , qui libros manu ſua deſcribebant. (*c*) *Item* Scriba à ſcribendo , vel notando , quod eſt , negotia hominum excipere , eaque in publicam, et authenticam formam redigere. (*d*) Fuerunt aliqui AA. , qui putarunt olim etiam Servos publicos hoc officium exercuiſse ; vel fuiſse Notarium Servum publicum; non quod verè ſervus eſset; ſed quia ejus officium ad publicam utilitatem inventum eſt , et sicuti ex ſervi ſtipulatione quæritur aliis , ita ex ſtipulatione Notarii , etiam abſentibus : Sed hæc opinio egregiè refutatur ab *Amaya in Codicem tit. de Decurion. ad leg.* 34. *Etiam* appellatur *Manus publica* (*f*) eadem certè ratione ; quia revera Notarius eſt manus omnium ; sicut enim manus reſpectu corporis , ita Notarius Civium negotia exercet : quapropter nuncupantur etiam *Servi conditionales* , quod hominum conditiones , et contractus faciant. (*g*)

Qui poſſunt eſse Notarii.

Notarii eſse poſsunt illi , quibus â lege, ſtatuto, vel conſuetudine expreſsè non eſt prohibitum : unde debet eſse liber , maſculus , ſanæ mentis , videns , loquens, et audiens , bonæ famæ , majorque olim viginti quatuor annorum , vigore Conſtitutionis Cathaloniæ ; (*h*) ſed hodie obſervatur , quod debeant habere

(*a*) *Gloſ.* 1. *in leg.* Orphanotrophos 32. *cod. de Epiſc. et Cler.* : §. Nihil 12. *Inſt. de teſtam.* ubi Vinn. *n.* 1. *extat in Cod.* Justin. *tit. de Tabulariis, Scribis, &c. lib.* 10. *Gloſ. in leg. pen. verb. Tabellarium, ff. de adq. rer. dom.* adde *cap.* 15. *de fid. inſtrum. et Novell.* 44.

(*b*) *Gloſ. in leg.* Scriniarios 16. *cod. de teſtam. milit.*

(*c*) *Leg.* Si Librarius 92. *et ibi Gloſ. ff de reg. jur.*

(*d*) *Gloſ.* 1. *in rubr. Cod. de Tabular. lib.* 10.

(*e*) §. Cum autem 3. *Inſt. de adop. et ibi Gloſ.*

(*f*) *Cap.* 2. *de fid. inſtrum. junct. Gloſ.*

(*g*) *Gloſ.* Conditionales *in leg.* 7. *Cod. de Jur. Fiſci lib.* 10.

(*h*) *Lib.* 4. *tit.* 13. *de Notaris, y Eſcrivanos, conſt.* 2.

re annos viginti quinque completos.

Qui neqneant.

Notarii verò esse nequeunt servus, femina, mentecaptus, furiosus, mutus, et surdus, cæcus, infamis, et falsarius, impubes, hæreticus, religiosus, sive professus, sive non, et alii, propter juris prohibitionem.

Servus enim de Jure Civili pro mortuo reputatur, et ab omni dignitate, et actu legitimo, ac publico arcétur. (*a*) *Femina*; cum officium Notariæ publicum sit, et virile, à quo feminæ repelluntur. (*b*) *Mentecaptus*; *et furiosus*, *mutus*, *surdus*, *et cæcus* (ob mentis, et sensuum defectum) negotia peragenda, ut opus est, percipere non possunt. *Infamis*, aut *falsarius*; nam ab omnibus dignitatibus retrahuntur. (*c*) *Impubes*; quia non potest jurare, nec habet perfectum animi judicium. (*d*) *Hæreticus*; quippè, nec ipse cum fidelibus, nec fideles cum ipso communicare possunt; intellige tamen de Hæreticis publicis, eoque nomine condemnatis. *Clericus professus*; quia qui Deo militat, non debet negotiis sæcularibus se immiscere; et licet olim posset ob commendationem publicam; nunc tamen à negotiis civilibus hac in parte arcetur; et ea facultas Presbiteris omnibus adempta est: Sed quamvis scripturas publicas conficere nequeant; verum Rectores, Parochi, et Curati in suis Parochiis, ubi non est copia Notarii, recipere possunt testamenta, et alias species vltimæ voluntatis, ob casus urgentiam. (*e*)

No-

(*a*) *Glos. in leg.* 1. §. Exigere 15. *ff. de Magistr. Conven. l.* 32. *ff. de reg. jur. leg.* 209. *eod. leg.* 3. *cod. de Tabulariis, &c. lib.* 10.
(*b*) *Leg.* 2. *ff. de reg. jur.*
(*c*) *Leg.* 87 *jur. in* 6 *Leg. un. cod. de infamibus lib.* 10.
(*d*) *Leg.* 2. §. 1. *ff. de reg. jur.*
(*e*) *Reg. edict.* Dom. Philip. V. *fel. mem. promul. ann.* 1737.

Notarius debet regulas, et artis ſuæ præcepta omnia recté obſervare, eaque percepta habere, si munere injuncto fungi cupit, et pœnas evadere. (*a*)

Notarius quid debeat obſervare.

Ut Notarius legitimè poſsit inſtrumentum conficere, requiritur; 1. *Facti commissio*; ideſt, quod sit rogatus: (*b*) 2. *Rei cognitio*; ſcilicet, intelligentia negotii: 3. *Juris permissio*; videlicet, quod inſtrumentum de permiſsis, et non à jure prohibitis, et illicitis, conficiat: 4. *Testium præsentia*, hoc eſt, quod teſtes sint præſentes.

Quæ requirantur ad inſtrumentum conficiendum.

Debet etiam Notarius ante inſtrumenti confectionem considerare: 1. *Ætates, et conditiones contrahentium*, utrum ſcilicet, ratione ætatis, patriæ poteſtatis, ſervitutis, ſexus, dementiæ, vel ſani, et integri intellectus, pragmaticarum, edictorum, ſtatutorum, conſuetudiniſque &c. firmiter contrahere poſsint, vel non: 2. *Qualitates, et quantitates rerum, in quibus se obligant, et quas distrahere volunt*, an ſcilicet, illæ res in commercium hominum venire, alienari, impignorari, gravari poſsint: 3. *Diversitates contractuum*; id eſt, ſpeciem, et naturam eorum, utrum contractus sit legitimus, fierique, et ſubsiſtere jure poſsit, et an prohibitus sit, illicitus, vel uſurarius: 4. *Beneficia, quibus renuntiant*, juxta qualitates Perſonarum, rerum, et contractuum: 5. *Teſtium numerum*, nempè duorum, aut trium quatuordecim annorum completorum in Cathalonia. (*c*)

Cavére autem debet, ne falſa, aut prohibita inſtrumenta conficiat; nam si ſciens, ſui officii præcepta tranſgreditur, graves pœnas incurrit, etiam mortis,

A quo cavendum.

(*a*) *Vide lib. 4. tit. 13. de Notaris, y Escrivans conſt. 2.*

(*b*) Engel. *ad tit. de fid. inſtrum. n. 7. Gloſ. verb. injungatur in Novel. 44. §.* Nos autem.

(*c*) *Lib. 3. tit. 15. de teſtimonis uſat. 3. et 4.*

tis, tanquàm falsarius, per judicis sententiam: Si verò ignorantia lapsus; tunc condemnatur, in quantum læsit partem, præeunte judicio, quia Notarii periculosam imperitiam delicto subjecit temeraria professio scientiæ; (*a*) et si prohibita, et illicita instrumenta recipit, nedum, quod lucratus est, restituere tenebitur, verum etiam puniri potest; scire enim debet id, quod disponunt leges, et jura (ne recipiat illicitos contractus) nec non cautelas in instrumento necessarias, eas scilicet, quæ ad Tabellionatus officium tantum pertinent.

Contractus prohibiti. Contractus prohibiti sunt omnes contractus usurarii, simoniaci, et qui contra bonos mores sunt; ut super homicidio, furto, adulterio, lenocinio, raptu virginum, viduarum, vel monialium, aut alio perpetrando delicto: *Item* Omnis contractus continens monopolium, ideſt, quod non liceat, nisi mihi v. g. certam rem vendere; aut rebus, seu mercibus certum prætium statuere, contra quod nemini liceat rem vendere; hoc enim à nemine privato licet fieri. (*b*) Et sic similiter contractus, qui interdum inter Mercatores fiunt super mercibus majori quodam pretio vendendis, et similibus; nam sunt contra publicam utilitatem: *Item* Illi qui contra canonicas, et legitimas sanctiones fiunt; ut super matrimonio mulieris virum habentis, vel è contra, vel matrimonio in gradu prohibito, aut matrimonio disolvendo, et sic de aliis: *Item* Omnis contractus, in quo dolus, fraus, metus, coactio, vel pactio illicita intercedit; nec non ille, in quo aliquis machinatur contra honorem, dignitatem, seu Regiam Magestatem

(*a*) *Leg.* 16. *ff. ad leg. Corn. de falsis*: *Leg.* 14. §. His Tabellionibus. 3. *cod. de Sacrof. Eccl.*

(*b*) *Leg. unic. cod. de Monopoliis, &c.*

tem, aut contra ſummum Pontiſicem, et alii contractus his ſimiles: *Item* Prohibentur Notarii inſtrumenta recipere in præjudicium donationis, vel hereditamenti tempore nuptiarum facti; ac illa inſtrumenta ſunt irrita, et nulla ipſo jure. (*a*)

Qui creare poſsint Notarios.

Notarios creare poſsunt Papa, Reges, Duces, Marchiones, Comites, omnesque illi poteſtatem ad id habentes, vel privilegium à ſuperioribus communicatum. (*b*)

Quid jurare debeat Notarius.

Poteſt ad jurandum cogi Notarius: 1. Quod Domino ſuo erit fidelis, omni ſimulatione, falsitate, et dolo remotis: 2. Quod rectè, et legaliter ſuum officium exercebit, omni amore, et odio poſtpositis: 3. Quod de his, quæ videbit, et audiet, ac requisitus fuerit, inſtrumentum conficiet: 4. Quod contractus, ultimas voluntates, et judiciorum acta penes eum celebrata in ſcriptis rediget, et leget; manualibus conſcribet, omnique cura cuſtodiet, nihil addendo, nec minuendo: 5. Quod ſecreta sibi injuncta ſervabit: 6. Quod inſtrumenta uſuraria, ac illicita, et à jure prohibita ullo modo non conficiet: *ac demum* rectè, et fideliter ſe geret in omnibus, quæ ad ſuam artem pertinebunt.

NOTA Officium Notarii circa viſum, et auditum tantummodo verſatur; Notarius enim plus ſcribere nequit, quam quod audit, et ſuis propriis oculis videt. (*c*)

NOTA. Notarius nequit mutare Signum, niſi obtenta à ſuperiore poteſtate; aliàs enim incurreret in pœnam falsi: niſi ratione alicujus officii, pro cujus regimine neceſse sit signo officii uti; quia tunc,

(*a*) *Lib. 5. tit. 2. de promeſa de dots. Conſtit.* Aforagitar fraus.
(*b*) Engel. *ad tit. de fid. inſtrum. n. 3.*
(*c*) *Conſtit.* Imp. Juſtin. *Novell. 44.*

non ut particularis Notarius, sed tamquam eo fungens munere, tali signo utitur. (*a*)

NOTA. Notarius in instrumentis, et scripturis penes eum conficiendis verbis planis, et claris uti debet; figuras, obscuritates, ambiguitates, ac verborum involucra fugiendo, et vitando; ita ut contractus, sive negotii veritas clarè, et apertè eluceat, ne incuria Notarii partes litigare cogantur.

NOTA. Notarius tenetur instrumenta omnia penes eum recepta in scriptis illicò redigere, annoque peracto, librum efformare, præcedente indice omnium contrahentium nomina continente, quem librum, vulgò *Manuale* appellamus; remotis protocollis, vulgò *Borradors* nuncupatis, in quibus antea contractus substantia notabatur, et postea, cum locus erat, extendebatur instrumentum: (*b*) Nec non debet cognoscere partes, aut aliás addere testes fidedignos, qui affirment illas cognoscere, de quibus fidem præbére tenetur; secus partes cognitæ censentur à Tabellione, et ad onus ipsius venit; Instrumentaque recepta absque hujusmodi solemnitate nullius considerantur momenti. (*c*)

Multæ observationes incumbunt Notario: sed cum difficilie sit omnes eas hic inferere, et subsidio praxis quilibet possit absque labore perdiscere, brevitatis gratia his supersedeo.

DE

(*a*) *Glos.* Signum, *et adde Marg. in* §. Item lex Cornelia *Inst. de pub. Jud.*

(*b*) *Reg. Edict.* Dom Ferdinand. VI. *fel. record. promulg. ann.* 1755.

(*c*) *Const.* 25. *tit. de Not. y Escr. Reg. Edict.* Dom. Philip. V. *publ. ann.* 1736.

DE PARTIBUS ARTIS NOTARIÆ.

TITULUS I.

TOTA Notariæ Ars, ejusque officium, et exercitium circa tria potissimum versatur: *Contractus* scilicet, *et pacta*: *Ultimas voluntates*: et *Judicia*.

Contractus quid sit. Expositio

Contractus igitur est: *Conventio habens nomen speciale, aut, eo deficiente, civilem obligandi causam.*

Conventio; quæ nihil aliud est, quam duorum, vel plurium consensus in idem: *habens nomen speciale*; per quæ verba denotantur contractus nominati, ut emptio, locatio, societas, &c. qui omnes, et similes certum nomen habent: *aut, eo deficiente, civilem obligandi causam*; quibus verbis comprehenduntur contractus innominati; de quibus statim.

Quot modis sumatur.

Tribus modis contractus sumitur: 1. *Propriè*; quando ex utraque parte oritur obligatio; ut in venditione, locatione, &c. necnon quando mutuæ promissiones, et obligationes interveniunt; ut in contractu dationis arrharum: (a) 2. *Impropriè*; cum ex una parte solum oritur obligatio; ut in contractu mutui, ubi recipiens dumtaxat obligatur: 3. *Magis impropriè*; ubi neutra pars obligatur; ut si mihi debes centum, et ego per pactum de non petendo, vel simili modo promitto non petere, nisi quinquaginta; et magis dici debet *Distractus*, quam contractus, pro ut notant *Gali*, et *Comes*. (b)

(a) *Leg.* Labeo 19. *ff. de verb. signif.*
(b) Gali *in Summa Artis Not. fol.* 32. *in fin.* Comes *Artis Not. tom.* 1. *cap.* 6. *n.* 8. *et* 9.

Contractus nominatus.

Contractus nominatus est: *Qui suum proprium, et specificum à lege nomen habet*; per quod à reliquis contractibus discernitur, ita ut nulli alteri contractui sua significatio atribui possit.

Quales sint.

Nominati contractus sunt emptio, et venditio, feudum, donatio, emphyteusis, dotis datio, mutuum, commodatum, præcarium, constitutum, depositum, pignoratio, stipulatio, societas, mandatum. (*a*)

Quid requiratur, ut contractus dici possit nominatus.

Ut contractus dicatur nominatus, requiritur: 1. Quod habeat nomen ita proprium, et speciale, ut aliis contractibus accommodari non possit: 2. Quod statim in eo obligatio oriatur: 3. Quod ex eo detur specialis actio: 4. Quod in eo non sit locus pœnitentiæ.

NOTA. Aliquibus in casibus contractus, licet nominatus sit, pœnitentiæ locum præbet: ut in *depósito*; nam deponens quando vult, potest revocare depositum: (*b*) *Societate*; quæ unius socii renuntiatione solvitur: (*c*) *Procuratione*; si Procurator non cœperit negotia sui principalis agere: (*d*) *Venditione* (si in scripturam redigenda est) nondum in scriptis redacta; id est, quando instrumentum non est legitimé lectum, et à partibus approbatum: (*e*) Et generaliter in omnibus planè contractibus, re integra manente, et mutuo partium consensu.

Contractus innominatus.

Contractus innominatus est: *Qui nomen speciale, et proprium à jure non habet.*

Quid requiratur, ut dicatur innominatus.

Ut contractus innominatus dicatur, non debet habere à jure nomen determinatum, et speciale, pro ut ex definitione patet.

Ge-

(*a*) *Leg.* 7 §. 1. *et.* 2. *ff. de pact.*
(*b*) *Leg.* 1. § Si deposuero 45. *ff. depositi. cap.* 2. *extr. de deposito.*
(*c*) §. 4. *instit. de Societate.*
(*d*) §. 9. *instit. de Mandato.*
(*e*) *Princ. tit. inst. de Empt. et Vend.*

Genera innominatorum contractuum quatuor sunt, quæ comprehenduntur sub his verbis; *do ut des*: *do ut facias*: *facio ut facias*: *facio ut des*. Exempli gratia: *do ut des*; ut in permutatione: *do ut facias*; ut quando convenio tecum de dando vestem, ut mihi scribas librum: *facio ut facias*; cum tecum convenio instrumenta conficere, si mihi domum construas: *facio ut des*; si Titius cum Seio convenit Artem Notariæ edocére illum, ut sibi det decem modios tritici. (*a*)

Genera innominatorum.

NOTA. Dixi: *Convenio tecum*; quia si per stipulationem fieret, statim oriretur actio. (*b*)

Differunt nominati contractus ab innominatis: 1. Quod nominatus nomen proprium, et specificum à lege habet; innominatus è converso: 2. Quod in nominatis statim oritur obligatio; in innominatis autem non, nisi pactum adimpletum sit ab altera partium: 3. Quia in contractibus nominatis datur actio specialis; sed in innominatis generalis, quæ appellatur *præscriptis verbis*, scilicet, ut contractus adimpleatur: (*c*) 4. In contractibus nominatis non licet pœnitére, seu ab eis discedere, nisi in casibus supra expressis; sed in innominatis licet, nisi fortè ab altera partium res sit tradita, cum in eis locus sit pœnitentiæ re integra manente; imò etiam re non integra, puta, quod unus ex parte sua contractum jam compleverit, potest alter recedere; refusis tamen expensis. (*d*)

In quibus differant nominati ab innominatis.

Contractus alii fiunt *in scriptis*: alii *sine scriptis* Item alii nominantur *bonæ fidei*: alii *stricti juris*: alii *juris gentium*: et alii *juris civilis*.

Quomodo fiunt, et nominantur.

In

(*a*) *Leg.* 5. *ff. de præscrip. verb.*
(*b*) *Leg.* 3. *cod. de rer. perm.*
(*c*) *Tit. ff. de præscrip. verb. et in factum action.*
(*d*) *Leg.* 5. *ff. de cond. caus. dat. leg.* 3. *cod. de rer. permut.*

Contractus in scriptis. In scriptis contractus est: *Ille, in quo in contractu, vel ante partes conveniunt, ut inde fiat scriptura;* nam contractus legem ex conventione accipiunt.

Sine scriptis. Contractus sine scriptis est: *Ille, in quo non agitur inter contrahentes, ut inde fiat scriptura*; quæ, et si postea subsequatur, ut perpetuò de veritate constet; nihilominus sine scriptis dicetur. (*a*)

Bonæ fidei. Bonæ fidei contractus est: *Ille, in quo bona fides exuberat*; Ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio, procuratio, depositum, commodatum, pignus, societas, tutela, divisio, permutatio, quandoque dos, et æstimatio rei dotalis; (*b*) et appellatur *bonæ fidei*; nam in eo Judex uberius, et pinguius officium suum extendit, quam in contractu stricti juris; hoc est, ut libera potestas Judici committitur ex æquo, ac bono æstimandi quid actori præstari debeat.

Stricti juris Contractus stricti juris est: *Ille in quo non venit, nisi quod stricte exigit contractus natura*; ut emphyteusis, stipulatio, insolutumdatio, acceptilatio, et alii, qui inter bonæ fidei contractus non enumerantur. Et *stricti juris* vocatur; quia cum ampliationem non patiatur, Judex in eo stricte se gerere debet, idest, quod libertas hujusmodi ei non competit, sed officium illius expresse ad formulæ præscriptæ tenorem restrictum est. (*c*)

Juris gentium. Contractus Juris Gentium est: *Ille, qui à jure Gentium originem habet*; ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas, depositum, mutuum, permutatio, et alii innumerabiles. (*d*) Est autem Jus Gentium: *quod naturalis ratio, et communis necessitas*

Quid Jus Gentium.

(*a*) *Leg.* 17. *cod. de fid. instrum.*
(*b*) §. 28. *instit. de action.*
(*c*) §. 28 *et* 30. *instit. de act. cap.* Cum venerabilis 6. *et Glos. verb. bonæ fidei de excep.*
(*d*) *Leg.* 5. *ff. de Just. et Jur.*

sitas inter omnes homines constituit, et apud omnes peraque custoditur. (*a*)

Contractus Juris Civilis est: *Ille, qui ab hoc jure originem, essentiam, et naturam habet*; tales sunt stipulatio, literarum obligatio, et similes, ut suo loco (agendo de singulis) cernèmus. Est autem Jus Civile: *quod unaquæque Civitas* (si habet potestatem condendi leges) *Regio, Natio, vel ejus Legislator constituit.* (*b*)

Juris Civilis.

Quid Jus Civile.

Contractus perficiuntur multis modis; nempè, venditio, matrimonium, locatio, societas, mandatum *perficiuntur consensu.* Stipulatio, acceptilatio, aquiliana stipulatio, *verbis*; et ideo à Muto fieri nequeunt. Permutatio, mutuum, commodatum, depositum, pignus, divisio, et alii contractus, *re.* Donatio, *nudo pacto.* Demum emphyteusis, *scriptura interveniente.* (*c*)

Contractus perficiuntur consensu, verbis, re, nudo pacto, scriptura.

Considerantur in contractibus: 1. Consensus contrahentium, ex quo contrahitur: 2. Materia rei, de qua contrahitur: 3. Forma, per quam contrahitur, id est, ordinatio contractus: 4. Actus, per quem contractus perficitur, hoc est, intentio, sive finis partium.

Quæ considerétur in contractibus.

In quolibet contractu duo requiruntur *substantia* scilicet, et *natura.* Substantia est: *Quæ primam essentiam rei præstat, sine qua res esse, ac subsistere nequit*; quare dicendum est, quod substantialia sunt, quæ dant esse contractui ex se ipsis, et absolutè, ac nulla privata pactione mutari possunt; ut *pretium*, in venditione. Natura est: *Quæ oritur ex ipso contractu*, licét de ea non agatur expressa mentio; et sic naturalia sunt omnia, quæ, tametsi non apposita, insunt contractui, ut in venditione, *evictio.*

Quæ requirantur.

NOTA.

(*a*) §. 1. *instit. de Jure Nat. Gent. et Civil.*
(*b*) §. 2. *instit. de Jur. Nat. Gent. et Civil.*
(*c*) §. 2. *instit. de oblig. leg.* 1. *Cod. de Jur Emph.*

NOTA. Per pactum illud, quod est de natura contractus tolli potest; ut *evictio* in venditione: Tamen excipiuntur ea, que intrinseca, et à contractu inseparabilia, naturalia sunt; ut in contractu *depositi*, quod dominium rei depositæ in depositarium transeat: In *venditione*, quod dominium rei, soluto pretio, in emptorem non transferatur: In *societate*; quod uni competat damnum, et lucrum ad alterum veniat; et his similia quamplurima.

Accidens. Accidentalia sunt: *Quæ abesse possunt re ipsa salva*; qua propter accidentalia dicuntur, quæ præter contractus naturam ipsi adjiciuntur; ut quod solutio fiat certo loco, et pecunia.

NOTA. Ex his intelliges, quæ communiter dicuntur; videlicet, contractus ex conventione legem accipere, vulgò *Pactos rompen leies*; quod quidem desumitur ex quadam regula Juris: (*a*) hoc est contrahentes possunt facere, et convenire inter se per speciale pactum, quod contractus aliter obliget, quam sit de sui natura: Nullatenus vero facere possunt, ut non observetur, aut non obliget, quemadmodum requirit sua peculiaris substantia. (*b*) Idem dic de his, quæ sunt contra Jus publicum, cui pacta privatorum derogare haud possunt. (*c*)

(*a*) *Reg.* 85. *jur. in 6. leg.* 1. §. 6. *ff. depositi leg.* 23. *ff. de reg. jur.*
(*b*) *Leg.* 7. *eod. de leg. et. const. princ. leg.* 1. *ff. de pact.*
(*c*) *Leg.* 38. *ff. de pact. cap.* Si diligenti 12. *in fin. de for comp. leg.* 27. *ff. de reg. jur.*

DE NONNULLIS,
QUÆ NOTARIUS IGNORARE NON DEBET.

DE JURE, ET SPECIEBUS PERSONARUM.

TITULUS II.

PRima divisio Personarum est: Quod quædam *sui juris sunt*, et quædam *alieno juri subjecta*. Sui juris sunt: *Quæ in alterius potestate non extant*. Alieno juri: *Quæ sub alterius potestate existunt*. (a)

1. Divisio Personæ sui juris, et juris alieni.

Potestas est: *Jus Personæ in Personam*.

Potestas quid sit.

Subjicitur quis patriæ potestati: 1. *Per adoptionem*; olim quidem quavis adoptione: nunc verò non, nisi per eam, quæ facta sit à persona non extranea, hoc est, solum ab aliquo ex ascendentibus: (b) 2. *Per arrogationem*; quando aliquis coram Imperatore, vel cum ejus rescripto patremfamilias arrogat, certis conditionibus, modo, et forma, de quibus *Instituta*. (c) 3. *Per legitimum matrimonium*; nam nascens potestati patris subjicitur: (d) 4. *Per legitimationem*; videlicet, per subsequens matrimonium, oblationem Curiæ, aut rescriptum Principis; his enim tribus modis contingit legitimatio: (e) 5. *Ob ingratitudinem*, cum filius emancipatus ingratus est contra patrem, aut quia nolebat sibi alimenta dare, vel aliàs: (f)

Quot modis subjiciatur pat. pot.

(a) *Inst. de his qui sui, vel al. jur. sunt. in princ.*
(b) §. 2. *Instit. de adop.*
(c) *Instit.* §. 3. *de adop.*
(d) *Instit. de Pat. potest. in princ.*
(e) §. *Aliquando* 13. *instit de nuptiis.*
(f) *Leg.* 1. *cod. de ingr. liber.*

6. *Per sententiam*; quando lata est sententia contra ipsum, qui se filium negabat, et quamvis non sit filius, efficitur in potestate; nam sententia talis habetur pro veritate, donec contrarium constet; hoc est, talem revera non esse filium; (*a*) Sicut de Jure Canonico sententia in causa matrimoniali non transit in judicatum, nec veritati præjudicat, si de ea constat postea. (*b*)

Jura Patris in filium familias.

Jura, quæ habet pater in filiosfamilias, sequentia annotantur: 1. Inter patrem, et filium non cadit lis, neque civilis obligatio; jure enim civili una, et eademmet persona fingitur patris, et filii; naturalis autem benè potest, cum in naturalibus non fingatur: (*c*) 2. Filiusfamilias nequit vocare patrem in jus, nisi venia ab ipso prius obtenta, ob reverentiam illi debitam: (*d*) 3. Non potest in judicio interesse cum patre, nec suo nomine, sine ejusdem consensu; quippe sui juris non est, nisi pro re castrensi, vel quasi castrensi; nam tunc pro patrefamilias, id est, sui juris reputatur: sed alimentorum causa benè potest, ratione privilegii alimentis concessi: (*e*) 4. Quidquid adquirit, patri adquirit; quia hi quidam nobis pro instrumento sunt, cum restrictionibus, de quibus *tit. seq.* (*f*) 5. Filiusfamilias nequit testari, nec etiam quo ad pias causas disponere, saltem de Jure Civili: (*g*) Quidquid sit de Jure Canonico: (*h*) 6. Pater bona filii, etiam

(*a*) *Leg.* 1. §. 12. *et* 16. *ff. de agnosc. et alend. liber.*
(*b*) *Cap. Lator.* 7. *de sent. et re jud.*
(*c*) *Leg.* 16. *et* 17. *ff. de furtis.*; addita *Leg.* 1. §. 1. *ff. si is qui testam. et Leg.* 3. *cod. de in jus voc. Leg.* 2. *et* 4. *ff. eod. tit.*
(*d*) §. 3. *instit. de action. Leg.* 2. *et* 3. *cod. de in jus voc.*
(*e*) *Leg.* 4. *ff. de jud.*
(*f*) *Leg.* 2. *cod. de pat. potest. instit. per quas pers.* §. 1.
(*g*) *Instit. quibus non est perm. in princ.*
(*h*) *Ex cap. pœn. de sepul. in* 6.

etiam eo invito, administrat; patria enim potestas ad gubernandum est: (a) 7. Pater filium ab aliquo detentum vendicare potest; nam largo modo habet in filium dominium, et possessionem. (b)

Olim immensa penè erat patrum in filios potestas; nam eos abdicare, abalienare, vendere, imò necare poterant: (c) Postmodum verò id temperatum, et parentibus concessa est sola castigatio, quæ si debet esse severior, est Judici denuntiandum; (d) qualem facultatem domesticus, et senior habet, (e) et hoc feré jure nunc utimur. Jura antiqua parentum in filios.

Jura patriæ potestatis tolluntur: 1. *Morte naturali* patris, vel filii; quia mors omnia jura solvit: (f) 2. *Deportatione* patris, vel filii in Insulam propter delictum, quæ mors civilis est; nam tollitur à numero Civium Romanorum; sed si ex indulgentia Principis deportati fuerint plenissimè restituti, per omnia pristinum statum recipiunt: (g) 3. *Servitute pœnæ*, quæ etiam quædam civilis mors est; veluti qui in metallum damnantur, et qui bestiis subjiciuntur; (h) sed jure novissimo servitus pœnæ sublata est: (i) 4. *Dignitate* filii, tam Ecclesiastica; ut per Cardinalatum, Episcopatum; quam sæculari; ut per Consulatum, Quot modis patriæ potestas tollatur.

(a) *Cod. de bon. quæ liber. Leg. 6. §. 2.*
(b) *Leg. 1. §. 2. ff. de rei vind.*
(c) *Leg. 11. ff. de lib. et posth. leg. 6. 9. 10. cod. de patr. potest. leg. 1. et 2. cod. de patribus qui liber. suos distraxer.*
(d) *Leg. 3. et 4. cod. de patr. potest.*
(e) *Leg. un. cod. de emend. propinq.*
(f) *Inst. quib. mod. jus patr. potest. in princ.*
(g) *§. 1. instit. quib. mod. jus patr. pot. solv. leg. 1. 2. 6. et 9. cod. de sent. pass. et rest.*
(h) *§. 3. instit. quib. mod. jus patr. pot. solv.*
(i) *Auth. Sed hodie cod. de donat. inter vir. et uxor.*

tum, Præturam, (*a*) aut his ſimilem; videtur enim abſurdum eſse in poteſtate privata, qui publica poteſtate rem publicam adminiſtrat: 5. *Captivitate* patris, aut filii; nam per captivitatem quis efficitur ſervus hoſtium, et deſinit eſse Civis Romanus, incapax jurium Civitatis Romanæ; ſed ſi fuerit reſtitutus, pater recuperat poteſtatem: fingitur enim per poſtliminium, eum qui captus eſt, in Civitate ſemper fuiſse: (*b*) 6. *Matrimonio* cum conſenſu patris contracto; idque per Conſtitutionem Cathaloniæ: (*c*) 7. *Emancipatione* filii; etenim modus eſt diſsolvendi jus poteſtatis: (*d*) Hoc tamen reſtringendum de Jure Patriæ; pro ut *tit. 4. ſeq. et tit. de Emanc.* cerni poteſt.

NOTA. Relegati Patres in Inſulam in poteſtate filios habent; quia retinent omnia jura Civitatis. (*e*)

2. Diviſio Filii leg. et natur. legitimi tantum: naturales tantum: nec legit. nec nat.

Secunda Perſonarum divisio eſt: Quod Filii *alii legitimi, et naturales sunt*; ut illi qui naſcuntur ex legitimo matrimonio: *alii legitimi tantum*; ut adoptivi, et arrogati: *alii naturales tantum*; ut qui ex concubina naſcuntur: *Et alii nec legitimi, nec naturales*; ut qui ex nefario coitu procreati ſunt.

Quare appellentur legit. et natur.

Appellantur legitimi, et naturales; hoc eſt, *legitimi*; quia nati ſunt ſecundum legem, et Jus Divinum, canonicum, et humanum; et *naturales*; quippé natura filii ſunt: *Legitimi tantum*; quia ſola lege filii facti ſunt: *Naturales tantum*; nam natura quidem nati ſunt; non tamen ſecundum leges (*f*) quid quid ſit de jure civili, (*g*) quo tamen jure non fuit id permiſ-

(*a*) §. 4 *inſtit. quib. mod. jus pat. poteſt. ſolv.* adde *Novell.* Juſtin. 81.
(*b*) §. 5. *inſtit. quib. mod jus pat. poteſt. ſolv.*
(*c*) *Lib.* 8. *tit.* 8. *de emancipacions, conſtit. un.*
(*d*) §. 6. *inſtit. quib. mod. jus pat. pot. ſolv.*
(*e*) §. 2. *inſtit. quib. mod. jus pat. pot. ſolv.*
(*f*) *Can.* Nemo 4. *cauſ.* 32. *q.* 4.
(*g*) *Leg.* 5. *cod. de natur. lib. ff. de concub. per tot.*

miſsum marito ; ſed ſolum cælibi (*a*) Id tamen abſoluté, et indiſtinctè prohibitum eſt omnibus ab Imperatore LEONE (*b*) *nec legitimi nec naturales*; quia contra leges nati ſunt, atque adeo lege deſtituti, et inviſi, ut jura filii non habeant, ſaltem reſpectu patris. (*c*)

Tertia, et ultima diviſio eſt: *Quod perſonæ, aut legitimæ ætatis ſunt, aut non legitimæ.* Legitima ætas eſt à viginti quinque annis ſupra; et tunc perſonæ vocantur majores: Non legitima ætas eſt à viginti quinque annis infra; et iſtæ minores apellantur; atque horum alii ſunt puberes, et alii impuberes. 3. Diviſio Perſonæ legitimæ ætatis; et non legitimæ.

Pubes eſt maſculus ab annis quatuordecim completis, et duodecim femina: et hi dicuntur *adulti*, *adolescentes*, et *viri potentes*, ac magis proprie *minores*. Pubes.

Impubes eſt à dictis annis infra: et horum alii ſunt *infantes*, alii *proximi infantiæ*, aliique *proximi pubertati*. (*d*) Impubes.

Infans eſt à die nativitatis, uſque ad ſeptem annos; et appellatur ſic, quaſi nihil fari potens. Infans.

Proximus infantiæ eſt à ſeptem annis uſque ad decem cum dimidio maſculus; et ad novem cum dimidio femina: et ſic vocantur, quia magis accedunt ad infantiam, quam ad pubertatem. Proximus infantiæ.

Proximus pubertati eſt maſculus à decem cum dimidio, uſque ad annos quatuordecim; et à novem cum dimidio, ad duodecim femina: et ita appellantur, quia ad pubertatem magis, quam ad infantiam accedunt. Proximus pubertati.

DE

(*a*) *Leg.* 144. *ff. de verb. ſign. leg. un. eod. de Concub. leg. fin. cod. com. de Manum. Novell.* Juſtin. 18. *cap.* 5. *et* 89. *cap.* 12. §. 5.
(*b*) *Novella ſua conſt.* 91.
(*c*) *Leg.* 7. *cod. de natur. lib. cap.* 5. *de eo qui dux. in matrim.*
(*d*) *Inſt. quib. mod. tut. fin. in princ.*

DE PERSONIS QUÆ POSSUNT, ET QUÆ NEQUEUNT CONTRAHERE.

TITULUS III.

De personis, quæ possunt, et quę nequeunt contrah.

SCire oportet: quod ex personis aliæ contrahere queunt, aliæ verò non, quæ si contrahunt, contractus inutilis redditur: Et cum perspecto qui contrahere nequeant, facillime deducatur, qui contractus celebrare possint; de illis solum hic pauca dicere sat erit.

4. Ratione ætatis.

Et Primó quatuor ætatis ratione contrahere nequeunt, scilicet: *Infans*: *Proximus infantiæ*: *Proximus pubertati*: et *Pubes*.

Infans

Infans; quia animi judicio caret, ignoratque quid agat: Et cum in omni contractu requiratur sensus, et consonans intellectus; ideo nullo modo contrahere potest, nec alteri se obligare licet cum auctoritate tutoris, idque nec naturaliter, nec civiliter, nec alium sibi obligando, nec fidejussorem dare potest; ubi enim principalis obligatio esse non valet, neque accessoria; nam corruente principali, corruit accessorium. (*a*)

Proximus infantiæ.

Infans, et infantiæ proximus non multum à furioso distant; ideo dicitur, eos nihil scire, nec intelligere: Sed est inter eos discrimen, quod infans nullum omninó intellectum habeat: Sed infantiæ proximus nullum quidem habeat perfectum, verum habeat tamen aliquem. Ideo receptum est, ut tutore auctore, omnia rectè agere queat; videlicet, tam sibi, quam alteri obliga-

(*a*) §. 9. *instit. de inut. stip. l.* 14. *ff. de Spons.*

obligationem adquirere: Sine tutore verò nihil gerere poteſt; excepto, quod poſſeſſionem incipere, et ſponſalitia contrahere valet; quæ ita eum obligant, ſi pubes factus ea non retractaverit. (*a*)

Proximus pubertati.

De proximo pubertati ita tene: 1. auctore tutore, naturaliter, et civiliter, alios ſibi obligat, et ipſe aliis obligatur (*b*) 2. Sine tutore, obligatur naturaliter, et poteſt meliorem conditionem ſuam facere; non tamen deteriorem (*c*) 3. Eſt capax doli, et culpæ; proinde etiam pœnæ; licet mitius cum eo agatur ob imbecillitatem judicii. (*d*) Denique pupillus, in quantum eſt factus locupletior naturaliter, et civiliter obligatur, non tam ex contractu, quam ex re ipſa; nam, neque naturalis, neque civilis ratio patitur, quemquam cum jactura alterius locupletari. (*e*)

NOTA. Differentia inter Impuberem, qui eſt in poteſtate, et eum, qui in tutela exiſtit, talis eſt: Quod ille, patre auctore, non obligatur; et iſte, tutore auctorante, obligari poteſt, (*f*) et hac in re plus valet auctoritas tutoris, quam patria poteſtas; quia pupillo ſemper cautum eſt contra tutorem, ſi forté obligatio fuerit ſibi damnoſa; non vero filio contra patrem; nam tutor actione tutelæ pupillo tenetur; filio in patrem nulla competit actio ob rem malè geſtam, et paterna reverentia patrem à ratiociniis excuſat.

Pubes.

Puberes ex contractu naturaliter obligantur, et etiam civiliter, ſi curatorem non habeant: At ſi curato-

---

(*a*) *Inſtit. de auth. tutor. et §. 9. de inut. ſtip. leg. 32. §. fin. ff. de adq. poſſ. cap. 7. de Deſp. Imp.*

(*b*) *Leg. 5. ff. de Reg. Jur.*

(*c*) *Leg. 25. §. 1. ff. quando dies legat. leg. 127. ff. de verb. oblig. Inſtit. de auth. tutor. in princ.*

(*d*) *Leg. 111 ff. de reg. jur. l. 23. ff. de furtis c. 1. et 2. de delict. puer.*

(*e*) *Leg. 3. §. 4. ff. de neg. geſt. leg. 5. ff. de auth. tut. leg. 206. ff. de reg. jur.*

(*f*) *Inſtit. §. 9. de inut. ſtip.*

ratorem habent, ejusdem consensum adhibere debent, saltem ex intervallo, in suis contractibus; alioquin nulla ex ipsis nascitur jure Civili obligatio, et actio: Excipe tamen, nisi juramentum adhibuerint; nam eorum contractus jurati, inviolabiliter sunt servandi, juxta authenticam *Sacramenta Puberum*, quæ est Federici Imperatoris (*a*) adeo ut hoc casu, nec ipsis competat beneficium restitutionis in integrum. (*b*) Cujus occasione nunc breviter tractabimus de restitutione in integrum, et Juramento.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM, et Juramento.

Restitutio in integr.

REstitutio in integrum est: *Prioris status reintegratio*; nam illæ, qui petit restitutionem, etiam petit contra contractum reintegrari; v. g. rem recuperare, et pretium restituere.

Quibus competat et per quos petatur.

Competit autem hoc beneficium principaliter minoribus (*c*); Competit præterea Ecclesiis, Collegiis, locis piis, universitatibus. (*d*) Petunt autem hanc restitutionem Tutores, Curatores, Æconomi, Prælati, et reliqui qui à jure administrationem habent: Procuratores verò debent habére speciale mandatum, nec

(*a*) *Cod. Si adverf. vend.*
(*b*) *Leg.* 101. *ff. de verb. oblig. Inſtit. de Curat. in princ. leg.* 3. *cod. de in integ. reſtit. minor. cap. Quamvis de pactis in* 6. Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *num.* 291.
(*c*) *Leg.* 1. *et tot. tit. ff. de minor. cap.* 8. *de in integ. reſtit.*
(*d*) *Cap.* 1. *et paſsim. de in integ. reſtit. et ib.* Gloſa, Albas, et alii DD. *Leg.* 4. *cod. ex quib. cauſ. major. leg.* 3. *cod. de jur. reip. lib.* 11.

nec ſufficit generale ; ſi videlicet principaliter, et non incidenter petatur. (*a*)

NOTA. Porrò, beneficium reſtitutionis non datur, niſi probet quis, ſe læſum eſse. (*b*) Quanta autem debeat eſse læſio, relinquitur arbitrio Judicis : et illud ſolum certum eſt, debére eſse gravem, ſeu notabilem. (*c*)

Intra quod tẽpus peti debeat reſtitutio.

Reſtitutio peti debet à minore toto tempore ſuæ minoris ætatis, et illa finita, intra quadriennium continuum : A majore intra quatuor annos à die contractus : Et ab Eccleſia, et pia cauſa intra quadriennium à die ſcientiæ. (*d*)

Juramentum.

Juramentum eſt : *Affirmatio, vel negatio de aliquo facto, vel faciendo, ſacræ rei atteſtatione firmata* : Jurare autem nihil aliud eſt, quod Deum teſtem invocare.

Quotuplex ſit.

Juramentum duplex eſt : *Judiciale* ſcilicet, et *Extrajudiciale*. Juramentum *Judiciale* eſt duplex ; nempè *voluntarium*, et *neceſſarium*. Voluntarium illud eſt, quod præſtat pars parti in judicio. (*e*) Neceſſarium, quod Judex alicui parti defert. (*f*) *Extrajudiciale* autem juramentum eſt triplex : *aſſertorium*, *promiſſorium*, et *confirmatorium*. Aſſertorium eſt, quo, de præterito, vel præſenti, ſic eſse, vel non eſse, juratur : Promiſſorium, de futuro : et Confirmatorium ; ut cum filia renuntiat bonis paternis, et juramento corroborat renuntiationem. (*g*)

Quid operetur à minore præſt.

Juramentum à minore, id eſt pubere, præſtitum,

(*a*) *Cap.* 7. *de in integr. reſt. leg.* 25. §. 1. *et leg.* 27. *ff. de minor.*
(*b*) *Cap.* 2. *et* 8. *de in integr. reſt. leg.* 7. §. 9. *leg.* 11. §. 3. *ff. de minor. et ibi paſſ.*
(*c*) Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *num.* 283.
(*d*) *Tit. cod. de temp. in integr. reſt. cap.* 1. 2. *et* 3. *et clem. un. de in integr. reſt.*
(*e*) *Leg.* 1. *ff. de jurejur.* §. 11. *inſtit. de action.*
(*f*) *Leg.* 17. *ff. de jure jur.*
(*g*) *Cap. quamvis* 2. *de pact. in* 6.

operatur tria : 1. Facit valére contractum, qui de jure non valéret : 2. Minorem, majorem eſse repræſentat : 3. Privat eum reſtitutione modici damni, dicendo, ſe ratione minoris ætatis contra contractum non venturum.

NOTA. Dixi *à pubere* præſtitum ; quia impubes de Jure Civili non tenetur juramento, licèt teneatur de Jure Canonico. (*a*) Pubes enim, juxta citatam authenticam Federici Imperatoris, quæ incipit : *Sacramenta*, tenetur de juramento.

DE QUIBVSDAM PERSONIS QUÆ CONTRAHERE NON POSSUNT ratione ſubjectionis.

TITULUS IV.

TRÆ perſonæ ſunt tres precipuè ; nempè : *Religioſus*, *Filiusfamilias*, et *Servus*.

Religioſus. Religioſus, ſive Monachus contrahere nequit ; niſi Monaſterio adquirens, et quidquid acquirit Monaſterio acquirit ; (*b*) et obligatur in illis dumtaxat rebus, in quibus fit locupletior ; nam etſi poteſt conditionem ſuam meliorem efficere, non tamen deteriorem.

Filiusfamilias. Filiusfamilias eſt : *Ille qui patrem habet, et in ejus poteſtate eſt.*

NOTA. Patria poteſtas reſtringitur tantum ad ſexum virilem, nam vir eſt caput familiæ, non autem femina, quæ dicitur finis ejus, et non propagat familiam ;

(*a*) *Arg. cap. 1. de delict. pueror.*
(*b*) Canc. *part. 3. cap. 11. n. 236. et ſeqq.*

propterea pater tantum, proavus, seu avus paternus, et non mater, liberos habent in potestate, qua ratione efficitur, ut qui ex filia, aut nepte tua nascuntur, non in potestate tua sint, sed in patris eorum. (*a*)

NOTA. Filiifamilias, de jure Patriæ, seu per Constit. Cath. (*b*) Sive minores sint, sive majores, et filii emancipati minores qui uxorem non habent, contrahere nequeunt, et si contrahunt, non obligantur, nisi cum consensu expresso patris, ut fragilitati minorum, et filiorum familias, qui fraudibus obnoxii sunt, consulatur, et ne per aliquos circunscribi valeant; etsi apponatur juramentum, non valet; ubi etenim lex, vel statutum introducit in aliquo actu solemnitatem aliquam ad evitandas fraudes, contractus, contra dispositionem dictæ legis, vel statuti factus, non firmatur juramento, et insuper Constit. 1. id cavet; de cujus prohibitionis validitate in specie nostræ Constitut. agit *Cancer* (*c*) Tamen de jure communi contrarium reperitur; nam filius familias pubes cum extraneis contrahere potest sine patris consensu (*d*) Dixi *cum extraneis*; quia inter Patrem, et filium contrahi non potest obligatio; (*e*) Vox enim Patris, vox est filii (*f*) et persona Patris pro eadem reputatur in jure cum persona filii (*g*) et nemo sibi potest obligari; nam omnis obligatio est inter duos. Naturalis autem obligatio inter eos nascitur. (*h*) Ulte-

 rius

(*a*) §. *fin. Instit. de patr. potest.* L. *Pronuntiatio* 195. *et l.* 196. §. 1. *ff. de verb. sign.*
(*b*) *Lib.* 2. *tit.* 11. *de menors de* 25. *anys, constit.* 1. *et* 2.
(*c*) Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *n.* 4. *cum seq.*
(*d*) §. 6. *in fin. instit. de inutil. stip. leg.* 39. *ff. de obligat. et action. leg. ult.* §. 2. *ff. de verb. oblig.*
(*e*) *Dict.* §. 6. *instit. de inut. stip.*
(*f*) §. 4. *instit. eod. et* §. 12. *ibid.*
(*g*) *Leg. fin. cod. de impub. et al. subit.*
(*h*) *Leg.* 38. *ff. de cond. ind.*

filius Patrem non obligat (*a*) nisi jussu Patris contrahat ; et peculio tenus (*b*) Cujus occasione de peculio videamus.

Peculium. Peculium igitur est : *Quidquid filiusfamilias separatum habet à rebus patris sui* ; ita appellatum, quasi pecunia pusilla, sive pusillum patrimonium. (*c*)

Quotuplex sit. Et est quadruplex : *Profectitium, Adventitium, Castrense : et quasi castrense.*

Profectitium. Profectitium est : *Illud, quod pervenit ad filium ex substantia patris ; vel occasione rerum patris.*

NOTA. In ipso peculio pater habet proprietatem, et usumfructum (*d*) et ex hoc peculio duo commoda dumtaxat consequitur filius : 1. quod si emancipetur, et ei expressè non adimatur hoc peculium, remanet penes filium : 2. quod bonis patris publicatis, sive confiscatis, separatur ab illis, et conservatur filiis: (*e*) Et demum pater ex contractu filii obligatur, juxta facultates hujus peculii. (*f*)

Adventitium. Adventitium est: *Illud quod filiofamilias advenit ex successione matris, vel alterius conjuncti, per lineam maternam, seu ex ejus propria fortuna, et non ex substantia patris.*

NOTA. In hoc peculio filius dominium, pater verò usufructum habet, et administrationem à jure, (*g*) Et hoc porrò peculio, seu ipsius dominio, aut nuda proprietate, tria consequitur commoda filius : 1. Quod pater illud ei non potest adimere : 2. Quod cre-

---

(*a*) *Leg.* 23. *cod. de pact.*
(*b*) *§. fin. instit. quod cum eo qui in al. §.* 10. *instit. de action.*
(*c*) *Leg.* 5. *§.* 3. *et* 4. *ff. de pecul.*
(*d*) *§.* 1. *instit. per quas pers.*
(*e*) *§.* 1. *instit. per quas pers. cuique adq. leg.* 31. *§.* 2. *ff. de donat. leg.* 3 *§.* 4. *ff. de minor.*
(*f*) *Instit. de action §* 10.
(*g*) *Leg.* 1. 4. *et* 6. *Cod. de bon. quæ liber. Instit. per quas pers. §.* 1.

creditores patris nihil juris habent in illo: 3. Quod, mortuo patre, filius istud peculium non debet conferre, sive communicare cum fratribus, etsi omnes veniant ad successionem patris. (*a*)

Castrense peculium est: *Illud, quod filiusfamilias adquirit in militia armata, aut occasione ipsius.* (*b*) Castrense.

NOTA. Istud est filii, tam in proprietate, quam in usufructu, et de illo potest contrahere, etiam inscio patre suo; quia quo ad hoc peculium pro persona sui juris, et patrefamilias reputatur. (*c*)

Quasi castrense est: *Illud, quod adquirunt filiisfamilias in togata militia*; ut ex professione liberalium artium, et salariis, vel stipendiis publicis; ut Assessores, Advocati, et similes. (*d*) Liberalitas quoque à Principe in filiumfamilias collata est instar peculii quasi castrensis. (*e*) Quasi Castrense.

NOTA. Etiam de isto peculio potest contrahere filiusfamilias; nam idem jus in eo habet, quod in castrensi. (*f*)

Servus Jure Civili pro nullo habetur; et quidquid adquirit, Domino suo adquirit: Dixi *Jure Civili*, nam quo ad Jus Naturale omnes homines sunt æquales. Et cum tales servos hodie non habeamus; ideo non est necesse plura de eis dicere. Sufficiat indicare, quod Servi, nec ipsos se obligare poterant, (*g*) nec Dominum, nisi in eo quod hujus jussu, aut quod de hujusmet peculio contraxerint; aut si in rem ipsius Domini verterint; (*h*) aliàs enim pro mortuis habebantur. (*i*) Servus.

(*a*) *Leg. fin. cod. de collat.*
(*b*) *Leg.* 11. *ff. de Castr. pecu. et leg.* 1. *cod. eod. tit.*
(*c*) *Instit. per quas pers.* §. 1.
(*d*) *Leg. ult. cod. de in off. testam. Leg.* 4. *cod. de Adv. div. jud.*
(*e*) *Leg.* 7. *cod. de bon. quæ liber.*
(*f*) §. *fin. Instit. de Milit. testam. princ. tit. instit. quib. non est. perm.*
(*g*) §. 6. *instit. de inut. stip.*
(*h*) *Instit. de action.* §. 10. *et quod cum eo qui in ali. pot.*
(*i*) *Leg.* 32. *ff. de reg. jur.*

DE ALIIS PERSONIS, QUÆ OB DEFFECTUM, AUT DELICTUM non posſunt contrahere.

TITULUS V.

OCto ſunt Perſonæ iſtæ ; videlicet : *Furiosus, mentecaptus, mutus, surdus, prodigus, hæreticus, apoſtata ; committens crimen læsæ majeſtatis.*

Furioſus, et mentecaptus.

Furioſus, et mentecaptus, qui ſint, ſatis notum eſt : *Mentecaptus* contrahere nequit, nam mente, ſenſu, et intellectu caret : *Furiosus* autem, quia non intelligit quod agit ; iſte tamen, ſi eſt talis, ut habeat lucida intervalla, poteſt tunc validè contrahere ; et multo magis, ſi tam iſte, quam Mentecaptus ſanitatem recuperent. (*a*)

Mutus, et Surdus.

Mutus eſt : *Qui nihil loqui poteſt.* Surdus : *Qui omninò non audit.* (*b*) Iſti contrahere non poſſunt *verbis* ; primus, quia non valet exprimere ea ; ſecundus, quia alium loquentem, nec audire, nec intelligere poteſt. Porrò alios contractus, ſi ſenſu non careant, celebrare valent, ſive per ſe, ſive per alium ; ſed tutius eſt, ut à Judice ipſis aſsignetur Curator, tamquam perſonis miſerabilibus, et quæ rebus ſuis non poſsunt ſupereſse. (*c*)

Prodigus.

Prodigus eſt : *Ille qui, neque modum, neque finem expensarum habet ; sed bona sua dilacerando, et dilapidando profudit* ; et eſt duplex, videlicet : *Juris*, et *facti*. Prodigus juris eſt : *Ille, cui bonorum omnium in-*

(*a*) *Inſt. de inut. ſtip.* § 8. *et quib. non eſt perm.* §. 1.
(*b*) *Inſtit. de inut. ſtip.* §. 7.
(*c*) §. 7. *leg.* 1. *ff. de verb. oblig. leg.* 1. *cod. de curat. furioſ. vel prodig.*

interdicta est administratio à Judice.; et iste nequit contrahere, cum pro furioso habeatur, et nulla ei consideretur voluntas, nisi alium sibi obligando; nam quod in favorem ejus est introductum, ut scilicet alienare, nec diminuere valeat, non debet in illius odium retorqueri. (*a*) Prodigus facti est: *Ille, qui expendit expendenda, et non expendenda, et non est adhuc sibi interdicta bonorum administratio*; et ideo potest contrahere.

Hæreticus. Hæreticus est: *Ille, qui non credit, quod prædicant quatuor Sancta Evangelia, et non credit in Catholicam Fidem*; iste in varias, gravissimasque incurrit pœnas: est infamis, irregularis, incapax, et omni officio, ac beneficio privatus: testamentum condere nequit, nec heres institui, ut suo loco aspiciemus: est excommunicatus, qua de causa consortio, seu fidelium commertio privatus est: contrahere non potest, nec contractus facere; quod tamen intellige licitè. (*b*)

Apostata. Apostata est: *Qui pertinaciter recedit à Fide, vel à Religione Catholica, quam semel susceperat*; hic punitur, et subest eisdem pœnis, quibus hæreticus, ac per consequens nequit contrahere, nec etiam licitè contractus condere. (*c*)

Committens crimen læsæ Majestatis. Committens crimen lésæ majestatis est: *Ille, qui contra Regem, ejusque statum aliquid curat, vel facit.* Iste mortis reus est, bonaque sua confiscantur ipso jure, aliasque incurrit pœnas, quæ etiam ad ejus filios transeunt: tamen ipsius contractus sunt validi, nisi sententia annullentur. (*d*)

DE

(*a*) *Inst. quib. non est perm. §. 2. leg. 40. ff. de reg. jur. leg. 6. ff. de verb oblig*
(*b*) *Argum. leg. 4. cod. de Hæret. et Manich. et Samar.*
(*c*) *Tit. Decret. de Hæret. et Apost.*
(*d*) *Argum. ex leg. Jul. Majest. §. 3. instit. de pub. Jud.*

DE REBUS, QUÆ IN CONTRACTUM venire possunt, aut non.

TITULUS VI.

DE istis rebus hic agere opus erit; nam sicuti dantur personæ, quæ, ob causas præexpressas contrahere non valent; similiter sunt res quæ prohibentur alienari, ac in contractum deduci.

Res minoris, quæ alienari nequeunt

RES minoris, quæ servando servari possunt, et tempore non consumuntur; ut prædium, aurum, argentum, gemmæ, et similia, quæ temporis diuturnitate non pereunt, alienari prohibentur, nisi cum debitis, et legitimis solemnitatibus; quia ita cautum est in utilitatem minorum (*a*) Quæ quidem

Solemnitates requisitæ in earum alienatione.

solemnitates sunt: 1. causa legitima: 2. decretum Judicis, et causæ cognitio; hoc est, quod Judex cognoscat, an revera adsit causa, quæ sit justa, et an probata maneat (*b*) 3. auctoritas tutoris: 4. curritoris subhastatio, ut evitetur tota fraudis suspicio.

NOTA. Auctoritas tutoris nequit interponi ex intervallo; nam actui, dum fit, tunc maximè est impendenda auctoritas (*c*)

Causæ legitimæ.

Causa legitima: 1. est ob æs alienum; id est, quod fiat alienatio propter debitum imminens, et ut sibi solvi urgeat creditor, vel ex quo minor usurarum onere

(*a*) *Tot. tit. cod. de præd. minor.*
(*b*) *Leg. 6. et 11. cod. de præd. minor.*
(*c*) *Inst. de auct. tut. §. 2.*

onere prægravetur: 2. ob cauſam dotis dandæ à pupillo, ſive minore: 3. ob donationem propter nuptias faciendam uxori: 4. ob neceſsitatem famis ſuæ, vel conjunctarum perſonarum. (*a*)

NOTA. Omituntur prædictæ ſolemnitates, ſi teſtator dedit pupillo facultatem vendendi ſine ipſis; quia voluntas pro lege obſervatur: Et etiam ſi pupillus veniam à Principe ad id *ſpecialiter* impetraverit. (*b*)

Res verò, quæ ſervando ſervari non poſſunt, et tempore corrumpuntur; ut vinum, oleum, animalia, et ſimilia, alienari poſsunt à pupillo cum ſola tutoris auctoritate, omiſsis ſolemnitatibus; quippe difficile eſset illas ſervare ſine pupilli detrimento. (*c*) Quæ res minoris alienari poſsint.

Res ſacra eſt: *Quæ publicè, et non privatim Deo, et Sanctis dedicata eſt.* Dixi *publicè*; nam ſi quis privatim Deo, aut Sanctis aliquid dedicaret; id non Sacrum, ſed profanum remaneret. (*d*) Res ſacra.

Quæ res duplex invenitur; videlicet: *mobilis*; ut Crux, Calix, et alia ornamenta Sacra: Et *immobilis*; ut Eccleſia, et Monaſterium. Eſt duplex

NOTA. Licet iſtæ res mobiles à commercio ſint exemptæ; tamen, ſi Eccleſia ære alieno gravetur, alienari queunt: Ita tamen, ut ſi aliis piis, ſive venerabilibus locis alienentur; id poſsit fieri, etiamſi integræ remaneant: at ſi dentur Perſonis privatis, debent antea res illæ confringi; ita ut amittant primam formam, et deſinant eſse, quod antea erant; v. g. Calix, Patena, Crux. &c. (*e*)

Res profana Eccleſiæ etiam eſt duplex; una *mobilis*; Res Eccleſiæ profana duplex.

(*a*) *Leg.* 12. *et* 18. *ubi* Gloſ. *et* DD. *Cod. de præd. minor.*
(*b*) *Leg.* 2. *et* 3. *Cod. quando decret. op. non eſt.*
(*c*) *Leg.* 4. *Cod. quand. decret. op. non eſt.*
(*d*) *Inſtit. de rer. diviſ.* §. 8. *et de inut. ſtip.* §. 2.
(*e*) Engel. *ad tit Decretal. de Simon. n.* 17

servando servari nequit; ut fructus, animalia, et aliæ similes; istaque alienari valet à Prælato Ecclesiæ, omissis requisitis: altera *immobilis*, quæ servando servari potest; ut prædia, domus, et similia; et hæc alienari nequit, nisi debitis cum solemnitatibus; quia prohibetur à Jure Canonico, (*a*) nisi concurrat vera, et justa causa, et legitimi superioris auctoritas; puta Episcopi cum consensu Capituli; aut Summi Pontificis. (*b*)

Res publicæ sunt.

Res publicæ sunt: *Quæ in publico hominum usu sunt, et quæ debitæ usibus populi sunt*; ut flumina, ripæ, portus, et similia; (*c*) istæ res nequeunt alienari; nam à commercio hominum eximuntur. (*d*)

Alienari nequeunt.

Liber homo.

Liber homo vendi non potest; quia est damnosum, et contrarium libertati, (*e*) licèt antea permissum esset Jure Civili. (*f*)

Res litigiosa.

Res litigiosa est: *Illa de cujus dominio, vel quasi movetur lis, seu causa inter petitorem, et possessorem.* (*g*)

Nequit alienari.

Hæc res regulariter nequit alienari, ne vadat de manu in manum, et ut aliquis sit litium finis. Dixi *regulariter*; quia permissa est alienatio in quatuor sequentibus casibus: 1. *Ex causa dotis*, ratione publicæ utilitatis, ut mulieres facillimè nubere valeant; v. g. quando filiæ rem litigiosam in dotem dedi: 2. *Ex causa donationis propter nuptias*; ut quando in dotis contractu talem rem dedi: 3. *Ex causa transactionis*; tunc enim vitium litigiosi cessat; ut quando transegi cum uno rem litigiosam: 4. *Ex causa divisionis*; ut

Quando potest.

quando

(*a*) *Tot. tit. de reb. Eccl. non alienan.*
(*b*) *Adde extrav. ambitios. eod. tit. int. comm.*
(*c*) *§. 2. et seqq. instit. de rer. divis.*
(*d*) *Inst. de inut. stip. §. 2.*
(*e*) *§. 2. Inst. de inut. stip.*
(*f*) *§. 4. Institit. de jur. pers.*
(*g*) *Auth. litigiosa res. Cod. de litig.*

quando rem litigiosam communem habebam cum fratribus meis, et venimus ad illius divisionem; quippè intervenit causa necessaria; et cum per causam necessariam cesset vitium litigiosi, ideo eam dividere licet. (*a*)

Quando dicatur litigiosa.

Eo tunc dicitur litigiosa, quando petitor in judicio contra possessorem actionem intentavit, et libellum obtulit; hoc est, quando de ejus dominio, seu quasi directo, vel utili inter partes judicialiter contenditur. (*b*)

Fundus dotalis.

Fundus dotalis est: *Res immobilis data ab uxore marito in dotem inæstimata, ob matrimonium jure contractum.*

Quasi dotalis.

Quasi dotalis fundus est: *Qui in consequentiam rei dotalis venit*: Sic cum legatur hæreditas servo dotali, quasi dotalis efficitur, in quo idem, ac in fundo dotali statuendum est. (*c*)

Quid in fundo dotali requiratur.

Ut fundus dotalis dici possit, requiritur: 1. Quod matrimonium sit à jure contractum: 2. Quod sit traditus in dotem marito: 3. Quod sit immobilis, non autem mobilis: 4. Quod sit inæstimatus, non autem æstimatus; nisi fieret æstimatio, ut de fundi valore tempore illius restitutionis appareret; vel ut esset in mulieris electione rem, aut illius æstimationem petere, nam tunc nihilominus esentiam inæstimati non amitteret. (*d*)

De Jure communi alienari nequit.

Licèt de Jure Communi per legem Juliam prohibita sit fundi dotalis alienatio, etiam uxore consentiente, nisi in quibusdam casibus; interest enim reipublicæ mulieribus dotes suas manére salvas; (*e*) tamen de Jure Municipali Cathaloniæ alienari potest;

De Jure Patriæ, et Canonico potest.

(*a*) Canc. *var.* 2. *cap.* 12. *n.* 48 *et Glos. in cap.* 1. *ut lite pend.*
(*b*) Canc. *var.* 2. *cap.* 12. *n.* 8.
(*c*) *Leg.* 4. *ff. de fundo dotali.*
(*d*) *Inst. quib. al. licet in princ. Leg.* 1. *cod. de fund. dot. leg.* 9. *eod. de rei vind. et glos. in leg.* 1. *cod. sol. matr.*
(*e*) *Leg.* 1. *ff. solut. matrim.*

dum tamen uxor juret; ut habetur in Privilegio per Sereniſsimum Dominum PETRUM Aragoniæ Regem conceſso. (*a*) Idem dic de Jure Canonico, quod in hac Patria prius obſervatur, quam Civile. (*b*)

Res aliena alienari non poteſt.

Super materia prohibitionis alienationis eſt animadvertendum: quod res aliena nequit, ſine conſenſu Domini ſui ad alium transferri; nam nemo poteſt plus juris in alium transferre, quam ipſe habet. (*c*)

DE OBLIGATIONIBUS, ET EARUM DIVISIONE.

TITULUS VII.

NUnc ordo poſtulat, ut tranſeamus ad obligationes quæ ex contractu oriuntur.

Obligatio quid ſit.

OBligatio eſt: *Vinculum Juris, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundum noſtræ Civitatis jura.*

Expoſitio.

Vinculum; quia ligat hominem, ad ſimilitudinem vinculi corporei, quo qui adſtrictus eſt, effugere non poteſt, niſi vinculis ſolutis; ſimiliter obligatus: *Juris*; nimirum Civilis, à quo effectum habet obligatio civilis: naturalis eſt vinculum æquitatis, (*d*) et merè civilis eſt vinculum rigoris, ſeu ſtricti juris: (*e*) *quo neces-*

(*a*) *Recognov. Proc. cap.* 10.
(*b*) *Cap.* 2. *de jurejur. in* 6.
(*c*) *Tit. cod. de reb. alien. non alienan. leg. nemo*, 54. *ff. de reg. jur.*
(*d*) *Leg.* 95. §. 4. *ff. de ſolut. et liber.*
(*e*) *Inſtit. de excep. in princ.*

necessitate adstringimur; videlicet, propter actionem, quam parit obligatio; quare huc non pertinet obligatio naturalis, ex qua non nascitur actio, (*a*) nec merè civilis, cujus actio non adstringit; sed est inefficax: (*b*) *Alicujus rei solvendæ*; id est dandi aliquid, vel faciendi pro natura obligationis: *Secundum nostræ Civitatis jura*; indicat definiri hic obligationem, quæ recepta sit jure civili.

Obligationum species.

Obligatio alia est *naturalis tantum*: alia *civilis tantum*: et alia *naturalis, et civilis simul*. Obligatio *naturalis tantum* est illa, quæ solo æquitatis vinculo sustinetur, nihil prorsus in ea operante Jure Civili; ut pactum, sive promissio nuda de dando aliquid; vel quando pater, et filius, Dominus, et servus contrahunt, ubi solum naturalis cadit obligatio; quippe talibus pactis vim obligandi Romanæ leges tribuere noluerunt, ut ex his agere licéret. *Civilis tantum*, quæ à Jure Civili vim, et vinculum aliquod habet; sed naturalis æquitas sic adstrictum tenéri non suadet; ut quando sub spe futuræ numerationis, quis confitetur, sibi solutam esse pecuniam; revera autem non est numerata: (*c*) *Naturalis, et Civilis simul*, quæ æquitatis, et juris vinculo nititur; ut si persona habilis ad contrahendum se obligat cum solemnitatibus à jure requisitis: omnium optimè explicat id *Vinnius*, (*d*) quem lege.

Alia divisio.

Obligatio iterum alia est *principalis*; qua quis suo nomine principaliter obligatur, quales sunt obligationes rerum principalium: alia verò *accessoria*; qua quis alienæ obligationi accedit, salva manente principali;

(*a*) *Leg.* 7. §. 4. *ff. de pactis.*
(*b*) *Leg.* 3. §. 1. *ff. de conf. pec. leg.* 112. *ff. de reg. jur.*
(*c*) *Inst. de liter. oblig.*
(*d*) Vinn. *ad princ. tit. instit. de oblig.*

cipali; quales sunt qui pro aliis sidejusserunt. (*a*)

Obligationes naturales, et civiles unde nascantur.

Obligationes naturales, et civiles simul, aliæ nascuntur *ex contractu*; quando contrahitur, et ex ipso contractu descendit obligatio; ut ex emptione, locatione, et aliis: aut *quasi ex contractu*; quando aliquis negotium gerit alienum sine mandato; ut tutor, negotiorum gestor, et alii: *ex maleficio*; quando aliquis furtum, vel injuriam facit alicui; tunc delinquens pœnam luere tenetur, nam delicta puniri debent: *ex quasi maleficio*; quando aliquis quasi directe deliquit; ut si à domo tua aliquid est ejectum, quod alicui nocuit. (*b*)

Obligationum ex contractu species variæ sunt: aut enim *re* contrahuntur; seu *verbis*: aut *litteris*; vel *consensu*. (*c*) *Re*; quæ non producunt obligationem, nisi rei traditione sequuta; ut in mutuo, commodato, depositó, pignore, &c. (*d*) *Verbis*; quæ ex solemni verborum forma vim accipiunt; ut in stipulatione. (*e*) *Litteris*; quæ in scripturæ substantia consistunt; ut in litterarum obligatione. (*f*) *Consensu*; v. g. contractus, qui, præter consensum, nihil aliud ad eorum perfectionem desiderant; ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas, matrimonium, &c. (*g*)

Obligationum ex contractu species.

Obligatio quomodo dissolvatur.

Dissolvitur obligatio: *Solutione*, *acceptilatione*, *novatione*, *dissensu*. Tamen est sciendum, quod plures alii modi tollendæ obligationis sunt; ut *compensatio*, *confusio*, *obligatio*, *jusjurandum*, *interitus rei*, *pactum de non petendo*, *&c.* sed primi quatuor sunt usitatiores; de quibus agitur in *Instit.* (*h*) DE

(*a*) *Instit. de fidejuss. in princ.*
(*b*) *Inst. de oblig. quæ quasi ex del. §. 1.*
(*c*) *Instit. de obl. §. 2.*
(*d*) *Inst. quib. mod. re contr. oblig. per tot.*
(*e*) *Inst. de verb. oblig. et de inut. stip.*
(*f*) *Inst. de liter. oblig.*
(*g*) *Inst. de oblig. ex cons. et seqq.*
(*h*) *Inst. quib. mod. toll. oblig.*

DE HIPOTHECA, ET PIGNORE.

TITULUS VIII.

Hic agendum venit præsertim de Hipotheca, et etiam Pignore, cum sit unus ex illis contractibus, qui, rei traditione sequuta, perficiuntur.

Hipotheca est: *Bonorum obligatio tacitè, vel expressè ad securitatem crediti.* Hipoteca.

Bonorum obligatio; intellige *immobilium*; nam hipotheca fieri nequit super mobilibus, (*a*) licèt in rigore differentia non sit, nisi tantum sono verborum. (*b*) *Tacitè, vel expressè*; ad denotandum, duplicem esse, tacitam unam, et expressam alteram. Expositio

Expressa hipotheca contrahitur, quando aliquis in instrumento sua bona obligat; hæcque subdividitur in *generalem*, et *specialem*. Prima est: *Omnium bonorum obligatio*: Secunda verò: *Certorum bonorum dumtaxat*. Expressa hipotheca.

Tacita verò hipoteca est: *Quando sine expressis verbis contrahentium, vi, et potestate legis inducitur*; ut mulier quæ habet bona mariti tacitè hipothecata pro dote, &c. De quibus vide latè *in titulis ff. et Cod. In quibus causis pignus, vel hipotheca tacitè contrahatur.* Tacita.

Pignus est: *Contractus, quo res mobilis traditur creditori in securitatem crediti, quæ, eo præsoluto, in specie restituenda est.* Pignus.

Dif-

(*a*) *Instit. de action. §. 7.*
(*b*) *Leg. 5. §. 1. ff. de pign.*

Differt ab hipotheca.

Differt ab hipotheca pignus; nam illa fit de re immobili, et non tradita: Pignus verò, de re mobili, et tradita; dicitur enim pignus à pugno, quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. (*a*)

An posit à creditore vendi.

Pignus potest vendi à creditore, si per pactum sic actum est inter ipsum, et debitorem; nam contractus ex conventione legem accipiunt: Si verò non ita conventum est; debet tunc debitor interpellari à creditore, ut pignus luat, aut sibi persolvat debitum; et si intra tempus à jure præfixum non facit, optime poterit creditor vendere pignus. Vide latè *in tit. ff. et Cod. De distractione pignoris.*

Pactum legis commissoriæ in pignoribus improbatur.

Legis commissoriæ pactum (inferius *Tit. XII. de Pactis* explicandum) si fiat in pignoribus, hoc est, nisi intra certum diem pignus luatur creditoribus, dominium ejus sit penes illos, est à jure improbatum, tamquam bonis moribus disonum: nam pignus majoris momenti esse solet, quam debitum, et debitor necessitate coactus pro parvo, vel exiguo debito res magnæ æstimationis impignorat: sed si conventum fuerit, quod creditor, non soluta quantitate, jure emptionis possideat rem justo pretio æstimandam; tale pactum non reprobatur, quia cessat causa, ob quam repellitur, et cessante causa, cessat prohibitio. (*b*)

Antichryseos pactum reprobatur.

Pactum *Antychriseos*, quo videlicet creditor potest uti pignore, donec ei solvatur debitum, et interim non debeat computare fructus perceptos in extinctionem sortis, est de Jure Canonico reprobatum, tamquam usurarium, (*c*) et solum permissum in aliquibus casibus specialibus. (*d*) Quidquid sit de Jure Civili. (*e*)

DE

(*a*) *Leg.* 238. §. 2. *ff. de verb. sign.*
(*b*) *Leg.* 3. *cod. de pact. pign. Leg.* 16. §. *fin. ff. de pign. cap.* 7. *de pign.*
(*c*) *Cap.* 1. *et* 2. *ubi communiter DD. de usuris.*
(*d*) *Cap.* 1. *de feud. et cap. salubriter* 16. *de usuris.*
(*e*) *Leg.* 11. §. 1. *ff. de pignor. Leg.* 17. *cod. de usuris. Leg.* 1. 2. *et* 3. *cod. de pignor. act.*

DE STIPULATIONIBUS, SIVE VERBORUM OBLIGATIONIBUS.

TITULUS IX.

Visum est de obligationibus, quæ re tradita perficiuntur; nunc igitur rectè sequitur agere de illis, quæ verbis contrahuntur.

Stipulatio. STipulatio est: *Verborum conceptio, quibus qui interrogatur, daturum, facturum se, idem de quo interrogatur respondet.* (*a*)

Expositio. *Verborum conceptio*; quia contrahitur verbis, nempè interrogatione ex parte *stipulatoris*, et responsione ex parte *promissoris*: *Daturum*, *facturum*; nam stipulatio nequit fieri per verba temporis præsentis, sed futuri: *Idem de quo interrogatur respondet*; quippè uterque contrahentium debet esse præsens, et coram interrogare, et respondere. (*b*)

Quot modis fiat. Stipulatio fit: *Purè*: *in diem*: et *sub conditione*. Fit *purè*; idest, sine ulla temporis, vel conditionis adjectione; ut decem dupliones dare spondes? *In diem*; cum præfigitur dies, sive tempus certum, quo pecunia solvatur, vel quod promissum est, fiat; veluti, quinque minas dare promittis die, &c. *Sub conditione*; quando obligatio defertur in aliquem casum; hoc est, si aliquid factum, vel non factum fuerit; veluti, si Titius venerit, decem aureos dare spondeo. (*c*)

(*a*) *Leg.* 5. §. 1. *ff. de verb. oblig.*
(*b*) *Leg.* 3. *et* 10. *cod. de contrah. et com. stip. leg.* 1. *et pass. ff. de verb. oblig. Inst. eod. tit. per tot.*
(*c*) *Inst. de verb. oblig.* §. 2.

Conditio. Conditio est: *Quidam eventus futurus, in quem promissio, sive dispositio suspenditur.* Et est triplex; nempè *Casualis*, *Potestativa*, et *Mixta*. Conditio *Casualis* est, quæ ad aliquem casum incertum refertur; ut si navis venerit. *Potestativa*, cujus eventus pendet ex voluntate personæ; ut si Petrus servum suum manumiserit. *Mixta*, quæ partim ex casu, partim ex personæ voluntate pendet; ut si, Titio Consule, Capitolium ascenderis. (*a*)

Stipulatio quot modis reddatur inutilis. Stipulationes redduntur inutiles: 1. Ratione magni intervalli interpositi; nam facta interrogatione, statim debet sequi responsio: (*b*) 2. Ratione dissensus, vel diversitatis; ut si stipulor unum, et tu promiseris aliud; quia non concurrit utriusque consensus in idem; exempli gratia: *Decem aureos dare spondes si Rex venerit?* et respondes: *Promitto, si non venit.* (*c*) 3. Ratione impossibilis conditionis; nihil enim contrahentes agere existimantur, apponentes eam conditionem, cujus eventum sciant esse impossibilem. (*d*) 4. Ratione turpis causæ; ut si stipulor facere sacrilegium, furtum, homicidium; quippè quod ex turpi promittitur causa, non debetur. (*e*) 5. Ratione metus; ut si per metum stipulor; quoniam non præsumitur consensus. (*f*) 6. Ratione absentiæ; quia nequit contestari ultro, citroque interrogatione, et responsione. (*g*) 7. Ratione tertiæ personæ; ut si dixerim: *Promittis, quod Franciscus dabit mihi quinque?* et respondes: *Promitto*; etenim de se, aut de re sua quem-

(*a*) *Inst. de verb. oblig. §. 4. ubi* Vinnius.
(*b*) *Leg. 137. ff. de verb. oblig. leg. 12. ff. de duob. reis.*
(*c*) *Inst. de inut. stip. §. 5. et 22.*
(*d*) *Inst. de inut. stip. §. 10. Si impossibilis. Leg. 7. et 26. ff. de verb. oblig. Leg. 135. et 185. ff. de reg. jur.*
(*e*) *Inst. de inut. stip. §. Quod turpi 23. Leg. 26. ff. de verb. oblig.*
(*f*) *Leg. 5. cod. de inut. stip.*
(*g*) *Inst. de inut. stip. §. Item verb. oblig.*

quemque promittere oportet, si ipsum obligari volumus. (*a*)

NOTA. Licèt dictum sit, stipulationem reddi inutilem ratione tertiæ personæ; tamen, si promisor, se effecturum, spoponderit, quod alius det, aut faciat; tunc utilis erit stipulatio; non enim alienum, sed proprium factum promittit, et tunc ad interesse tenetur, si, quod promisit, non fecerit. (*b*)

DE FIDEJUSSORIBUS.

TITULUS X.

CUm de principali obligatione actum sit: modò de accessoria tractandum venit, cum etiam verbis contrahatur.

FIdejussor est: *Ille, qui fidem suam pro alio interponit ad majorem creditoris securitatem, principali debitore nihilominus manente obligato.* Fidejussor

Ille; non autem illa; mulier namque fidejubére nequit propter sexus fragilitatem, valleyani beneficio adjuta, prout inferius *Tit. XV.* videbitur: *Qui fidem suam pro alio interponit*; non autem alienam; nam nemo fidem alterius interponere potest fidejubendo: *Ad majorem creditoris securitatem*; ut magis caveatur creditori in suo credito: *Principali debitore nihilominus manente obligato*; quia principalis semper Expositio

(*a*) *Inst. de inut. stip. §. 3.*
(*b*) *Inst. de inut. stip. §. 3.*

teneri debet, aut *naturaliter*, aut *civiliter*; nam sine principali, non potest esse accessorium.

Qui fidejubére possūt et qui neq.

Fidejussores esse possunt omnes, qui non prohibentur à lege: Prohibentur verò illi, qui contrahere nequeunt.

Fidejussio.

Fidejussio est: *Contractus, qui verbis constat, accedens firmandæ obligationis alienæ causa.*

Quid, ut valeat fidejussio requiratur.

Ut valeat fidejussio, requiritur: 1. Quod fidejussor sit habilis ad se obligandum; nam si esset inhabilis, obligatio esset inutilis: 2. Ut per stipulationem obligetur; quia de natura fidejussionis est; itaque sine stipulatione caréret effectu: 3. Quod principalis obligetur, sive naturaliter, sive civiliter; ubi enim non est obligatio principalis, non potest esse accessoria: 4. Ut fidejussor non obligetur in plus, quam principalis; nam fidejussoris obligatio est accessio principali obligationi, nec plus in accessione esse potest, quam in re principali. (*a*)

Plus in fidejussione quot modis sumatur.

Sumitur in jure illud *plus* quatuor modis: 1. *Re*; ut si principalis obligatur in quinque; fidejussor verò in decem: 2. *Loco*; ut si principalis obligatur solvere Barcinone, et fidejussor Gerundæ: 3. *Tempore*; ut si principalis promittit solvere intra quatuor menses; fidejussor autem intra tres: 4. *Causa*; ut si principalis sub conditione; fidejussor verò purè obligatur. (*b*)

NOTA. Licèt fidejussor nequeat obligari in plus, quam principalis; potest tamen obligari efficacius; scilicet, *naturaliter*, et *civiliter*. (*c*)

NOTA. Ad minus bene potest fidejussor obligari, quam principalis; quia non est necesse, ut accessorium adæquet principali. (*d*)

NO-

(*a*) *Inst. de fidejuss.* § 5.
(*b*) *Leg.* 8 § 7. *Leg.* 70 *ff. de fidejuss.* §. 5. *Inst. eod.*
(*c*) *Inst. de fidejuss.* § 1.
(*d*) §. 5. *Inst. Leg.* 34. *ff. de fidejuss.*

NOTA. Ex his colligitur, quod Notarius optime potest conficere instrumentum, in quo fidejussor obligetur cum clausulis guarentigiis, et det hipothecam, licèt principalis sine illis obligetur.

NOTA. Nihil interest ad validitatem fidejussionis, ut Notarius ante firmam principalis fidejussorem recipiat; quia non ad ordinem temporis, sed ad conditionem ipsius obligationis pertinet. (*a*) *Licèt contrarium teneat* Comes. (*b*)

DE ACTIONIBUS.

TITULUS XI.

CUm de Obligationibus visum sit: nunc de Actionibus agendum restat, cum ex Obligationibus, et Contractibus ipsæ nascantur.

ACtio est: *Jus persequendi in judicio, quod sibi debetur.* (*c*) Actio.

Jus; hìc tam significat facultatem agendi jure creditori tributam, quam etiam actum in esse productum: *persequendi*; idest petendi: *in judicio*; idest coram Prætore, vel Magistratu ad quem de ea re cognitio pertinet: *quod sibi debetur*; quia actio ad nihil aliud introducta fuit, quam ut unicuique tri- Expositio

(*a*) Vide ad propositum §. *Ante heredis* 34. *Instit. de legatis.*
(*b*) Com. *tom.* 1. *cap.* 20. §. 11. *n.* 71. *et* 72.
(*c*) *Princ. tit. Inst. de action.*

tribueretur jus ſuum, et eſt medium, per quod ad id pervenitur.

Actionum diviſiones. Actionum diviſiones variæ ſunt; nam alia eſt *Perſonalis*: alia *realis*: et alia *mixta*. Actio *Perſonalis* eſt, quæ naſcitur ex contractu, vel quaſi contractu, ex maleficio, vel quaſi maleficio; ut quando in Perſonam agitur aliquo ex his quatuor titulis. *Realis*, quæ non deſcendit ex contractu, vel quaſi; ſed venit ex rei dominio utili, et directo; Ut quando quis vindicat rem jure pleni dominii, aut utilis tantum. *Mixta* eſt, quæ utramque, ſcilicet, perſonalem, et realem actionem continet; quales ſunt actiones familiæ erciſcundæ, communi dividundo, et finium regundorum (*a*) Actio in rem dicitur *vindicatio*: actio verò in Perſonam *condictio*. (*b*)

Alia diviſio. Alia eſt *directa*: et alia *utilis*. Actio *directa* eſt, quæ ex lege, vel ex verbis legis procedit; ut ex commodato, depoſito, et ſimilibus. *Utilis*, quæ deficiente ſtricta juris ratione, ex æquitate introducitur; ut qui ſervum tuum incluſit, ut fame periret; tenetur utili, ex lege Aquilia, actione. (*c*)

Alia. Alia eſt *ordinaria*: alia *extraordinaria*, et alia *Præſcriptis verbis*. Actio *ordinaria* eſt illa, quæ deſcendit ex contractibus nominatis: *Extraordinaria* eſt illa, quæ deſcendit ex Judicis officio. *Præſcriptis verbis*, quæ naſcitur ex contractu permutationis, et regulariter ex omni contractu innominato.

Alia. Aliæ ſunt actiones *Prætoriæ*: et aliæ *civiles*. Actiones *prætoriæ* ſunt illæ, quas prætor ex ſua jurisdictione comparatas habet, tam in rem, quam in Perſonam, et quas ipſe adinvenit, ac ſuis edictis poſuit. *Civiles*

ſunt

(*a*) §. *Omnium* 1. *et Quædam* 20. *Inſt. de action.*
(*b*) §. 15. *Inſt. de action.*
(*c*) §. *Cæterum* 16. *Inſt. de leg. aquil.*

sunt, quæ à Jure Civili, et ex Civilibus causis suam trahunt originem. (*a*)

Plures aliæ dantur actionum divisiones, quas, cum nobis parum deservire possint, omitto. Si quis tamen eas, singulasque earum naturas cognoscere cupiat; adeat tractatistas.

DE PACTIS, ET EORUM DIVISIONIBUS.

TITULUS XII.

Descendamus ad scrutationem pactorum, quæ apponi solent in contractibus, cujus materia præliminaris est ad tractatus sequentes.

Pactum. PActum est: *Consensus duorum, vel plurium ad idem dandum, seu faciendum alteri ab altero paciscentium.* (*b*)

Expositio. *Consensus* dicit; nam pactum perficitur consensu (*c*) *duorum, vel plurium*; quia in pacto necessarium est, quod sint duo, vel plures, et quod consentiant: *Ad idem dandum, vel faciendum*; quippe si non de dando, vel faciendo partes consentiant; ut si convenerimus, quod homo animal rationale sit, et his similia, non est pactum; nam talis consensus non obligat unum alteri: *Alteri ab altero paciscentium*; si enim consentiatur, quod Titius det alicui contrahentium, non est pac-

(*a*) §. *Sed istæ* 3. *Instit. de action.*
(*b*) *Leg.* 1. §. 2. *ff. de pact.*
(*c*) *Dict. leg.* 1. §. 3.

pactum; quia nemo potest alteri paciſci. (a)

Pactorum ſpecies. Pactorum ſpecies diverſæ ſunt; nempè *utilia*, *inutilia*, *nuda*, *veſtita*, *gratuita*, *non gratuita*, *expreſſa*, *tacita*, *ſubſtantialia*, *naturalia*, *accidentalia*, *ſecundum leges*, *contra leges*, & *præter leges*.

Utilia pacta. *Utilia pacta* ſunt illa, in quibus Perſonæ habiles ad paciſcendum, et ſe obligandum interveniunt, et quæ ſuper rebus fiunt, quæ in contractum deduci poſsunt, et juris ordo ſervatur in eis.

Inutilia. *Inutilia* ſunt, in quibus paciſcuntur Perſonæ inhabiles ad contrahendum, vel agitur de rebus, quæ in contractum cadere non poſsunt, aut juris ordo in illis non ſervatur.

Fiunt 6. modis. Hæc fiunt ſex modis; videlicet: 1. *Per metum*; ut ſi metu mortis, vel periculi coactè paciſcor: (b) 2. *Per dolum malum*; ut quando pactum fit ad alterum decipiendum, calliditate, vel fictione: (c) 3. *Contra conſtitutiones*; ut ſi Advocatus, vel Procurator paciſcatur cum clientulo de quadam parte litis habenda pro ſalario ſuo: (d) 4. *Contra edictum Prætoris*; ut ſi paciſcatur, quod liceat alicui furari abſque pœna: 5. *Contra leges*; ut ſi paciſcatur prædium minoris ſine ſolemnitatibus alienari: 6. *In fraudem*; quando fit pactum non quidem contra verba legis, ſed tamen contra ipſius mentem; et proinde in fraudem legis; ut ſi tutor, qui rem pupilli emere non poteſt, emat eam per interpoſitam Perſonam: Si filiofamilias detur in mutuum, non pecunia, ſed alia res, qua vendita, pecunia uti poteſt, quod eſt in fraudem legis, ſive

(a) §. 4. *Inſtit. de inut. ſtip.*
(b) *ff. Quod metus cauſa per tot.*
(c) *Leg.* 7. §. 11. *ff. de pact. Leg.* 36. *ff. de verb. oblig.*
(d) *Leg. Per diverſas* 22. *cum ſeq. Cod. mand.*

sive S. C. id prohibentis (*a*); utrumque enim est contra legem, et nullum. (*b*)

Nuda pacta sunt, quæ causam non continent, et non valent ad agendum; ne homines facilè verbis leviter prolatis capiantur, et illaqueentur: Sed ad liberandum valent, quia regulariter nudum pactum non parit actionem, sed exceptionem: (*c*) quamquam de jure canonico (quod prius, quam civile, in hac Patria sequimur) pacta nuda etiam actionem producere sit probabilius, (*d*) et communiter Canonistæ (*e*) imò vix nunc inter homines pacta nuda fieri bene advertit *Reiff.* (*f*) Nuda.

Vestita sunt, quæ legis solemnitatibus vallata existunt, ac sunt utilia ad agendum, et obligandum, quæ alio nomine *synallagma*, seu *contractus*, aut *conventiones cum causa* appellantur. (*g*) Vestita.

Pacta autem vestiri nihil aliud est, quam habere causam, virtutem, sive efficaciam obligandi, cum eam alias ex se non habeant; quod fit: 1. *Re*; ut in mutuo, commodato: 2. *Verbis*; ut in stipulatione: 3. *Litteris*; ut in Chirographo: 4. *Consensu*; ut in venditione, locatione; istis enim quatuor modis, talia pacta in effectu nihil aliud sunt, quam ipsi contractus (*h*) 5. *Cohærentia contractus*; ut si gratia, seu occasione alicujus contractus fiat pactum, quod alias esset nudum, dummodo fiat incontinenti; ut si vendas domum, et facias pactum, quod in ea debeas 9. modis fiunt.

(*a*) *Leg.* 3. §. *pen. ff. ad S. C. Maced.*
(*b*) *Leg.* 29. *et* 30. *ff. de legib. Leg.* 5. *cod. eod. cap.* 84. *et* 85. *de reg. jur. in* 6.
(*c*) *Leg.* 7. §. 4. *ff. de pact.*
(*d*) Engel *ad tit. de pact. n.* 10. Reiff. *ib. n.* 31.
(*e*) *Cap.* 1. *de pactis.*
(*f*) Reiff. *dict. loc. n.* 36.
(*g*) *Leg.* 7. §. 2. *ff. de pact.*
(*h*) *Add. leg.* 6. *ff. de pact.*

morari usque ad annum (*a*) 6. *Interventu rei*; ut dabo tibi equum, si mihi des mulam, quod evenit in innominatis contractibus; nam nulla datur actio á principio, nisi postea re interveniente, ac tradita: (*b*) 7. *Rei principio*; ut si Palatium ædificare Reipublicæ promisserim, nuda est promissio, quia est absque causa; sed si construere incepi, teneor opus perficere: 8. *Legis auxilio*; ut in donatione, dote, et similibus, quæ licet nudæ sint; tamen legis auxilio vestiuntur (*c*) 9. *Jurejurando*; ut quando manumissus promittit operas suas jurejurando: Et generalitèr omnia pacta jurata observanda sunt, dummodo juramentum, nec vi, nec dolo sit extortum; et insuper absque dispendio salutis æternæ possint servari. (*d*)

Gratuita. *Gratuita pacta* sunt illa, quibus gratis remittuntur debita, nihil retento.

Non gratuita. *Non gratuita*, quibus aliquo retento reliqua remittuntur; ut in pacto de non petendo.

Expressa. *Expressa* sunt illa, in quibus expresse aliquid fieri, vel dari promittitur.

Tacita. *Tacita* sunt, quæ verbis non exprimuntur, sed ex tacito consensu vi, et potestate legis, ex præsumpta paciscentium voluntate d ecendunt; ut si quis debitori suo cautionem reddat; videtur inter eos convenisse, ne debitum petatur (*e*)

Substantialia. *Substantialia* sunt, quæ fiunt super his, quæ sunt de contractus substantia; ut super *pretio*, vel *re* in venditione.

Naturalia. *Naturalia* sunt, quæ fiunt super his, quæ sunt de natura

---

(*a*) *Leg.* 7. §. 5. *ff. de pact. Leg.* 72. *ff. de contr. emp. Leg.* 13. *cod. de pact.*
(*b*) *Leg.* 5. *per tot. Leg.* 8. *in fin. et passim de præscrip. verb. Leg.* 45. *ff. de pact. Leg.* 3. *et* 6. *cod. de rer. perm. l.* 1. §. 2. *ff. eod. tit.*
(*c*) *Leg.* 35. *cod. de donation.*
(*d*) *Cap. Cum contingat* 28. *de jurejur.*
(*e*) *Leg.* 2. §. 1. *ff. de pact.*

natura contractus ; ut ſuper *evictione* in contractu venditionis.

Accidentalia ſunt, quæ fiunt ſuper illis, quæ non ſunt de ſubſtantia, nec de natura contractus. Accidentalia.

Duo peculiaria pacta addere libet, quæ fieri, ſive addi ſolent in contractu emptionis ; nempe : *Pactum addictionis in diem* : et *Pactum legis commissoriæ*. Fit *primum* cum res venditur, niſi alius intra certum diem meliorem conditionem fecerit ; quod duobus modis fit : 1. v. g. vendo tibi domum, et ſi alius intra tres dies majus pretium offerat ; tunc ſit inempta : et hoc modo eſt pura ; ſed reſolvitur ſub conditione : 2. v. g. vendo tibi equum pro decem, niſi alius offerat quindecim ; et tunc emptio eſt conditionalis. Pactum legis *commissoriæ* eſt cum contractui emptionis adjicitur, ut niſi pretium ſolvatur certa die, res ſit inempta ; et tunc venditio eſt pura ; ſed reſolvitur ſub conditione. (*a*) Addictionis in diem, et legis commiſſoriæ.

Secundum leges pacta ſunt illa, quæ fiunt ſecundum legis diſpoſitionem ; ideſt, inter Perſonas, quæ paciſci, et ſe obligare, et ſuper rebus, quæ in contractum deduci poſſunt. Secundum leges.

Contra leges ſunt illa, per quæ promittitur aliquid, quod à lege expreſsè prohibetur ; ut vendere rem Saeram. &c. Contra leges.

Præter leges pacta ſunt illa, quando aliquid promittitur, quod directè, et nullo modo prohibetur ; ut ſi promitto factum alienum, quod ſi non adimpleatur, pœnam ſubdo ; tunc, licet principale non valeat, quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri ; tamen pœnæ promiſsio, quæ etiam principalis conſideratur, valet, dummodo concipiatur in Perſonam ſtipulantis. (*b*) Præter leges.

(*a*) *Vid. leg.* 1. *et* 2. *et paſſ. ff. de in diem addic.* Vid. etiam *tit. ff. de leg. comm. et leg.* 1. 4. *et ſimiles eod. de pact. inſt. emp.*

(*b*) *Inſt. de inut. ſtip. §.* 3. *et Alteri* 18, *et ibi* Vinn.

DE POENIS.

TITULUS XIII.

CUm in contractibus, et pactis per conventionem pœna apponi ſoleat; de ea nonnulla dicere hic opus erit.

Pœna. POEna eſt: *Quædam conventionalis ſtipulatio, quæ in contractibus, et pactis imponitur, ut ſi quis contravenerit, ea puniatur.*

Expoſitio. *Quædam conventionalis*; quia pœna in inſtrumento debet apponi de partium voluntate, et Tabellio interrogare debet partes, quanta ſit pœna: *Stipulatio*; nam ſi pœna promittitur abſque ſtipulatione, non valet. *Cætera* dictæ definitionis verba apponuntur ad denotandum, partes puniri debere in pœna promiſsa, ſi promiſsum non adimplent.

NOTA. Finis apponendi pœnam ad nihil aliud eſt, niſi ut conventiones, et pacta ſincérius, et melius ſerventur (*a*), et ut contrahentes releventur ab onere probandi intereſse in caſu contrafactionis. (*b*)

NOTA. Pœna in pactis, quæ fiunt ſecundum leges, benè valet, et peti poteſt res, aut pœna; et ſi conventum eſt, utrumque peti poteſt: Attamen in pactis contra leges non valet; quia ubi principalis obligatio ſubſiſtere nequit, neque acceſsoria. (*c*)

NOTA. Si in contractu mutui pœna apponatur; magna eſt ſuſpicio, eam in fraudem uſurarum eſse appo-

(*a*) *Cap. 4. in fin. de arb.*
(*b*) *Inſt. de verb. oblig. §. 7. leg. 38. §. Alteri 17. ff. de verb. oblig. leg. fin. ff. de præt. ſtip. §. Alteri 18. Inſt. de inut. ſtip. l. 68. et 71. ff. de verb. oblig.*
(*c*) *Leg. 61. et 69. ff. de verb. oblig.*

appositam. De requisitis, et conditionibus ad cognoscendum, an in tali pœna, quæ *moratoria* appellatur interveniat usura; et sic, ut sit, aut non sit licita tractat Reiff. (*a*)

NOTA. Si apponatur pœna per hæc verba: *Duplum, triplum, quadruplum*, &c. Non valet; pœna enim nunquam excedere debet duplo, triplo, quadruplo, eo quod debetur; sed una, et simplex esse debet; (*b*) nam certum est, pœnam non debere esse supra modum usurarum, seu immoderatam; (*c*) et etiam promissorem non subire periculum ultra duplum. (*d*)

DE INSTRUMENTIS.

TITULUS XIV.

Sequitur hic de Instrumentis agere, ad ostendendum obligationes, quæ litteris contrahuntur.

Instrumentum.

INstrumentum est: *Quædam scriptura solemnis, et publica manu publicæ Personæ ad probationem negotii memoriæ causa perpetuo facta* (*e*) Agitur etiam de hac materia, fide videlicet, et solemnitate instrumentorum *in auth. de instrum. cautel. &c. Coll. 6. quæ est*

(*a*) Reiff. *multis citatis ad tit. de usuris §. 5.*
(*b*) *Leg. 44. ff. de usuris.*
(*c*) *Leg. un. cod. de Sen. quæ pro eo quod inter prof.*
(*d*) Perez *hoc optime explicat dict. tit.* Adde Vinn. *ad §. Alteri* 18. *Inst. de inut. stip. n. 3.*
(*e*) *Cap. 2. ubi Glos. & DD. de fid. instrum.*

est Novell Justin. *const. 73. ubi vide ; et in leg. ult. cod. de edict.* Div. Adrian. *toll. tractant etiam* Canonistæ *in tit. de fid. instrum.*

Expositio

Quædam scriptura ; et non *omnis* ; nam non omnis scriptura publica est : *Solemnis* ; nempè, cum solemnitatibus debitis, et à jure requisitis ; nam sine solemnitatibus non valéret : *publica* ; hoc est, cum publicationibus quæ reddunt instrumentum publicum, et fidedignum : *Manu publicæ personæ* ; id est, Notarii manu, qui est persona publica ad instrumenta recipienda, et authenticanda, et testibus etiam adhibitis ; *Ad probationem negotii* ; ut quis per scripturam legitimè de jure suo probet : *Memoriæ causa perpetuo facta* ; nam scriptura ista fit, propter memoriam perpetuam habendam.

Instrumẽtorũ speçies.

Instrumentum est quintuplex ; nempè : *Publicum* : *Privatum* : *Apoca* : *Antapoca* : et *Forense*.

Publicum instrumẽtum.

Publicum est illud, quod manu publici Notarii factum est : Et ut possit dici publicum instrumentum, debet habére publicationes, quæ in instrumentis apponi solent.

Privatũ.

Privatum est illud, quod manu privatæ personæ factum est ; Et illorum tres sunt species ; nempè : *Chirographum* : *Liber rationum* : et *Epistola*. Et dicuntur instrumenta privata, quia à privatis (hoc est particularibus, et non publicis) personis fiunt : quæ nisi certis adminiculis adjuventur, non sufficiunt ad probationem, (*a*) nisi solum contra ipsum scribentem. (*b*)

Apoca.

Apoca est scriptura facta de receptis per creditorem debitori : Et per eam ostendit, eum solvisse, quod sibi debebat ; et hæc fit ad utilitatem debitoris.

Antapoca.

Antapoca est scriptura facta de solutis per debitorem confitentem se solvisse nomine pensionis tot libras

(*a*) *Leg. 5. et 7. cod. de probat. leg. scripturas* 11. *cod. qui potior in pign.*
(*b*) *Leg. 25. §. ult. ff. de probat.*

bras occasione certi censualis mortui, et hæc fit ad utilitatem creditoris. De Apoca, et Antapoca videre poteris *in tit. eod. de fid. instrument.* : : : et de Apochis, et Antapochis, *precipuè in leg. plures* 19.

Forense est illud, quod est confectum de his, quæ fiunt in foro, idest in Judicio: Puta acta quæ fiunt per Tabellionem, apud, coram, vel ex mandato Judicis.(a) Forense.

NOTA. Attamen strictè loquendo, Instrumentum est duplex: *Publicum* scilicet, et *Privatum.*

In quolibet instrumento requiruntur duo: 1. *Solemnitates*, sive *publicationes*, quæ publicum, authenticum, et fidedignum illud reddunt; et sunt: *Dies, mensis, annus, locus, testes, et Tabellionis subscriptio*; quæ omnia in eo necessaria sunt, quibus adhibitis, plenam habet fidem. (b) Adde solemnitatem præponendi omnibus instrumentis publicis nomen Dei, et Sanctissimæ Trinitatis; imo et Regis, Papæ, Imperatoris. (c) De quibus, et aliis diversæ sunt locorum consuetudines. Et in Cathalonia extat pragmatica, et postea facta constitutio Dom. Regis Petri III. (d) Qua cavetur, annum semper incipere, et computari à die Nativitatis D. N. J. Ch., et sic apponi in omnibus instrumentis: Imo, et locum, et annum, et mensem, et diem modo computandi vulgari, non per idus, nonas, et chalendas, more Romanorum: *Aliud*, quod requiritur in instrumento, est negotii tenor, sine quo nihil esset. Quæ requirantur in instrumentis.

Instrumentum Guarentigiatum est illud, quod ex privilegio, sive statuto paratam habet exequutionem, ita Instrumentum Guarentigiatũ.

(a) *Cap. quoniam* 11. *de probationibus. et L.* 20. *cod. de fid. instrum.*
(b) *Cap. inter dilectos* 6. *de fid. instrum. et ibi glos.. et DD. cap.* 1. *et* 2. *eod. tit. Novell.* Justin. 44. 47. 73.
(c) *Can.* 1. *dis.* 23. *can.* 1. *dis.* 73. Reiff. *ad tit. de fid. instrum. n.* 17. Covarr. *pp. qq. cap.* 19. 20. 21.
(d) *Lib.* 4. *tit.* 15. *de fe, auctoritat, è calendari de cartas. const.* 1.

itaut ejus vigore competat actio sine strepitu, et figura judicii de facto incipiendo ab exequutione reali, et personali. (a)

Guarentigia. *Guarentigia* est præceptum quoddam quod fit per Notarium de instrumento rogatum, ex potestate sibi ab statuto concessa, parti roganti, ut observet in illo instrumento contenta.

NOTA. Licet instrumentum exequutionem paratam non habeat, et via ordinaria prosequendum sit: Tamen in hac Provincia Cathaloniæ, si conceptum est cum clausulis guarentigiis, quas vocamus *Scripturam tertii*; tunc paratam habet exequutionem, et via exequutiva proceditur: nisi aliter partes convenissent. De quo instrumento et ejus requisitis, Praxi &c. Et quare *scriptura tertii* appelletur, vide Ripoll *in prax. Vic. Barc. rub.* 16. *de retroclamis expon.* Canc. *var.* 2. *cap.* 3. *per tot.*

NOTA. Notarius, si partes non convenerint, nequit, tanquam de consuetudine continuare in instrumentis scripturam tertii, saltem quo ad obligationem Personæ, (b) quia est odiosa. (c)

NOTA. De Jure Patriæ, seu per Constitut. Cathaloniæ (d) Mulier pro debito civili capi nequit; et propterea instrumenta continentia, quod Mulier Personam suam obligat, sunt nulla, quo ad obligationem, et Notarius qui receperit simile instrumentum, privatur officio: Nec Miles, nec illi, qui gaudent privilegio militari, possunt Personam obligare, vigore alterius Constit. Cath. (e) licet sit in instrumento depositi.

NO-

(a) Canc. *var.* 2. *cap.* 3. *n.* 6. *et* 7.
(b) Canc. *var.* 1. *cap.* 14. *n.* 43.
(c) Canc. *var.* 2. *cap.* 3. *n.* 2.
(d) *Lib.* 4. *tit.* 16, *de accions, y obligacions constit.* 8.
(e) *Lib.* 4. *cod. tit. const.* 1. *et fin.*

NOTA. Notarius nequit instrument um recipere, si partes convenissent, ut creditor propria auctoritate possit capere debitorem, et carceribus illum mancipare; nam esset tribuere personæ particulari jurisdictionem, quod est à lege improbatum. (*a*)

NOTA. Scriptura publica, sive privata debiti confessionem continens, si est sine causa, non probat, nec valet tamquam indiscreta: (*b*) Sed si facta sit in instrumento guarentigio, valet; quia est instar confessionis judicialis, quæ sine causa valet. (*c*)

NOTA. De Jure Cathaloniæ in quolibet instrumento, ad illius validitatem duo sufficiunt testes. (*d*) pro ut in Apparatu annotavi. Idem dic de Jur.Can. (*e*)

DE RENUNTIATIONIBUS, ET DECLARATIONIBUS BENEFICIORUM, ac privilegiorum Juris, quæ in instrumentis apponuntur; quibus renuntiari liceat, et quibus non.

TITULUS XV.

RENuntiatio est: *Juris, beneficii, auxiliivè à lege permissi, vel competentis remissio.* Renuntiatio.

Est duplex; nempè: *Generalis*; ut quando renuntiatur omnibus juribus, exceptionibus, beneficiis, omnium legum auxilio: Et *Specialis*; ut quando expressis, Quotuplex sit.

(*a*) Canc. *var* 2. *cap.* 3. *n.* 3.
(*b*) *Leg.* 25. §. 1. *ff. de prob. cap. Si cautio* 14. *de fid. instrum.* Canc. *var.* 2. *cap.* 8. *n.* 99.
(*c*) Canc. *var.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. *et seqq. et n.* 74.
(*d*) *Lib.* 3. *tit.* 15. *de testimonis usat.* 3. *et* 6.
(*e*) *Cap. Licet universis* 23. *de testibus.*

sis, certisque quibusdam juribus, aut beneficiis renuntiatur.

Differentia inter generalē, et specialem.

Differentia inter ipsas talis est; nam *generalis* facta in casibus, ubi *specialis* à lege requiritur, nihil præjudicat; *specialis* autem omninò præjudicat, et animum renuntiantis manifestè indicat, talem fuisse, qualem ipsa verba exprimunt: Etenim juris regula est, expressa nocére, et non expressa non nocére. (*a*)

NOTA. Tabellio ratione sui muneris debet renuntiantem plenè informare de effectu, seu beneficio juris, cui renuntiat; maximè si sit mulier, rusticus, vel alia Persona juris ignara; quia renuntiari nequit juri, quod quis sibi competere ignorat: Et ideo, si contrarium reperiretur; hoc est, quod in instrumento extenderet renuntiationem, et revera si sic non esset, Notarius puniretur. (*b*)

NOTA. Quando quis renuntiat alicui particulari beneficio sibi competenti, (subjecta præterea generali renuntiatione) videtur omnibus aliis beneficiis ei attingentibus renuntiasse; quia expressio particularis indicat, animum esse renuntiandi omnibus aliis beneficiis particularibus, licèt non expressis; sed hæc est mera præsumptio, quæ cedit veritati.

Beneficium

Beneficium est: *Quod in favorem unius, et odium alterius introductum est.*

Beneficium cessionis bonorum.

Beneficium cessionis bonorum.

BEneficium istud est introductum in favorem *illorum*, qui solvendo non sunt, et in odium *creditorum*, qui possunt instare solutionem. Et debitor cessione carcerem evitat, quia nemo tenetur nisi in quantum facere queit. (*c*) Com-

(*a*) *Lex* 195. *ff. de reg. jur.*
(*b*) Comes *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 12. *et seqq.* Gali *fol.* 81. *in princ.*
(*c*) *Leg.* 1. *et ibi not. cod. Qui bonis ced. &c.*

Competit hoc beneficium eis, qui ad aliquid dandum, vel ſolvendum adſtricti ſunt, non autem ad faciendum; quia tunc non gaudent beneficio; nam quando quis tenetur ad factum, impotentia nequit allegari, quippe poſsibile eſt ſibi facere. Nec ſubvenit, ſi ex delicto obligatio deſcendit. (*a*) Quibus competat.

NOTA. Hoc beneficium abſolutè non eſt renuntiabile; quia nemo eſt dominus membrorum ſuorum; ſed ſi adſit conſuetudo, vel ſtatutum, ut quis poſsit ad carcerem perſonam ſuam obligare, ut in hac Provintia, tunc valet renuntiatio.

NOTA. In præſenti Cathaloniæ Principatu, ſi quis eſt obligatus cum clauſulis guarentigiis in inſtrumento, non liberatur à carceribus per ceſsionem bonorum, et ſemper habet paratam exequutionem. (*b*)

Beneficium Cap. Odoard. 3. extra de Solutionibus.

ISTud beneficium conceſsum eſt *Eccleſiaſticis*, ſi ſolvendo non ſint, et juratoriam (ſi ad pinguiorem venerint fortunam) cautionem præbeant. Beneficiũ C. Odoar. de Solut.

Et competit, nedum Eccleſiaſticis Perſonis, verum etiam parentibus contra liberos: Marito contra Uxorem: Socero contra Generum: Donatori contra Donatarium: Socio contra Socium: Patrono contra Libertos: Cedenti bona; et generaliter omnibus, qui habent beneficium vulgo dictum *Competentiæ*, quod conſiſtit, ut quis conveniatur dumtaxat in quantum facere poteſt; hoc eſt, quod illi ſemper debet remanére intacta congrua ſuſtentatio; nam ultra id non cenſetur facere poſse, ſeu poſse ſolvere. (*c*) Quibus competat.

(*a*) Canc. *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 52.
(*b*) *Lib.* 4. *tit.* 15. *de accions, y obligacions prag.* 8. *et* 10. *in* 2. *volum.*
(*c*) *Inſt. de action.* §. 36. *et ſeqq.*

NOTA. Huic beneficio Clerici non valent renuntiare, quia est concessum statui Clericali; sicuti, nec ptivilegio Fori, aut Canonis. (*a*) Cæteri autem, præcipuè accedente juramento, renuntiare possunt.

Beneficium S. C. Macedoniani.

Beneficiū S. C. Macedon.

BEneficium istud est: *Quoddam jus inventum*: 1. In odium *fœneratorum*, seu creditorum fœnerantium: 2. In favorem *filiorumfamilias*, scilicet, ut isti, parentes, heredesque, ac fidejussores sui non teneantur de pecunia ipsis filiis mutuata sine patris consensu.

Unde dicatur.

Dicitur *Macedonianum* á quodam Macedone pessimo fœneratore, qui suas pecunias sub usuris filiisfamilias mutuabat, istique postea pecuniis abutentes, non solum corruptos mores induebant; sed etiam oppressi ære alieno, vitæ parentum insidiabantur, ut ex hereditate paterna possent debita solvere. (*b*)

Quibus competat.

Competit, nedum filiisfamilias, ac eorum heredibus, et parentibus; verum etiam illorum fidejussoribus; cum regressum essent habituri contra filium debitorem; nam tunc quo beneficio fruitur principalis, eodem gaudet et fidejussor. (*c*)

Quid requiratur, ut competere possit

Ut competat, est necessarium: 1. Quod accipiens, tempore acceptæ pecuniæ, sit filiusfamilias, quia in ejus favorem fuit constitutum; secus si sui juris factus pecuniam accepit; nam inspicitur tempus numerationis. (*d*) 2. Quod accipiat pecuniam, seu aliquam aliam rem, ut, ea distracta, utatur pecunia; nam si ad alium effectum rem sumpsisset, supersederet Macedonianum, nisi data in fraudem esset. (*e*) 3. Quod ex causa mutui

(*a*) Engel *ad tit. de solut. n.* 1.
(*b*) *Inst. quod cum eo* §. 7. *ubi DD. leg.* 1. *ff. de S. C. Maced.*
(*c*) *Leg.* 1. 7. 9. §. 3. *ff. de S. C. Maced.*
(*d*) *Leg.* 3. §. *ult. ff. de S. C. Maced. cum leg. seq. ejus tit.*
(*e*) *Leg.* 3. §. 3. *ff. de S. C. Maced.*

mutui, et non alia accipiat. 4. Quod absque patris consensu accipiat; hoc enim beneficium tendit principaliter in favorem parentum, et ne illorum substantia expendatur, et dissipetur; quapropter, si pater consensum præstaret, juri suo renuntiare videretur; ut est expressum *in verbis S. C. quæ ponuntur in leg. 1. ff. de S. C. Maced.*

Quando non subveniat.

Attamen beneficium istud non subvenit: 1. Si filiusfamilias per mendacium, se patremfamilias esse, dixerit. (*a*) 2. Si mutuatur ei res, quæ consistit in pondere, vel mensura; ut frumentum, vinum, oleum, &c. (*b*) 3. Si accipiat pecuniam, ut liberetur à creditore, à quo aliter nequit liberari. (*c*) 4. Si pecunia mutuata in utilitatem, ususque patris convertatur. (*d*) 5. Si studii causa, vel se alendi mutuum accipiat. (*e*) 6. Si pater ratum habet, vel consensum præstat, aut præsens fuit, et non contradixit; nam qui prohibere potest, et non prohibet, non contradicens his quæ fiunt, assentiri videtur. (*f*) 7. Si justè credebatur, filium esse patremfamilias; etenim publicis patrum muneribus fungebatur; (*g*) justus enim error creditorem excusat.

NOTA. Idem quod de filiisfamilias dictum est, venit intelligendum de nepotibus; quia isti in materia favorabili veniunt comprehensi sub nomine filiorum. (*h*)

NOTA. Beneficio Macedoniani renuntiari nequit;

(*a*) *Leg. 1. cod. ad S. C. Maced.*
(*b*) *Leg. 3. §. 3. ff. de S. C. Maced.*
(*c*) *Leg. 7. §. 14. ff. de S. C. Maced.*
(*d*) *Leg. 2. cod. ad S. C. Maced.*
(*e*) *Leg. 5. cod. ad S. C. Maced. Leg. 7. §. 13. ff. eod. tit.*
(*f*) *Leg. 3. ff. de S. C. Maced. Leg. 2. 4. et 7. cod eod. tit.*
(*g*) *Leg. 3. ff. de S. C. Maced. Leg. 2. cod. eod. tit.*
(*h*) *Leg. 6. §. 1. cod. ad S. C. Maced. Leg. 14. ff. eod.*

quit; quia non tam inductum est in favorem filii, quam in odium creditorum, quod privata non tollit renuntiatio; (a) et ultra, quia renuntiando daretur ansa delinquendi. (b)

Beneficium S. C. Velleiani.

Beneficiū S. C. Velleiani.

BEneficium istud est: *Quoddam jus inventum in favorem mulierum.*

Quæ requirantur ut mulier gaudeat hoc beneficio.

Ut vero mulier gaudeat hoc beneficio, duo requiruntur: 1. Quod mulier se obliget: 2. Quod obliget se pro alio, v. g. fidejubendo, aut aliàs alienæ obligationi accedendo. Et beneficium stat in hoc, quod ex talibus contractibus mulieres non tenentur: Sed si mulieres non faciant obligationem, sed aliquid dent, aut obligationem quidem faciant, non tamen pro alio, sed pro ipsis; tunc non juvantur beneficio Velleiani, quia Velleianum voluit providere fragilitati mulierum, quæ facilius obligantur, quam faciunt; et in obligationibus contrahendis, si sint alienæ, et eis solum accedant, facilius decipiuntur; quare hoc beneficium principaliter est, ne mulieres ex fidejusione teneantur. (c)

Quando non possit

Mulier autem hoc beneficio non juvatur: 1. Si expresse certiorata huic beneficio renuntiaverit, cum sit favorabile, et introductum in favorem mulierum intercedentium: favori autem suo, vel pro se inducto, quivis renuntiare valet; ad discrimen Macedoniani, quod, ut diximus, inventum fuit non tam in gratiam filii, quam in creditorum odium. (d) 2. Si inter-

(a) *Leg. 45. §. 2. ff. de reg. jur.*
(b) Engel; et quos ipse pro contraria citat *ad tit. de pactis n. 41.*
(c) *Tit. ff. et cod. ad S. C. Vellei.*
(d) *Leg. fin. §. pen. ff. ad S. C. Vellei. leg. 21. cod. eod. tit. auth.* Matri, *cod. Quando mulier tut. off.*

interceſserit in rem ſuam; puta pro eo, qui mandato ſuo obligationem ſuſceperat. (*a*) 3. Si accepit pretium, vel aliquid loco pretii pro interceſsione. (*b*) 4. Si pro dote alicujus mulieris interceſserit. (*c*) 5. Si ex intervallo biennii rurſum ſeſe obligaverit; ut ſi contraxit, et poſt biennium rurſum contraxerit; quippè ſibi imputari debet, quod ultrò firmavit, quod ſæpe cogitare, et evitare poterat; dummodo tamen ſit perfectæ ætatis. (*d*) 6. Si heres ex poſt facto fieret ejus perſonæ, pro qua fidejuſsit; nam ex quo ejus lucrum ſentit, ejus factum præſtare debet. (*e*)

NOTA. Si mulier medio juramento fidejuſserit, cenſetur beneficio Velleiani renuntiaſse. (*f*) Conſultius tamen eſt, ut etiam tunc à Notario admoneatur de ſuo beneficio; et inſuper Notarius de hoc fidem faciat expreſsè, ut moris eſt.

Authentica, Si qua Mulier, *Cod. ad Velleianum.*

AUthentica iſta eſt: *Aliud juris auxilium, ſeu beneficium mulieribus competens*, ſumptum ex Autentica incipienti: *Si qua mulier posita, Cod. ad Vell.* Authentica, *Si qua Mulier*,

Competit autem mulieri conſentienti obligationi mariti, vel ſe, aut ejus bona pro viro ſuo obliganti; quod etiam ſi ſæpe, et iteratò faciat, ſive publico, ſive privato inſtrumento, nulla eſt *ipso jure* obligatio, Cui competat.

(*a*) *Leg.* 13. *ff. ad S. C. Vell.*
(*b*) *Leg.* 23. *cod. ad S. C. Vell.*
(*c*) *Leg.* 25. *cod. ad S. C. Vell.*
(*d*) *Leg.* 22. *cod. ad S. C. Vell.*
(*e*) *Leg.* 8. §. 12. *ff. ad S. C. Vell.*
(*f*) *Cap.* 9. *de jurejur.*

tio, nisi manifestè probetur, quod pecuniæ in propriam ipsius utilitatem mulieris expensæ sint.

Quando non possit

Non subvenit verò, quando pecunia in utilitatem, remque mulieris conversa est.

NOTA. Licèt dicta Authentica loquatur expressè, quando mulier consentit obligationi mariti, aut sè, vel bona sua pro eodem obligat: Tamen idem est intelligendum, si mulier se obligat pro aliis, qui maritum jure potestatis contingunt. (*a*)

Authentica, Sive à me, *Cod. ad Velleianum.*

Authentica, *Sive à me*, Cod. ad Vell.

HÆC Authentica prohibet álienationem bonorum per maritum, sive per alium, propter nuptias uxori suæ datorum: et ideo, ut valeat talis alienatio, debet fieri cum mulieris consensu, et ejusdem jurata renuntiatione, cum qua habet effectum, saltem de Jure Canonico; (*b*) et sic in præsenti Principatu, ubi prius, quam Jus Civile est observandum.

Beneficium juris hipothecarum.

Beneficiu Hipothecarum.

HIpothecarum beneficium est: *Jus competens uxori in bonis mariti pro dote, et pro donatione propter nuptias*; nam omnia bona viri sunt tacitè obligata uxori, statim dote tradita marito, et ipsa omnibus creditoribus, etiam anterioribus, et tacitas hipothecas habentibus præfertur: quod privilegium de jure competit mulieri; intellige tamen, quod pro donatione propter nuptias, habeat quidem tacitam hipotecam,

(*a*) Comes *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 33.
(*b*) *Arg. cap.* 28. *de jurejur. imò et Jure Civili auth. Sacram. pub. cod. Si adv. vend.*

thecam, non autem prælationem, ſicut pro dote. (*a*)

NOTA. Renuntiatio hujus juris habet locum, quando maritus vendit, ſeu alienat rem hipothecatam pro dote uxori; cui contractui ipſa conſentit; aut quando ſimul cum marito alienat.

NOTA. Iſti beneficio poſſunt renuntiare creditores tacitas, vel expreſsas hipothecas in bonis debitoris habentes: et poteſt etiam mulier eidem beneficio, ſaltem medio juramento, renuntiare; (*b*) et valet renuntiatio, dummodo marito ſuperſint bona æquivalentia, ex quibus mulier in dote ſua poſsit ſatisfieri; et quamvis renuntiatio juramento vallata ex juris rigore omnino valida ſit, licèt marito non remaneant bona; tamen ex æquitate contrarium obſervari debere aiunt DD. (*c*); ne mulier indotata maneat, ac læſa ſit. Propterea conſulerem obligationem faciendam à muliere tam pro viro ſuo, quam pro aliis non excedere medietatem dotis; et quod de eo Tabellio mentionem faciat in contractu; et hoc modo, non tantum conſulitur mulieri, ſed etiam creditori; nam evitatur ardua quæſtio, an indiſcreta, ac individua de tota dote obligatio debeat ad vires dimidiæ partis ſuſtineri.

NOTA. Si mulier obligatur cum marito in mutuo, vel depoſito, non tenetur ſolvere, dum illius bona ſufficiunt; imò creditor contra ipſum dumtaxat manum injicere valet; et in defectu bonorum, ad dimidiam partem tantummodo tenetur; et tunc quantumcumque juraverit, et renuntiaverit dictis beneficiis. (*d*)

(*a*) *Inſt. de action.* § Fuerat 29. *cap. ex litteris.* 5. *de pignor. Leg. Aſsiduis* 11. *cod. qui potior. in pign.* Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 16.

(*b*) *Leg.* 11. *et* 21. *cod. ad S. C. Velleï.* Canc. *var.* 3. *cap.* 15. *n.* 99. *Cum ſeqq.*

(*c*) Canc. *dict cap. n.* 106. *et ſeqq.* Ludovicus *deciſ.* 321. Savel. *in ſum. diverſ. tract.* §. Mulier, *n.* 20. *et* 21.

(*d*) *Cap.* 11. *tit.* 13. *Conſuet. Barc. Recognov. Proceres.*

Lex Julia de fundo dotali.

Lex Julia de fundo dotali.

HÆC lex, in favorem *mulierum* introducta, prohibet fundi dotalis alienationem, ne earum dotes pereant, quibus facilius maritum inveniant: Ideoque, ut valeat talis alienatio, uxor dictæ legi renuntiare debet cum juramento. (*a*)

Beneficium minoris ætatis, et restitutionis in integrum.

Beneficiū minoris ætatis, et restitutionis in integrum.

ISTud beneficium *minoribus* viginti quinque annis competit super contractibus per ipsos factis tempore suæ minoris ætatis, si læsi, aut decepti inveniuntur: Et hoc beneficio restituuntur in eum statum; in quo erant ante contractum.

NOTA. Habet autem locum, si hanc restitutionem ante vigesimum nonum annum suæ ætatis petierint; hoc est, integro quadriennio post completam minorem ætatem; ut dictum est supra: *De restitutione in integrum* &c.

NOTA. Huic beneficio renuntiari potest, et valet renuntiatio, maxime cum juramento. (*b*)

Beneficium Novæ Constitutionis de pluribus reis debendi.

Nova Cōstitutio de plurib. reis stip. & prō.

BEneficium istud datum est *Correis* debendi *per Novell.* 99. Justin. *sive Auth.* Hoc ita, *cod. de duob. reis* &c.

(*a*) *Leg.* 4. *ff. de fundo dot. leg. unic.* §. Et cum Lex Julia 15. *cod. de rei vxor. action. Leg.* 2. *cod. de jure dot. Inst. quib. alien. licet, vel non, in princ. cap. Cum contingat* 28. *de jurejur. cap.* 10. *dict. tit.* 13. *Recog. Proc.*

(*b*) *Leg.* 1. *et Auth.* Sacramenta, *cod. Si adverſ. vend.* Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *n.* 192.

reis &c. Et disponit. Quod licet duo, vel plures obligentur insolidum ad alicujus quantitatis solutionem; non debet unus correus insolidum conveniri, si alii correi præsentes, et solvendo sint, nisi pro sua parte solummodo.

NOTA. Habet locum hoc beneficium in contractibus omnibus in quibus duo, aut plures insolidum obligantur: Et, si renuntient dictæ constitutioni, non competit eis dictum beneficium cum sit favorabile. (*a*)

NOTA. Ante istam constitutionem liberum erat creditori recuperare ex uno totum debitum. (*b*)

Consuetudo Barchinonæ loquens de duobus, vel pluribus insolidum se obligantibus.

IPsa consuetudo sancit, quod si sint duo, vel plures debitores principales insolidum obligati ad aliquam quantitatem, vel rem, non tenentur solvere, nisi unam partem, etiam si novæ constitutioni renuntient; exceptis casibus, quando reliqui debitores absentes, aut agentes, seu non solvendo inveniuntur; nam tunc tenerentur pro toto. (*c*)

Consuetudo Barc. de duobus vel pluribus, &c.

NOTA. Ut duo; vel plures insolidum teneantur, nedum debent renuntiare dictæ novæ constitutioni; verum etiam proximè dictæ consuetudini, aliás non tenerentur nisi pro parte. (*d*)

(*a*) *Leg. pen. cod. de pactis.*
(*b*) *Leg. 2. ff. de duob. reis constit.*
(*c*) *Cap. 8. tit. 13. Recognvv. Procer.*
(*d*) *Argum. ex d. cap. 8. eod. tit.*

Epistola Divi Adriani.

Epistola D. Adriani.

HÆC Epistola est quædam lex, cujus beneficium attingit *duobus*, seu *pluribus* fidejusoribus; et dicit, quod si plures fidejusores sunt idonei ad solvendum, id est, quod præsentes sint, et solvendo, unusquisque pro virili tantum parte sibi contingenti debet conveniri, nisi istæ Epistolæ renuntiaverint. (*a*)

NOTA. Ipsa renuntiatio locum habet in omnibus contractibus, ubi duo, vel plures fidejubent, aut se constituunt fidejusores. (*b*)

Nova constitutio de fidejusoribus.

Nova Constitutio de fidejusoribus.

ISTud beneficium, quod etiam vocatur *excussionis*, spectat ad *fidejussorem*, scilicet, si aliquis pro altero fidejusit, et postea fidejusorio nomine conveniatur, petere potest, principalem suum prius excuti, et conveniri, si sit præsens, et solvendo; quod beneficium fidejusori concessum est de novo *per auth. præsent. cod. de fidejuss.* antea enim erat in arbitrio creditoris, quem vellet, reum, aut fidejusorem prius convenire. (*c*)

In quo differat ab Epistola.

Differt autem ab Epistola, cum hæc tantum sit, ut pro virili quilibet fidejusor conveniatur; et ipsa nova constitutio, ut prius excutiatur debitor principalis, quam fidejusor.

NOTA. Huic beneficio renuntiari potest, et habet

(*a*) *Inst. de fidejuss. §. 4.*
(*b*) *Leg. ult. cod. de const. pecun.*
(*c*) *Leg. 3. et 5. cod. de fidejuss.*

habet locum in omni contractu, in quo quis pro alio constituitur fidejusor.

NOTA. Ante novam constitutionem creditor poterat convenire quem maluerat, aut principalem, aut fidejusorem: Et similiter ante Epistolam *D. Adriani* quilibet ex pluribus fidejusoribus tenebatur insolidum.

Consuetudo Barchinonæ loquens de duobus, vel pluribus fidejussoribus insolidum se obligantibus.

Nova Cõstitutio de duobus, vel pluribus fidejusoribus, &c.

IPsa Consuetudo præscribit, quod si sunt duo, vel plures fidejusores insolidum obligati ad aliquam quantitatem, vel rem; non tenentur solvere, nisi virilem partem, licet renuntiaverint Epistolæ *Divi Adriani*; exceptis casibus, quando reliqui fidejusores absentes, vel non solvendo sunt; nam tunc pro toto tenentur. (*a*)

NOTA. Ad hoc. ut duo, vel plures fidejusores insolidum remaneant obligati, debent etiam, ultra dicta beneficia, renuntiare dictæ consuetudini de fidejusoribus; alias obligatio non valéret, nisi pro parte. (*b*)

Ceden-

(*a*) *Cap. 9. tit. 13. Recognov. Proc.*
(*b*) *Arg. ex dict. cap. 9. eod. tit.*

Cedendarum, et dividendarum actionum.

Beneficiũ cedendarum, et dividendarum actionum.

HOC beneficium conceſsum eſt duobus, vel pluribus, ſive principaliter, ſive fidejuſsorie ſimul, et inſolidum obligatis; et dicit, quod poteſt, qui ad ſolutionem compellitur, poſtulare, ut creditor ſibi cedat jura, et actiones, quas habet contra reliquos obligatos: alias talis coactus poteſt recuſare ſolutionem; nam equitas naturalis ſuadet, ut quis faciat, quod ſibi non nocet, et alteri prodeſt. (*a*)

NOTA. Ceſsio hæc fieri debet ante ſolutionem, ſeu in actu illius; nam ſi ex intervallo fieret, non valeret; Sufficit tamen, quod ſolutio fiat cum ſpe futuræ ceſsionis. (*b*)

NOTA. Fidejuſsor, ſi vult recuperare à principali totam quantitatem, poteſt, abſque detractione aliqua; principalis enim tenetur ſuum fidejuſsorem indemnem ſervare, ne ei ſit tale officium damnoſum. (*c*)

NOTA. Si fidejuſsor vult agere contra confidejuſſores, poteſt recuperare totam quantitatem creditori per reum ſolutam, dempta tamen ſua virili parte; beneficio diviſionis virtute.

NOTA. Contra principalem fidejuſsor non indiget ceſsione, ſed utique contra confidejuſsores, quia fidejuſsor contra principalem habet actionem mandati,

---

(*a*) *Leg.* 2. §. 5. *verſ.* Quamquam, *ff. de aqua pluv. arc. de quo beneficio vid. leg.* 2. 11. 14. *et* 21. *cod. de fidejuſſ. et Novell.* Juſtin. 4. *cap.* 1. *in fin.*

(*b*) *Leg.* 28. *ff. mandati, leg.* 76. *ff. de ſolut.*

(*c*) *Cap.* 2. *de fidejuſſ.*

ti, vel indemnitatis, si sit promissa; (*a*) Et quia cum confidejusoribus non contraxit, ideo non potest agere contra eos, nisi obtenta creditoris cessione: De Jure tamen Patrio, sive per constit. Cathaloniæ (*b*) Fidejusores censualium, et violariorum pro damno, quod sentiunt ratione fidejusionis, non indigent cessione, sed habent *ipso jure* cessas actiones contra principalem. De cujus constitutionis utilitate, et beneficio, quod per eam fidejusor consequitur; vide *Cancer.* (*c*)

NOTA. Si principalis vult recuperare de conprincipalibus, licet ei totam percipere quantitatem, dempta tamen sua parte ob dictum beneficium divisionis.

NOTA. Isti beneficio renuntiari potest, et habet locum in omni contractu, ubi aliquis pro alio se obligat (*d*)

Beneficium Fori.

Beneficiū Fori.

ISTud beneficium concessum est omnibus, ut non possint, nisi coram certo Judice conveniri; nam à lege jam est statutum, coram quo Judice debet unusquisque conveniri. Cui beneficio, sive privilegio potest quis renuntiare, sive expresè, sive tacitè. Juxta leg. *Si convenerit* &c. de qua statim; nisi privilegium Fori concessum sit alicui hominum ordini, cui privatus præjudicare nequit.

Lex:

(*a*) *Inst. de fidejuss. §. 6.*
(*b*) *Lib. 7. tit. 10. de execuciò de censals, const. 13.*
(*c*) Canc. *variar. 2 cap. 5. n. 148. et multis seqq.*
(*d*) *Novell.* Justin. *99.*

Lex: Si convenerit 18. *ff. de Jurisdictione omnium Judicum.*

Lex : Si convenerit.

HÆC lex disponit, partes posse pœnitere, et à conventione discedere, quamvis actum sit inter ipsas quod alius Judex, cujus non est jurisdictio, judicet, seu cognoscat: Sed si non recedant á conventione, possunt dictum Judicem adire.

NOTA. Contrahentes possunt renuntiare dictæ legi, et tunc non est eis permissum digredi á conventione.

Beneficium Fori Clericorum.

Beneficiũ Forî Clericorum.

BEneficium hoc competit Clericis, et nequit renuntiari, quia est introductum in favorem totius Clericalis ordinis, et non alicujus singularis. (*a*)

Lex: Si duobus 3. §. Emptor. 4. *cod. comm. de legat*: *Lex*: Si fundum 27. *cod. de evictionibus.*

Lex 3. §. Emptor Lex 27. cod. de evict.

ISTis legibus, seu beneficio ipsarum renuntiatur per vendentem rem subjectam restitutioni; quia cum illis cavetur, talem rem alienari non posse, et quod, si emptor sciverit rei gravamen, perdat rem et pretium.

Excep-

(*a*) *Cap. Si diligenti de foro comp.*

Exceptio non numeratæ pecuniæ.

Exceptio non numeratæ pecuniæ.

HÆC exceptio competit illi, qui mutui chirographum dedit sub spe futuræ numerationis, et revera pecuniam non accepit: Quamobrem hac exceptione infra biennium á die confessionis se tueri potest, ne condemnetur ad solutionem; quia iniquum est, eum cogi ad reddendum id, quod nunquam accepit. (*a*)

NOTA. Opponens istam exceptionem infra legitimum tempus, rejicit onus probandi pecuniam numeratam fuisse, in adversarium suum (*b*) contra juris regulam, qua præscribitur, præsumptionem esse contra eum, qui se debitorem confitetur, nisi contrarium probet. (*c*)

NOTA. Cui tamen exceptioni posse renuntiari, tenet *Covarr.* (*d*) licet contra sentiat *Perez.* (*e*) Sed casu quo exceptio non competat, non prohibetur debitor uti aliis remediis, si manifestè probare veritatem paratus sit. (*f*)

Exceptio non solutæ pecuniæ.

Exceptio non solutæ pecuniæ.

HUjusmodi exceptio è converso competit illi, qui sub spe futuræ numerationis, creditum accepisse, confessus est, et revera pecuniam non accepit, ac

(*a*) *Inst. de liter. oblig.*
(*b*) *Leg.* 3. *cod. de non num. pecun.*
(*c*) *Leg.* 25. *ff. de prob. Leg.* 19. §. 2. *cod. tit.*
(*d*) Covarr. *var.* 2. *cap.* 4. *n.* 3.
(*e*) Perez *ad tit. cod. de non num. pecun. n.* 19.
(*f*) *Arg. leg.* 13. *cod. de non num. pecun.*

debitori apocham dedit: Quapropter hac exceptione infra triginta dies à die confeſsionis ſe tueri poteſt. Et de iſta exceptione, idem, quod de proximè dicta, dicendum eſt; et etiam, quod ſi non apponitur infra triginta dies, juris præſumptio ſtat pro confeſſione. (*a*)

Exceptio non numeratæ dotis.

Exceptio non numeratæ dotis.

EXceptio ista competit marito, qui confeſsus eſt, ſub ſpe futuræ numerationis dotem accepiſse, quam verè non recepit, et apocham firmavit: Ideo hac exceptione ſe defendere poterit intra tempus præfixum; ſcilicet, ſi ſolutum fuerit matrimonium ante biennium, infra annum: Si vero poſt (ſed intra decennium) infra tres menſes: Et ſi ultra decennium duraverit, ceſsat hæc exceptio. (*b*)

Lex: Si unquam 8. *cod. de revocandis donationibus.*

Lex 8. cod. de rev. don.

HÆC lex tribuit donatoribus facultatem, ſi liberos habuerint poſt donationem factam, eam revocandi, ſive ſit de omnibus bonis, ſive de aliqua re conſiderabili; quia ſtat legis præſumptio, patrem de prole non cogitaſse, et talem donationem non fuiſse facturum, ſi extituram ſciviſset. Cui quidem legi renuntiari poteſt; et tunc ceſsat talis præſumptio.

Lex

(*a*) *Leg.* 14. *cod. de non num. pecun.*
(*b*) *Leg.* 3. *et Auth.* Quod locum, *cod. de dote caut. non num.*

Lex fin. cod. eod. tit.

LEX ista etiam tribuit donatoribus libertatem revocandæ donationis, si ingratus erga ipsum donantem donatarius existat; et nequit renuntiari; quia daretur ansa delinquendi. Lex fin. cod. eod. tit.

Lex reddibitoria, et quanto minoris.

HÆC lex tribuit emptori, qui equum, mulum, aut aliud animal, seu aliam rem, vitium, aut morbum occultum habens ab alio emit, ut possit contra venditorem agere *actione reddibitoria* intra sex menses, ut pretium sibi reddat, et rem recuperet: Et etiam potest agere emptor *actione quanto minoris* intra unum annum, ut venditor reddat sibi totum id, quidquid, et quantum plus dedit, quam non dedisset, si sciviset dictum vitium, vel morbum: Cui legi renuntiari potest. (*a*) Lex reddibitoria, & quanto minoris.

NOTA. Talis renuntiatio prodest, casu quo venditor morbum ignoret, et non è converso; tunc enim non committit fraudem.

Leges 1. et 2. cod ne fidejuss. vel mand. dot. dent.

RUbrica, et leges positæ sub isto tit. cod. prohibent, ne fidejusores dentur, sive exigantur à Marito pro Lex 1. & 2. cod. ne fidejuss.

(*a*) *Tit. ff. de ædilitio edicto, redhibitionibus, et quanti minoris, et cod. de ædilitiis actionib.*

pro dote, addita ratione in ipsa lege 2. ne hac occasione, causa perfidiæ in connubio generetur; indignum enim visum est, petere cautionem, sive securitatem ab eo, cui mulier se ipsam credit, sive committit: Ideo, si non ipsa mulier, sed extraneus dotem det; poterit exigi fidejussor à Marito, quia tunc cessat dicta ratio.

NOTA. Quod leges prædictæ solebant annotari per *rubrum et nigrum tit. cod. ne fidejus. &c.* Et pro intelligentia ipsarum, ita tene: Quod *rubrum*, seu *rubrica* ostendit titulorum inscriptiones, exempli gratia: *De donationibus*; *de revocanda donatione*; et in hipotesi *ne fidejus. dot. dent.*; et appellatur *rubrum* seu *rubrica*; quia antiquis temporibus ponebatur, et scribebatur literis *rubris*, et leges fixæ sub illius titulo cum literis *nigris*: Propterea vocantur nigræ: Et cum prohibitio prædicta sit expresa, nedum legibus 1. et 2. dicti tituli; verum etiam verbis rubricæ; hinc est, quod communiter dicebatur debere renuntiare *rubro*, et *nigro tit. cod. ne fidejus. &c.* Quod annotavi, ut scias naturalem sensum clausularum ex estilo; quarum, vel originem, vel intelligentiam ignorare, aut non inquirere diligenter, turpe est in personis artem profitentibus: nam nullo pacto possunt se earum ignoratione tueri.

Multa super beneficiorum materia declarari possent: Verum cum prædicta sufficiant ad illorum cognitionem, et sint ex magis usitatis his temporibus, supersedeo: Et si quis amplius de beneficiis scire peroptat, *adeat Comes tom. 1. Gali. Roland.* super Arte Notariæ.

PARS

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS

IN SEPTEM CAPITA DIVIDITUR.

Cap. I. *De Emptione, & Venditione.*
Cap. II. *De Dotibus.*
Cap. III. *De Debitis, & Creditis.*
Cap. IV. *De Cessionibus.*
Cap. V. *De Locatione, & Conductione.*
Cap. VI. *De Compromissis.*
Cap. VII. *De Adoptione, & Arrogatione.*

CAPUT I.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE

PER SEX TITULOS PARTITUM.

Tit. I. *De Emptione, & Venditione.*
§. I *De Servitutibus.*
§. II. *De Censualibus.*
§. III. *De Arrhis.*
§. IV. *De Possessione.*
§. V. *De Evictione.*
Tit. II. *De Permutatione.*
Tit. III. *De Insolutumdatione.*
Tit. IV. *De Donatione.*
Tit. V. *De Feudo.*
Tit. VI. *De Emphyteusi.*

VEnditio est: *Alicujus rei pro certo pretio traditio.* Venditio quid sit.

Alicujus; non autem omnis; nam sunt aliquæ res, quæ neque vendi, neque in contractum venire possunt; Expositio.

sunt; veluti prædium minoris, res Sacra, Sancta &c. quia à commercio sunt exemptæ; ut aspeximus: *Rei*; nimirum, mobilis, immobilis, corporalis, incorporalis, sensibilis, insensibilis, presentis, futuræ, demonstrativæ ad oculum, vel ad intellectum &c. *Pro certo pretio*; quippe in quavis venditione pretium certum requiritur: (*a*) *Traditio*; quia venditor non tenetur rei dominium transferre in emptorem; sed sat est, si præstet facultatem eam habendi, seu habère licere. (*b*)

Duobus modis fit. Fit venditio duobus modis; aut *in scriptis*: aut *sine scriptis*. Fit autem *in scriptis*, quando à principio actum est, ut exinde fiat scriptura: *sine scriptis* vero, quando non agitur à principio, ut scriptura conficiatur; veluti quando partes sunt concordes, et non loquuntur de scriptura; et licet postea fiat instrumentum ad rei, seu negotii veritatem comprobandam (ad quod una pars alteram cogere potest; nam obligati sumus facere, quod nobis non nocet; alterique prodest) nihilominus erit sine scriptis; quia primævam qualitatem non immutat. (*c*)

Discrimē inter eas. Discrimen inter ipsas est: Quod venditio *sine scriptis* perficitur solo consensu emptoris, et venditoris: alia vero, seu *in scriptis*, tunc demum est perfecta, cum instrumentum factum, clausum, et absolutum est: Donec autem contractus est perfectus, potest, tam emptor, quam venditor impunè ab eo recedere. (*d*)

Emptio. Emptio est: *Alicujus rei pro certo pretio acceptatio.*

NO-

(*a*) *Inst. de empt. et vend. §. 1. leg. 16. ff. de reg. jur.*
(*b*) *Leg. 11. §. 2. ff. de act. empt. et vend. Leg. 25. §. 1. ff. de cont. empt.*
(*c*) Cancer *part. 1, cap. 13. n. 11.*
(*d*) *Inst. de empt. et vend. in princ. Leg. 1. cod. Quando licet ab empt. reced.*

NOTA. Hujus definitionis explicatio omittitur, cum illius verba intelligi posſint ex expoſitione præcedentis.

Inſtrumentum venditionis per ſex capita dividitur: 1. *Contrahentium*: 2. *Rei venditæ*: 3. *Promissionis tradendæ possessionis*: 4. *Pretii*: 5. *Legitimæ rei evictionis*, in qua varia pacta quandoque ponuntur; et pro cujus ſecuritate bona obligantur: 6. *Juramenti.* Per quot capita dividatur venditio.

De ſubſtantia autem venditionis ſunt tria: 1. *Consensus contrahentium*: 2. *Merx*, ſive *res*, quæ veneat: 3. *Pretium. Res* debet eſſe talis, quæ poſsit alienari, et in contractum deduci: *Pretium* verò debet eſſe verum, certum, et in pecunia conſiſtens; hoc eſt *verum*, non autem fictitium, neque ſimulatum; *certum*; ideſt, quod certam contineat pecuniæ quantitatem, non autem incertam; quia donec pretium definitum eſt, non naſcitur obligatio (*a*) optimè tamen poteſt conferri pretium in arbitrium tertiæ Perſonæ, non verò ad voluntatem contrahentium, ne ſcilicet in poteſtate ementis, aut vendentis ſit; utrum debeant, aut non, cum inutilis ſit contractus, imperfectaque obligatio, quæ neceſsitate non adſtringit contrahentes. (*b*) *Et consistens in pecunia*; ſaltim ipſius contractus tempore; (*c*) ſufficit tamen, ut demonſtretur per relationem ad rem certam; v. g. quando conventum eſt, quod emptor pro pretio det aliquam catenam auream, vel aliud ſimile loco pecuniæ, dummodo exprimatur communi conſenſu ad certam quantitatem æſtimatam eſſe. Quæ ſint de ſubſtantia.

De natura verò duo ſunt: 1. *Rem tradere*: 2. *De evictione teneri*; et hæc, cum naſcantur ex contractu, Quæ de natura.

(*a*) *Leg.* 16. *ff. de reg. jur.*

(*b*) *Inſt. de empt. et vend.* §. 1. *Leg.* 35. *ff. de contrah. empt. Leg.* 13. *cod. eod. tit.*

(*c*) *Princ.* §. 1. *et* 2. *Inſt. de empt. et vend.*

tu ; quamvis nihil conventum, neque expreſsum ſit, cenſentur appoſita.

Quot modis contrahatur venditio.

Contrahi poteſt venditio quatuor modis: 1. *Purè*: 2. *Sub conditione*: 3. *In diem*: 4. *Ex die*. *Pure*; cum ſimpliciter res venditur; ut vendo tibi talem domum pro tali pretio: *Sub conditione*; ſi aliquamdiu ſuſpenſa maneat venditio; veluti, ſi intra decem dies pretium ſolveris, iſta domus erit tibi empta: *In diem*: et *ex die*; quando dies non ſuſpendit obligationem; ſed tantum traditionem, et contractus exequutionem; ut vendo equum à die Sancti Vincentii, (*a*)

Qui vendere poſſint.

Vendere poſſunt omnes illi, quibus contrahere permiſsum eſt, et qui ab ipſis expreſsè mandatum habent; nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. (*b*)

Quæ res poſsint vendi.

Vendi poſsunt res omnes, quæ in hominum commercio ſunt; ideſt, quas habere, vel poſsidere, aut perſequi quilibet poteſt, ſive ſint mobiles, ſive immobiles, corporales, incorporales, ad oculum demonſtrabiles, vel ad intellectum, præſentes, futuræ, in totum, vel in partem; quia quod juris eſt in toto, quo ad totum, idem juris eſt in parte quo ad partem. (*c*)

Quæ non.

Non poſsunt veró vendi res, quæ in contractum venire nequeunt, ut ſupra dixi, et à commercio hominum exemptæ ſunt. (*d*)

Quæ requirantur ad translationem dominii.

Ut dominium rei venditæ in emptorem transferatur quinque requiruntur: 1. Quod ille, qui tradit, ſit Dominus rei; quia quod meum eſt, ſine facto meo

ad

(*a*) §. 4. *Inſt. de empt. et vend.*
(*b*) §. 42. *et* 43. *Inſt. de rer. diviſ.*
(*c*) *Leg.* 76. *ff. de rei vind. Leg.* 113. *ff. de reg. jur.*
(*d*) *Inſt. de empt. et vend.* §. *fin. Leg.* 34. §. 1. *ff. de contrah. empt. Leg.* 1. *et ſeqq. cod. Quæ res venir. non poſſ.*

ad alium transferri nequit', (*a*) nisi subsit mandatum Domini; vel alias sit Judex, Fiscus, Creditor, Censitor, Procurator, Tutores Generales, et Prælati Ecclesiarum cum consensu Pontificis, aut Capituli: Si verò venditor Dominus non est, nec potestatem habet alienandi; tunc emptor non fit Dominus; sedtamen in ea causa est, ut possit rem usucapere. (*b*) 2. Quod fiat traditio ex causa habili ad transferendum; idest contractu, vel titulo; nam ex nuda traditione, vel sine causa non transit dominium in accipientem. (*c*) 3. Quod res sit talis, quæ traditionem, et alienationem recipiat; aut sit in hominum commercio. (*d*) 4. Quod ille, qui tradit, sit Persona idonea ad tradendum: Unde excluduntur omnes, qui contrahere nequeunt: 5. Quod pretium solutum sit, vel de eo habita fides; hæc enim, et non alia est mens, et voluntas vendentis. (*e*)

NOTA. Prædicta etiam veniunt considerandæ, quando per alios modos res de manu in manum facit progressum.

Quot modis perficiatur vēditio.

Tribus modis venditio perficitur: 1. Consensu contrahentium; nam illa venditio, quæ sine scriptis fit, solo consensu perficitur, et quilibet tenetur contractum adimplére, nempe venditor rem tradere, et emptor pretium solvere. (*f*) 2. Per consensum, et finalem actum scripturæ; quia illa venditio, quæ in scriptis fit, nedum consensum, verum etiam et ipsius scripturæ finalem perfectionem exigit; quippe omnis contractus in scriptis celebratus viribus caret, nisi instru-

I. men-

(*a*) *Leg.* 11. *et* 54. *ff. de reg. jur.*
(*b*) *Leg.* 1. *cum seqq. cod. de reb. alien. non alien.*
(*c*) §. 40. *Inst. de rer. divis.*
(*d*) *Inst. de empt. et vend.* §. *fin.*
(*e*) *Inst. de rer. divis.* §. 41.
(*f*) *Inst. de oblig. ex cons.: et de empt. et vend. in princ.*

mento sequuto, et à partibus approbato. (*a*) 3. Per rei traditionem, et pretii solutionem; nam quando res tradita, et pretium solutum est, venditio dicitur consumata.

Quot modis dissolvatur.

Tribus etiam modis dissolvitur: 1. Consensu, sive dissensu partium: 2. Contrario instrumento: 3. Traditione facta ab emptore venditori; quo casu potius dicitur fieri nova venditio, quam prima dissolvi, seu revocari. (*b*)

Quot modis res vendi solent.

Tribus modis res immobiles solent vendi: 1. *Jure proprio*; si venditur res per purum, liberum, et francum alodium, scilicet, quando à nemine tenetur, et tunc dominium, et proprietas transferuntur in emptorem: 2. *Jure conductitio, vel non pleno*; quando venditur res, quæ emphyteuticæ conditioni subjecta est, nempè, quando ab aliquo tenetur; tuncque solum transfertur utile dominium in emptorem, cum proprietas Domino sit conservata: 3. *Jure sub incerto*; ut si venditur res, quæ ignoratur, an jure proprio, sive conductitio possideatur. (*c*)

NOTA. Pactum de retrovendendo cum pretii parvitate, censetur factum in fraudem usurarum, et arguit contractum simulatum; quæ parvitas debet esse in magna, et notabili quantitate, respectu justi pretii: de quo, et aliis requisitis ad hanc præsumptionem fundandam, vide *Cancer.* (*d*)

NOTA. Pactum restrictivum, ut non liceat rem redimere, nisi post certum tempus appositum in venditione instrumento gratiæ censuum, et annuorum reddituum, frequenter est usurarium; nam emptor certus omnino est ab initio contractus de lucro, ultra

for-

(*a*) *Inst. de empt. et vend. in princ. et §. 3.*
(*b*) *Tit. cod. Quand. lic. ab emp. reced. et §. fin. Inst. quib. mod. toll. oblig.*
(*c*) Comes *tom. 1. cap. 20. n. 11. cum aliq. discrim.*
(*d*) Canc. *var. 1. cap. 13. n. 40.*

sortem percipiendo: Sedtamen istud lucrum titulo dominii, et jure emptionis percipitur; ut bene in *Extravag.* (*a*) si immoderatum non sit; ideo tale pactum ab usura immune esse dicunt nonnulli apud *Reiff.* (*b*)

NOTA. Qui habet rem communem cum alio, partem suam vendere volens, debet prius consortem requirere; quia aliter, ipsi invito daretur alius socius, quod non licet, cum nequeat aliquis in suo facere, ex quo alter damnificetur, si id faciens non percipit commodum. (*c*)

NOTA. Si tempore celebrationis venditionis concurrit deceptio ultra dimidium justi pretii, potest contractus rescindi, (*d*) licet renuntietur cum juramento; quia juramentum debet habére tres comites; nimirum Judicium, veritatem, et justitiam; extante autem enormi læsione, dicta tria requisita minimé confluere, est certum: Hæcque rescisio habet locum, licet dicatur, quod si res plus quid quam valet, emptori totum donatur; nam dicta verba referri non debent ad magnum, sed ad modicum pretium, maximè si apertè apparet, venditorem habuisse animum vendendi, et non donandi.

NOTA. Id ipsum etiam habet locum in omni contractu, in quo concurrit deceptio ultra dimidium. (*e*)

NOTA. Frumentum, avena, et alia grana, quæ adhuc in herba consistunt, nequeunt vendi certo, vel anticipato pretio; nisi justum sit, habita ratione, et valoris, et periculi, et circunstantiarum, ex quibus usuræ suspitio, ob anticipatam solutionem deleatur:

(*a*) Extravag. 2. *de empt. et vend. int. comm.*
(*b*) Reiff. *ad tit. de usuris §. 7.*
(*c*) *Tit. cod. de comm. rer. alien.*
(*d*) *Leg. 2. cod. de rescind. vend.*
(*e*) Canc. *var. 1. cap. 13. n. 12. 34. et multis aliis.*

Et sic intelligi debet Pragmatica inferius citanda, cum qua hoc providetur; etenim, nedum utilitas publica læditur, cum sic facilius dicta grana emantur exiguo prætio, ut postea carius revendantur; sed etiam charitatis officium infringitur, et peccata promptissima aperiuntur; Qua propter imponitur venditoribus rei, et emptoribus pretii amissionis pœna, ultra illam à Jure contra dardanarios institutam, juxta pragmaticam D. Regis Alfonsi III. (*a*)

NOTA. Quamvis donatio inter virum, et uxorem prohibita sit, ut inferius *tit. iv. de donatione* videbimus; secus tamen emptio, et venditio, et quilibet alius onerosus contractus, nisi in fraudem donationis fiat. (*b*)

NOTA. Notarius nequit partibus copiam tradere; hoc est, instrumentum alienationis rei emphyteuticæ, seu feudalis, ex qua debetur laudemium, claudere, absque firma, et Domini laudamento, sub pœna, non minori, quam privationis officii. (*c*) Et licet citata Constitutio per Regium Edictum anni 1755. fuerit derogata: tamen postea per aliud anni 1761. fuit recenter confirmata; cujus vigore debet etiam Notarius in venditionibus, aliisque alienationibus declarare census, et dominationes, ad quas res feudales, et emphyteuticales tenentur.

NOTA. Laicus nequit vendere, aut alienare Ecclesiasticis personis domus, nisi cum licentia Regii Concilii, vulgo dicti *dels Pavellons*; ut evitetur tota fraudis suspicio, ac simulatio in damnum contributionis hospitii Militum: Et Notarii, qui talia receperint

(*a*) Pragmat. 1. Dom. Reg. Alfonsi III. *lib. 4. tit. 5. de compra, y venda in 2. volum. Constit.* Amig. *decis. 4. n. 76.*

(*b*) Canc. *part. 1. cap. 13. n. 98.*

(*c*) *Constit. 4. lib. 4. tit. 28. de dret emphiteutich.*

rint instrumenta, quin præcedat dicta licentia, incurrunt in pœnam suspensionis officii ad tempus duorum annorum, et obligationis satisfaciendi sub Persona, et bonis, onera, ad quæ domus teneatur, ratione dictæ contributionis. (*a*)

DE SERVITUTIBUS.

§. I.

CUm inter alias res, quæ possunt vendi, et acquiri sint servitutes; de illis pauca dicere hic opus erit.

Servitus quid sit.

SErvitus hoc loco nihil aliud est, quam: *Jus in re aliena ad usum alterius, vel prædii, aut personæ, præter ejus naturam constitutum.*

Duplex est.

Et est duplex: *Realis*: vel *Personalis*; nam si Personæ debetur, est *Personalis*; si vero rei, sive prædio; tunc *realis*, seu prædialis est, nisi aperte conventio ostendat, jus Personæ, et non rei quæsitum esse.

Servitus realis duplex.

Servitus realis est duplex; aut *rustica*; aut *urbana*. Prædium *rusticum* est quilibet locus sine ædificio; ut fundus, area, hortus &c. *Urbanum* verò est quodvis ædificium quocumque loco situm, sive ruri, sive in Civitate; quia urbanum, et rusticum prædium, cum agimus de servitutibus, non facit locus, sed materia. (*b*)

Servitutes rusticorum prædiorum

Servitutes rusticorum prædiorum sunt: Quæ prædiis

(*a*) *Reg. Edict.* Dom. Ferdin. VI. *pub. ann.* 1750.
(*b*) §. 1. *et* 2. *Inst. de servit. rust. et urb. præd.*

diis debentur rusticis; cujusmodi sunt *Iter, actus, via, aquæductus.* (a)

Iter. Iter est: *Jus eundi, et ambulandi hominis per fundum alienum, non tamen jumentum agendi, vel vehiculum.* (b)

Actus. Actus est: *Jus agendi jumentum, vel vehiculum;* et in hoc plus est, quam in itinere, nam qui actum habet, etiam jus habet itineris, ex vi verborum, ac jure servitutis, et ex præsumpta pacisoentium voluntate; quis enim ageret jumentum, vel vehiculum, nisi ipse eat? Cum in eo quod plus est, semper minus insit. (c)

Via. Via est: *Jus eundi, ac agendi, et ambulandi hominis*, nam iter, et actum via in se continet, idest facultatem eundi, et agendi. (d)

Aquæductus. Aquæductus est *Jus aquæducendæ per fundum alienum*; et requiritur, quod aqua sit perennis, et viva: habent enim omnes servitutes causam perpetuam. (e)

Urbanorû prædiorum Servitutes. Servitutes prædiorum urbanorum sunt, quæ ædificiis inhærent: Ideo urbanorum prædiorum dictæ, quia omnia ædificia, urbana prædia appellamus, etsi in Villa (hoc est ruri) ædificata sint; tales sunt: Ut vicinus onera vicini sustineat: Ut in parietem ejus liceat vicino tignum immittere: Ut stillicidium recipiat quis in ædes suas, aut non recipiat: Ne altius quis tollat ædes suas: Ne luminibus vicini officiat; et aliæ. (f)

Quot modis constituantur. Constituuntur Servitutes quatuor modis: 1. *Venditione*; ut quando quis vendit alicui jus, seu facultatem

(a) *Inst. de servit. §. 3.*
(b) *Inst. de servit. in princ.*
(c) *Leg. 110. ff. de reg. jur. Inst. de serv. in princ.*
(d) *Inst. de servit. in princ.*
(e) *Leg. 28. ff. de servit. præd. urb.*
(f) *Inst. de serv. §. 1. et 2.*

tatem aperiendi, altius tollendi, aut non tollendi: 2. *Pactionibus*; ut quando paciſcimur, quod mihi liceat frui re tua: quidquam facere &c. 3. *Stipulationibus*; ut quando ſtipulor tecum, ut ire, et agere mihi liceat per tuum fundum: 4. *Ultimis voluntatibus*; ut quando teſtator in teſtamento damnat heredem ſuum: ne altius tollat ſuas ædes, ne luminibus ædificiorum vicini officiat. (*a*)

Quot modis amittantur.

Amittuntur verò quinque modis: 1. *Confuſione*; ſi utriuſque prædii idem fiat Dominus; quia res ſua nemini ſervit. (*b*) 2. *Remiſſione, ſive totius ſervitutis, ſive partis*; cum et pro parte retineri poſsit ſervitus, et cuilibet liceat jus ſuum remittere, admitendo actum ſervituti contrarium; nam eodem genere quodque diſsolvitur, quo ligatum eſt. (*c*) 3. *Reſoluto jure concedentis*; per hoc enim, et reſolvitur jus accipientis, cum nemo poſsit plus juris in alium transferre, quam ipſe habet. (*d*) 4. *Lege et pacto*; quippe pactum contrarium ſervituti, ipſam deſtruit, ut dictum eſt ſupra de remiſsione: 5. *Non utendo*; per non uſum; legitima interveniente præſcriptione. (*e*)

DE

(*a*) *Inſt. de ſerv. §. fin.*

(*b*) *Leg. Si ædes 30. ff. de ſervit. urb. prad. Leg. 1. ff. Quemadmod. ſervit. amitt.*

(*c*) *Leg. 14. §. 1. ff. de ſervit. Leg. 8. ff. Quemadm. ſervit. amitt. Leg. 35. ff. de reg. jur.*

(*d*) *Leg. 105. ff. de cond. et dem. Leg. 31. ff. de pignor. Leg. 11. §. 1. ff. Quemadm. ſervit. amitt.*

(*e*) *Leg. 10. ff. Quemadm. ſervit. amitt.* Ubi *de præditis, et aliis modis agit.*

De Servitutibus personalibus, usufructu, usu, et habitatione.

Ususfructus.

USusfructus est: *Jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia.* (*a*)

Expositio

Jus; id est servitutis; ut excludat jus, quod colonus habet in fundo conducto, quod non est jus in re, sed tantum in Persona locatoris, cum quo contractus initus est; *Jus* etiam potestatem, seu facultatem quidquam agendi hic significat: *Alienis rebus*; indicant hæc verba, eum qui habet usumfructum, non habére rei proprietatem; res enim sua nemini servit. (*b*) *Utendi*; ad diferentiam pignoris, quod est apud creditorem, qui eo uti nequit, invito debitore: *Fruendi*; ut separetur à nudo usu, et habitatione: *Salva rerum substantia*; ut excludatur quasi ususfructus earum rerum, quæ usu consumuntur, et simul, ut significetur, quod qui habet usumfructum, potest quidem fructus ex re percipere; sed debet ipsius substantiam servare. (*c*)

Duplex est.

Duplex est ususfructus: *Causalis*, et *formalis*. Ususfructus *causalis* est, qui conjunctus est cum sua causa, idest, proprietate, quam habet Dominus, et tunc proprie servitus non est; quia res sua nemini servire potest: *Formalis* est, qui separatus est à proprietate, et alteri debetur in re aliena (*d*) de quo solum hic agitur.

Quot modis constituatur.

Constituitur tribus modis: 1. *Per legem*; quando patri

(*a*) *Inst. de usufr. in princ.*
(*b*) *Leg. 5. ff. Si usufr. petat. Leg. 26. ff. de serv. urb. prad.*
(*c*) *Leg. 13. ff. de usufr.*
(*d*) *Inst. de usufr. §. 2.*

patri usufructus conceditur in bonis adventitiis filii familias (a) 2. *Per Judicem*; quando in judiciis divisoriis Judex uni proprietatem adjudicaverit; alteri verò illius usumfructum (b) 3. *Per Dominum*, qui liberam habeat potestatem disponendi de re sua; nam is potest actu inter vivos usumfructum constituere: v. g. vendere, aut donare: et etiam ultima voluntate; nam si usumfructum alicui leget, heres habebit nudam proprietatem, et legatarius usumfructum. (c)

Quot modis extinguatur.

Extinguitur vero sex modis: 1. *Morte usufructuarii*; quia personæ tantum debetur; unde regula: Privilegium personale, personam sequitur, et extinguitur cum Persona; (d) tamen si relinquitur filiofamilias, non extinguitur ejus morte, cum censeatur relictum etiam suo patri, si supervivat, quasi duplici usufructu constituto (e) 2. *Capitis diminutione maxima, et media*; id est, servitute, quæ morti comparatur, et deportatione, quæ, uti privat civitate, ita, et ejus usu: *Minima* non facit amitti civitatem, nec illius jura (f) 3. *Non utendo per modum, et tempus*; videlicet, non utendo re ad eum modum, sive ad eum finem, ad quem usufructus ipsius est relictus; pro ut exempla sumi possunt ex legg. infrascript. (g) aut non utendo toto eo tempore, quod à jure præscriptum est ad complendam præscriptionem (h) 4. *Lapso tempore, aut conditione apposita* (i) 5. *Rei interitu*; nam usufructus est jus in corpore, quo sublato,

(a) *Leg. 6. et ult. cod. de bon. quæ lib. §. 1. Inst. Per quas pers.*
(b) *Leg. 6. §. 10. ff. comm. divid. Leg. 6. §. 1. ff. de usufr.*
(c) *Inst. de usufr. §. 1.*
(d) *Leg. 68. et 196. ff. de reg. jur.*
(e) *Leg. ult. cod. de usufr. Inst. eod. tit. §. 3.*
(f) *Inst. de usufr. §. 3. Leg. pen. §. ult. cod. eod. tit.*
(g) *Leg. 10. §. 1. Leg. 11. et 18. ff. Quemadm. serv. amitt.*
(h) *Leg. 16. cod. de usufr. Inst. eod. tit. §. 3.*
(i) *Leg. 4. ff. de usufr.*

to, et ipsum tolli necessarium est. (*a*) 6. *Cessione facta ipsi domino*; vel è contra per consolidationem proprietate acquisita fructuario; quia res sua nemini servit. (*b*)

NOTA. Ususfructus cedi nequit extraneo; etenim jus, quod habet fructuarius est personale, quod personæ cohæret, et cum ea extinguitur; et ideo non transit ad hæredes: tamen ususfructus commoditas cedi cuivis potest; nam totum jus nihilominus in persona usufructuarii remanet, quæ si deficit, jus suum finitur; sed bene potest cedi ususfructus domino proprietario; tunc enim consolidatur ususfructus cum proprietate. (*c*)

NOTA. Ususfructus potest constitui super omnibus rebus, exceptis, quæ usu consumuntur; ut sunt *vinum*, *oleum*, *&c.*; nam ususfructus est jus utendi, ac fruendi, salva rerum substantia: Potest tamen in his rebus constitui quidam quasi ususfructus. (*d*)

Usus. Usus est: *Jus rebus alienis utendi, salva earum substantia.*

NOTA. Constituitur usus circa easdem res, iisdemque modis, quibus ususfructus, et amittitur similiter.

NOTA. Qui usum nudum habet, nequit rem alteri cedere; quia nihil ulterius habere intelligitur, quam usum quotidianum; ut latius exprimit, aut exemplificat *Inst.* (*e*)

Habitatio. Habitatio est: *Jus habitandi in ædibus alienis, salva ipsarum substantia.*

(*a*) *Inst. de usufr. in princ. et §. 3.*
(*b*) *Leg. 17. ff. quib. mod. usufr. amitt. Inst. de usufr. §. 3.*
(*c*) *Leg. 66. ff. de jure dot. Leg. 57. ff. solut. matrim. Inst. de usufr. §. 3. et de usu, et habit. §. 1.*
(*d*) *§. 2. Inst. de usufr.: et tit. ff. de usufr. earum rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur.*
(*e*) *Inst. de usu, et habit. in princ. §. 1. 2. 3. et 4.*

Differentia habitationis ab usu est: Quod qui habet habitationem, potest eam alteri locare; quia relinquens alicui habitationem, censetur respexisse rem, et necessitatem personæ, cui reliquit; et è converso, si cui usus ædium relictus est, is locare alteri nequit; quia relinquens censetur nudum jus, et necessitatem utentis ex proprio fine desumptam respexisse. (a)

Ejus differentia ab usu.

De Capitis diminutione.

Occasione illius quod supra diximus, usumfructum finiri, inter alia, capitis diminutione maxima, et media; de ea hoc loco tractandum venit.

CApitis diminutio est: *Prioris rei status mutatio.* Et est triplex; nimirum: *maxima*, *media*, et *minima*. Capitis diminutio *maxima* est, cum quis familiam, Civitatem, et libertatem simul amittit, quod accidit in his, qui servi pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ; vel libertis, ut ingratis erga patronos condemnatis; aut his, qui ad pretium participandum, se venundari passi sunt: *media* est, cum quis Civitatem amittit; libertatem verò retinet; quod accidit ei, qui in insulam deportatus est: *minima* est, cum Civitas retinetur, et libertas; sed hominis status immutatur; quod contingit his, qui cum sui juris fuerint, cœperunt alieno juri subjecti esse, vel è contra; veluti, si filiusfamilias à patre emancipatus fuerit, vel pater familias arrogatus. (b)

Capitis diminutio. Triplex est

(a) §. 5. *Inst. de usu, et habit. et leg.* 13. *cod. de usufr.*
(b) *Inst. de capitis diminut. per tot.*

DE CENSUALIBUS.

§. II.

VIdimus ſupra de Emptione, et Venditione: Et cum cenſuale ſit etiam venditio; de eo hic dicendum erit.

Cenſuale quid ſit. Expoſitio

CEnſuale eſt: *Venditio juris percipiendi annuam, et rationabilem penſionem pro certo pretio.*

Venditio; quia illa tria, quæ venditioni perfectæ eſsentiam præbent, et ſine quibus ſtare nequit, concurrunt in originali cenſualis creatione: *juris*; nam emptori transfertur jus ad petendum, et recipiendum penſionem, et pretium, quod pro eo ſolvitur venditori, quotieſcumque iſte redimere cupit: *Percipiendi*; quippe emptor cenſualiſta, tamdiu, quamdiu cenſuale durat, annuatim percipit ipſius penſionem, et venditor cogitur ad illam ſolvendam: *annuam, et rationabilem penſionem*; quaſi dicamus intereſse juſtum annuatim recipiendum, quod *post Regiam pragmaticam* Dom. Reg. FERDINANDI VI. felicis recordationis anni 1750. excedere non poteſt, ultra tres libras pro librarum centenario: *pro certo pretio*; etenim in qualibet venditione, ut dictum eſt ſupra, pretium requiritur.

NOTA. Neque tutor, neque curator poſsunt vendere cenſuale, quod pupillus, ſive adultus debet recipere; quia cenſualia inter immobilia enumerantur. (*a*) Et tutores res minorum immobiles alienare nequeunt abſque cauſæ cognitione, ac decreti interpoſi-

(*a*) Cane. *var.* 1. *cap.* 7. *n.* 121. *circa med.*

positione, (a) ut jam suo loco est dictum: nec Censuale aliquod de novo valent creare nomine pupillorum; nisi expressè Judex, legitima causa præcedente, licentiam ad prædicta concederet, et suum decretum interponeret; quod si ad primum effectum concessum est, non censetur ad secundum; nam utilior est pupillo venditio censualis, quod recipit, quam nova ipsius creatio: ultra quod decreti forma ad unguem observari debet, et qui aliud fecit, quam quod á Prætore decretum est, nihil agit; est enim decretum stricti juris, et non extenditur ad similia, vel minora. (b)

NOTA. Licet, nec tutor, neque curator possint vendere, et originaliter creare aliquod censuale, nisi cum licentia, et decreto Judicis; possunt tamen concedere facultatem reivendicandi censualia, quibus hereditas pupilli prægravata invenitur; nam per ipsam facultatem non fit alienatio, nec contrahitur obligatio. (c)

NOTA. Pactum appositum in censuali, ut pensio anticipatè solvatur, non valet; quadam constitutione Pii Papæ V. id prohibente. (d)

NOTA. Censualia vocantur vulgò *mortua*, appellatione vulgari, sed admodum impropria: vocantur *mortua*, quia sicut mortuus jam mori non potest; ita censuale ex se non moritur, sive non extinguitur; sed perpetuo durat. (e)

De hujus contractus validitate, et robore, et quod non sit usurarius, sed propriè contractus emptionis, et licitus vide *extrav.* Martin. V. *in Cap. I. de*

(a) Canc. *dict. cap. eod. tit. n.* 115.
(b) *Leg.* 7. §. 3. *ff. de reb. eo. qui sub tut.*
(c) Comes *tom.* 1. *cap.* 20. §. 11. *n.* 52.
(d) *Constit.* Pii Papæ V. *quæ incipit*: Cum onus Apostolicæ, §. 3.
(e) Mieres *sup. Const. Cath. col.* 9. *c.* 32. *n.* 9. Comes *tom.* 1. *c.* 20. *n.* 14.

de emp. et vend. inter comm. et Canonistas Engel Reiff. et alios *ad titulum decretalium de usuris.* Sed quia frequenter eo utebantur homines callidi ad palliandum usuras; idcirco Pius Papa V. in citata sua constitut. *Cum onus Apostolicæ* (quæ extat in septimo decretalium *lib. 2. tit. 12. cap. 1.*) multa salubriter constituit ad dictas fraudes vitandas: Quorum tamen nonnulla; aut quia bulla recepta non est; aut quia, quæ ibi præcipiuntur, fundantur in præsumptione usurarum, et ad evitandas fraudes, non observantur, *ut advertit* Reiff. *ad tit. de usuris* §. 8., ubi etiam refert declarationes ejusdem Pontificis super dubiis circa intellectum dictæ suæ constitutionis excitatis.

DE ARRHIS.

§. III.

CUm nonnumquam in signum venditionis per contrahentes soleant dari Arrhæ; de eis nonnulla exprimere opus erit.

Arrha quid sit.

ARrha est: *Id, quod datur in testimonium emptionis, et venditionis perfectæ.* (*a*)

Expositio.

Id, quod datur in testimonium; quia si quilibet ex contrahentibus probat dationem arrharum, comprobat contractum; ad hoc enim dantur arrhæ, ut evidentius probari possit conventum esse de pretio (*b*)

emp-

(*a*) *Inst. de empt. et vend. in princ.*
(*b*) *Leg. 35. ff. de contrah. empt.*

emptionis, *et venditionis*; nam sæpius dari solent in emptione, et venditione, quam in aliis contractibus: *perfectæ*; nam per arrhæ dationem, non intelligitur venditio consumata; ideoque adhuc licet, mutuo consensu, á contractu discedere. (*a*)

Per quinque capitula dividitur: 1. *Contrahentium*: 2. *Rei datæ nomine Arrharum*: 3. *Traditionis*: 4. *Promissionis amborum*: 5. *Juramenti*. Per quot capita dividatur.

Duplex est Arrha; nempè: *nuda*, et *vestita*. Arrha *nuda* est: quæ datur nomine arrharum tantum; ut quando simpliciter, et inæstimatè constituuntur, quo casu possunt partes à contractu discedere, cum non faciat per hoc definere rem esse integram. (*b*) *Vestita* est: quæ datur nomine arrharum, et pro parte solutionis pretii; ut quando dantur in pecunia numerata; aut in alia re mobili æstimata; quo casu non tam censetur data arrha, quam pars pretii anticipata; et ideo jam non licet amplius contrahentibus, etiam mutuo consensu, à venditione recedere; cum res jam non sit integra. (*c*) Quotuplex sit.

Possunt arrhas dare omnes, qui alias possunt contrahere, et res suas alienare. Qui arrhas dare possùt

Dari possunt omnibus illis, qui ad arrhas restituendas se obligare possunt. Quibus dari.

Arrhas constituere licet in pecunia, auro, et argento, ac rebus mobilibus, et immobilibus, dummodo à commercio hominum non sint exemptæ; tamen frequentius constituuntur in pecunia, et re mobili, quam in re immobili. (*d*) In quibus constitui.

Dantur arrhæ, ut partes metu pœnæ ad contractus per- Ad quid dentur.

(*a*) *Leg.* 1. *et* 2. *cod. Quand. liceat ab empt. reced.*
(*b*) *D. Leg.* 2. *Quando lic. ab empt. reced.*
(*c*) *Inst. de emp. et vend. in princ. Leg.* 58. *ff. de pactis. Leg.* 1. *et* 2. *cod. Quando liceat ab emp. reced.*
(*d*) *Leg.* 11. §. 6. *ff. de act. empt. et vend. Leg.* 2. *cod. Quando lic. ab empt. reced.*

perfectionem accedant; id est, ad rei traditionem, pretiique solutionem.

Earum pœna. Arrharum pœna est: Quod si per emptorem stat, quo minus venditio adimpleatur, perdit, quod dedit: Si verò per venditorem Arrhas accipientem, duplum perdit, scilicet, quod accepit; et æqualiter de suo.

NOTA. Hæc vero, quæ de arrhis dicta sunt, intellige de illis, quæ dantur cum tractatur inter partes de re emenda; nondum tamen plené conventum est de pretio, pactis, et aliis: Interdum verò datur arrha postquam emptio, et venditio jam est perfecta, atque irrevocabilis; imò est, et datur in argumentum, sive signum emptionis, et venditionis jam contractæ. (*a*)

DE POSSESSIONE.

§. IV.

SEquitur de possessione, quæ occasione venditionis tradi solet, et adquiri respective à contrahentibus.

Possessio quid sit. EST igitur possessio: *Corporalis rei detentio corporis, et animi, juris civilis adminiculo concurrente.*

Expositio *Corporalis rei*; non autem incorporalis; quia solum corporalia possidentur; incorporalia, ut sunt jurisdictiones, actiones, jura, servitutes, &c. non possiden-

(*a*) *Inst. de empt. et vend. in princ. Leg.* 17. *cod. de fid. instrum.*

dentur, nam tradi nequeunt; ſed *quasi* poſsideri, et tradi dicuntur per patientiam, et uſum: (*a*) *Detentio*; quippè poſseſsio naturalis tenetur ab illo, qui corporaliter inſiſtit rei: *Corporis, et animi juris civilis adminiculo concurrente*; ad hoc autem, ut quis verè poſsideat, tria concurrere debent; ſcilicet, corporis actus, animi affectus, et juris adminiculum. (*b*)

Quotuplex ſit.

Duplex eſt poſseſsio; *Naturalis* nempè, et *Civilis*. Primam habet ille, qui rem ipſam de facto habet, ſive detinet, aut ſuper ea incumbit: et ſi titulum habet, ut commodatarius, depoſitarius, colonus, et alii ſimiles, dicitur habere poſseſsionem naturalem juſtam: ſi verò hæc poſseſsio ſit deſtituta titulo, dicitur *mera facti possessio*, *detentatio*; et ab aliquibus (non male) dicitur *possessio asinina*. (*c*) Poſseſsio vero *Civilis* eſt in eo, qui rem habet, ſeu detinet animo ſibi habendi eam, ſeu rem tenet quaſi ſuam; qualem habet dominus, emptor, et quilibet alius bonæ fidei poſseſsor.

Per quos adquiratur.

Adquiritur poſseſsio, nedum per nosmet ipſos; ſed etiam per eos, quos in poteſtate habemus, ut ſunt filiifamilias, et ſervi: item eam adquirimus per liberos, et ſervos alienos, quos bona fide poſsidemus; nam hi quidem nobis pro inſtrumento ſunt; illi verò una nobiſcum perſonæ cenſentur. (*d*)

Quot modis.

Quinque autem modis adquiritur: 1. *Per traditionem*; ideſt corporalem rei apprehenſionem animo, et corpore cum tradentis voluntate, non ſolo animo, nec ſolo corpore; ſed conjunctim utroque; ideo repelluntur, qui ſenſum non habent; et ſic furioſus, aut pupillus nequit poſseſsionem adquire-

(*a*) *Leg.* Quoties 20. *ff. de ſervit.*
(*b*) *Leg.* 3. *ff. de adq. poſſ.*
(*c*) Canc. *var.* 1. *cap.* 14 *n.* 39.
(*d*) § 4. *et* 5. *Inſtit. per quas perſ. cuique.* §. 5. *ib. de interd. Leg.* 1. §. 5. *ff. de adq. poſſ. Leg. fin. cod. eod. tit. Inſt. de rer. div.* §. 42.

re, sine Curatoris, vel Tutoris auctoritate. (a) 2. *Per effectum clausulæ constituti*; cum id, quod nomine meo possideo, constituo me alieno nomine possidere, et alium possessorem ministerio meo facio; nam is possidet, cujus nomine possidetur. (b) 3. *Si rem commodatam, depositam, vel locatam tibi vendidero*; etenim hoc ipso, quod patior tuam esse, ipsam tibi tradidisse videor. (c) 4. *Si quis merces in horreo positas, vel vina in cella existentia vendiderit, et claves horrei, vel cellæ tradiderit*; merces vel vina tradita esse arguitur. (d) 5. *Si rem tibi donavero, et instrumentum rei tibi tradidero*; rem ipsam tradidisse fingor. (e)

Ejus effectus.

Effectus, et virtus possessionis est: quod si tradens est persona habilis, et dominus rei non prohibitæ alienari, transfertur dominium in accipientem, sic suadente naturali æquitate: (f) si verò non est dominus, dumtaxat transfertur conditio usu capiendi, et præscribendi. (g) Necnon virtus est, quod si unus remanet in possessione, et alter petit, et non probat, possessor absolvitur; nam actore non probante, absolvitur reus; ex quo profluit alia juris regula: quod favorabiliores rei potius, quam actores habeantur. (h)

NOTA. Ad possessionem nanciscendum, non requiritur, ut tota petia terra deambuletur; sufficit enim introire quamlibet ejus partem; nam nec qui domum intrat, eam totam pedibus calcat; et tamen fit possessor totius domus. (i)

(a) *Leg.* 3. §. 3. *Leg.* 8. *ff. de adq. poss. Leg.* 18. §. 1. *ff. eod. Inst. de rer. div.* §. 40.
(b) *Leg.* 18. *ubi Glos. et DD. ff. de adq. poss.* Canc. *par.* 1. *cap.* 8. *n.* 31.
(c) *Inst. de rer. divis.* §. 43.
(d) *Inst. de rer. divis.* §. 44.
(e) *Leg.* 1. *cod. de donation.*
(f) *Inst. de rer. divis.* §. 40.
(g) *Inst. de usucap. in princ. et* §. 5. *per quas pers. cuique adq.*
(h) *Leg.* 4. *cod. de eden. cap. fin.* 10. *de sent.*
(i) *Leg.* 3. §. 1. *ff. de adq. poss.*

DE EVICTIONE.

§. V.

De evictione dicendum restat, ut venditionis tractatui finem imponamus.

Evictio quid sit.

Est autem evictio: *Rei emptæ, vel alio justo titulo acceptæ per Judicis sententiam, alio evincente, facta recuperatio.*

Expositio

Rei emptæ; nam ille, qui emit rem, agere potest contra venditorem de evictione ipsius rei nomine: *vel alio justo titulo acceptæ*; quia nedum per venditionem de evictione agitur; sed etiam per alium quemcumque titulum habilem ad transferendum, qui tamen emptioni sit similis, saltem in hoc, quod sit contractus, seu titulus onerosus; ut insolutumdatio, permutatio, dos, &c. (*a*) non ita in mera datione: (*b*) *per Judicis sententiam*; quippè si lata non est sententia Judicis contra emptorem, venditor non tenetur de evictione; numquam enim potest agi de evictione, nisi res evicta sit per sententiam diffinitivam, et exequutioni mandatam: (*c*) *alio evincente*; ille enim à quo res evincitur, et non alius, de evictione agere potest: *facta recuperatio*; quia tunc solum queit emptor agere de evictione, cum res est ab ipso ablata, et à suo domino recuperata.

Ad agendum de Evictione quæ requirantur

Ut agi possit de evictione, sex requiruntur: 1. quod res sit evicta per Judicis sententiam; idest, quod emptor condemnatus sit, et revera rem tradiderit, cujus pretium exsolverit antea, (*d*) nisi aliud inter partes con-

(*a*) *Leg.* 4. *et* 29. *cod. de evict. Leg.* 1. *cod. de rer. perm.*
(*b*) *Leg.* 2. *cod. de evict.*
(*c*) *Leg.* 17. *cod. de evict.*
(*d*) *Leg.* 3. *cod. de evict.*

conventum sit. (*a*) 2. Quod emptor denuntiet venditori, litem fuisse ei motam, ut assistat liti, et illum defendat, nisi expresse onus istud, seu obligatio denuntiandi á venditore emptori sit remissa; quia tali casu venditor non potest conqueri de taciturnitate emptoris. (*b*) 3. Quod emptor appellet à sententia contra se lata, vel denuntiet venditori intra opportunum tempus, nisi ei remiserit onus denuntiandi, ratione proximè dicta. (*c*) 4. Quod emptor non emerit mala fide; ut quando scit rem alienam esse; quia propter fidem malam, venditor non tenetur de evictione; (*d*) manet tamen actio quo ad solum pretium. (*e*) 5. Quod non sit actum per pactum, quod venditor de evictione non teneatur. (*f*) 6. Quod emptor, si res fuit sibi evicta, assistat in judicio. (*g*)

Ex prænarratis apertè colligi potest, quæ requirantur; ut venditor non teneatur emptori de evictione.

NOTA. Quando aliquis non vult teneri de evictione, debet addere: *neque de pretii restitutione*; nam aliud est teneri de evictione; aliud vero de restitutione pretii, et sic exprimendo unum dumtaxat, non liberaretur ab alio; si videlicet exprimeret, quod minus est: verum magis est, seu plura continet evictio, quam pretii restitutio: in evictione enim, præter pretium veniunt interesse, seu quanti emptori interest rem ab eo non esse evictam: veniunt insuper damnum, melioramenta, &c. (*h*)

DE

(*a*) *Leg.* 12. *cod. de evict.*
(*b*) *Leg.* 8. *cod. de evict. Leg.* 63. *ff. eod. tit. cap. fin.* 10. *de empt. et vend.*
(*c*) *Leg.* 63. §. 1. *ff. de evict.*
(*d*) *Leg.* 27. *cod. de evict.*
(*e*) *Leg.* 32. *ff. de reb. cred. Leg.* 11. §. *ult. ff. de act. empt.*
(*f*) *Leg.* 21. *cod. de evict.*
(*g*) *Leg.* 8. *cod. de evict. Leg.* 55. *ff. eod. tit.*
(*h*) *Leg.* 6. 9. 17. *et* 29. *cod. de evict.*

DE PERMUTATIONE.

TITULUS II.

PErmutatio eſt : *alicujus rei pro altera vicissitudinaria præstatio.* Permutatio quid ſit. Expoſitio

Alicujus rei ; nempe habilis , et idoneæ ad contrahendum , cum alia ſimili in ſpecie conſiſtenti , ut ſtatim dicetur : *vicissitudinaria* ; quia una pars alteri obligatur rem à ſe permutam tradere : *præstatio*; ideſt traditio ; nam unuſquiſque permutator alterum tenetur rei permutatæ facere dominum , per ipſius rei traditionem. (*a*)

Per quinque capita dividitur permutationis inſtrumentum : 1. *Contrahentium* : 2. *Rei permutatæ utriusque permutatoris* : 3. *Traditionis possessionis , et ad invicem promissionis*: 4. *Legitimæ rei evictionis*: 5. *Obligationis bonorum , et juramenti amborum.* Per quot capita dividatur.

De ſubſtantia permutationis duo ſunt : 1. *Consensus contrahentium* : 2. *Res utriusque permutatoris*; nempè , certa , pro certa in ſpecie , ſeu ſpecificata; ſcilicet, iſte ager, pro illa domo; equus iſte, pro bove illo : Si verò detur certa res pro incerta re ; ut bos ille in ſpecie , pro uno cervo in genere , aut incerta pro incerta ; ut bos in genere , pro equo in genere ; non erit permutatio , ſed alius contractus innominatus ſub his verbis *do, ut des* comprehenſus ; licet aliqui hanc differentian non agnoſcant imò rejiciant, tanquam minus juridicam. (*b*) Quæ ſint de ſubſtantia.

Duo etiam ſunt de natura : 1. *Rem tradere* : 2. *De evictione tenéri.* (*c*) Quæ de natura.

Per-

(*a*) *Leg.* 1. *in princ.* : *et* §. 2. *ff. de rer. perm.*
(*b*) Perez *ad tit. cod. de rer. perm. n.* 5. *in fin.*
(*c*) *Leg.* 1. *et* 3. *cod. de rer. perm.*

Qui perm. posint.

Permutare posſunt omnes illi, qui valent contrahere, et res suas alienare.

Quæ res permut.

Permutari queunt res omnes, quæ in commercium hominum cadere posſunt, ut dictum est de venditione.

Quomodo perficiatur permutatio.

Perficitur permutatio rei interventu ex utraque parte; nimirum, si alter ex permutatoribus rem permutatam alteri tradit; quia mutuus consensus permutationis pactum efficit nudum. (*a*)

In quibus cõveniat cum venditione.

In quinque convenit permutatio cum venditione: 1. *Permutatio est contractus bonæ fidei*; sicut emptio, et venditio (*b*) 2. *omnes illi; qui possunt permutare*; etiam vendere valent: 3. *Illæ res, quæ possunt permutari*; posſunt etiam vendi: 4. *Sicut permutatores ad invicem tenentur de evictione*; ita venditor emptori: 5. *Ex utraque paratur conditio usucapiendi, seu præscribendi.* (*c*)

NOTA. Porrò de similitudine hujus contractus, cum emptione, vide *Inst.* (*d*) ubi refertur, antiquitus valde dubitatum esse, an revera esset emptio, an potius distinctus ab ea contractus.

In quibus differat.

Differt verò in aliis quinque: 1. *Venditio est contractus nominatus*; permutatio autem innominatus; quia à lege nomen non habet: 2. *In venditione ex consensu solo nascitur obligatio*; in permutatione verò ex rei traditione (*e*) 3. *Contrahentes, venditor scilicet, et emptor in venditione integrè dissimilantur*; in permutatione verò non distinguntur permutatores (*f*) 4. *In venditione datur res pro pretio*; in permutatione res

pro

(*a*) *Leg.* 1. § 2. *ff. de rer. perm.*
(*b*) *Inst. de action.* §. 28. *Leg.* 2. *cod. de rer. perm.*
(*c*) *Arg.* §. *pen. Inst. per quas pers. cuiq.*
(*d*) *Inst.* §. 2. *de empt. et vend.*
(*e*) *Instit. de oblig. ex consens. et princ. tit. de empt. et vend. Leg.* 1. §. 2. *ff. de rer. perm.*
(*f*) *Leg.* 1. *ff. de rer. perm.*

pro re ab utraque parte: 5. *In venditione, donec pretium sit solutum, et res tradita, dominium non transfertur*; in permutatione verò semper rei quæ traditur, illico dominium transfertur, quamvis altera res tradita non sit. (*a*)

NOTA. Licet fundus dotalis alienari nequeat; tamen permutari potest, marito volente; nam cessat ratio legis Juliæ, per quam prohibita est alienatio (*b*) sed contrarium probari videtur *leg.* 1. *cod. de fundo dotali*: Nisi forte ex causa utilitatis ipsius mulieris. (*c*)

DE INSOLUTUMDATIONE.

TITULUS III.

Insolutumdatio quid sit.

INsolutumdatio est: *Quædam innominata conventio, ex cujus rei traditione dominium transfertur in accipientem, si tradens erat Dominus.*

Expositio

Quædam innominata conventio; quia insolutumdatio est contractus innominatus, qui comprehenditur sub verbis *do*, ut *facias*; v. g. Ut liberes me de debito; dono tibi insolutum: *Ex cujus rei traditione dominium transfertur in accipientem*; nam, nisi sequatur traditio, dominium non transfertur: *Si tradens erat dominus*; nemo etenim potest plus juris in alium transferre, quam ipse habet. (*d*)

Per quot capita dividatur.

Per sex capita dividitur insolutumdationis instrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Causæ donationis*: 3. *Rei donatæ*: 4. *Traditionis rei*: 5. *Evictionis*: 6. *Juramenti.*

De

(*a*) *Inst. de rer. divis.* §. 41. *et Glos. in l.* 2. *cod. de rer. perm.*
(*b*) Roland. *par.* 1. *cap.* 1. *tit. de empt. et vend. fol.* 535.
(*c*) *Leg.* 25. *et* 26. *ff. de jur. dot.*
(*d*) *Leg.* 54. *ff. de reg. jur.*

Quæ ſint de ſubſt.

De ſubſtantia duo ſunt: 1. *Insolutumdationis causa*: 2. *Res donata.*

Quæ de natura.

De natura verò alia duo: 1. *Rem tradere*: 2. *De evictione teneri.*

Qui inſolutumdare poſsint et qui non; quæque res inſolutumdari, quæ verò non, *vide in tractat. de Emptione, et Venditione tit.* 1.; nam inſolutumdatio circa hæc pari ambulat paſsu.

Cui inſolutumdetur.

Datur inſolutum creditori habere volenti; aut habenti perſonam habilem ad recipiendum; quia ſi creditor nolit recipere non cogitur; quia aliud pro altero ſolvi nequit: atque ſi non eſt perſona habilis, nempè quia infamis; vel habet aliud juris obſtaculum ad recipiendum, nequit ei inſolutumdari. (*a*)

In quibus conveniat cum venditione, et permutatione.

Inſolutumdatio cum venditione, et permutatione in ſex convenit: 1. *Qui possunt insolutumdare*; etiam vendere, et permutare poſsunt: 2. *Res quæ possunt insolutumdari*; etiam vendi poſsunt, atque permutari: 3. *In insolutumdatione de natura debetur evictio*; ſicut in venditione, et permutatione: 4. *Insolutumdans tenetur rem tradere*; ſicut venditor, et permutator: 5. *In insolutumdatione actiones quanto minoris, et redhibitoriæ veniunt servandæ*; veluti in venditione, et permutatione: 6. *Insolutum recipiens rem usucapit, vel præscribit*; ſicut emptor, et permutator.

In quibus differat.

Differt vero à venditione in tribus: 1. *Venditio est contractus nominatus*; inſolutumdatio innominatus: 2: *In illa requiritur res, et pretium*; in hac verò res, et cauſa: 3. *In venditione datur actio ex empto*; ſed in inſolutumdatione, aliquando datur actio preſcriptis verbis, quæ adimplenti competit contra non adimplentem: aliquando utilis ex empto, ſi datur pecunia

(*a*) *Leg.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred. Leg.* 16. *et* 17. *cod. de ſolut.* §. 2. *Inſt. quibus alien. licet.*

nia pro debito; et quandoque pristina actio, si datur res pro re, et postea res evicta est.

NOTA. Revera tamen hic contractus non est alius, quam emptionis, et venditionis; nam si datur insolutum res, talis res censetur vendita: si datur actio, nomen, sive jus, est verè cessio, seu venditio illius juris dati insolutum pro illo debito, quod in effectu est pretium. (*a*)

DE DONATIONE.

TITULUS IV.

Sciendum est primitus, quod donationum sex sunt species; nempè: Donatio simplex, aut inter vivos, de qua nunc agendum: *Dos: Donatio propter nuptias: Sponsalitia largitas: Legatum: et donatio causa mortis; pro ut inferius suis locis cernèmus.*

Donatio quid sit.

Donatio inter vivos est: *Quædam mera liberalitas, quæ nullo jure cogente conceditur.* (*b*)

Expositio

Quædam; ad denotandum discrimen ab aliis donationibus: *Mera liberalitas*; nam donatio sponte, et ex voluntate debet fieri; quia si procederet necessitate, non esset donatio: *Quæ nullo jure cogente conceditur*; quippè non datur jus, per quod aliquis sit ob-

(*a*) *Leg. 4. cod. de evict. Leg. 8. cum Glos. fin. ib. cod. de sent. et interl.*
(*b*) *Arg. ex leg. 82. ff. de reg. jur.*

noxius ad eam. (*a*) Verbum donationis liberalitatem innuit.

NOTA. Appellatur hæc donatio *inter vivos*, ut differat à donatione causa mortis.

Per quot capita dividatur.

Per quinque capita dividitur donationis instrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Rei donatæ*: 3. *Traditionis rei*: 4. *Juramenti*: 5. *Acceptationis donatarii.*

Quæ sint de ejus substant.

De substantia donationis sunt tria: 1: *Contrahentes*: 2. *Res donata*: 3. *Donantis, et donatarii consensus.*

De natura.

De natura vero est: *Rem tradere.*

Quot modis contrahatur.

Quinque modis donatio contrahi potest: 1. *Pure*; si non apponitur dies, nec conditio; ut: *dono tibi hanc domum*; et tunc donator non tenetur de evictione, cum donatio incipiat à traditione, nisi dolus dantis interceserit: Secus tamen si incipiat à promissione; (*b*) tunc enim agi potest de evictione: 2. *Sub conditione*; ut dono tibi agrum, *cum pacto quod debeas dare Vincentio centum libras*; et tunc donatio est onerosa, et si res est evicta, potest donatarius agere de evictione, ex natura contractus: 3. *In diem*; ut dono tibi centum *usque ad mensem Septembris*: 4. *Ex certo tempore, et ex incerto tempore*; *ut per decem annos*, seu *post mortem meam* dono tibi talem domum: 5. *Sub causa*; ut dono tibi rem, *quia ex te accepi beneficia.* (*c*)

NOTA. Exempla supradicta reducuntur ad pactum, stipulationem, et traditionem.

Qui dare possint.

Donare possunt omnes, qui, ut dictum est, possunt contrahere, et res suas alienare.

Qui nequeant.

Donare verò non possunt illi, qui contrahere nequeunt; et ultra: *Tutor*, nec *Curator*; quia in donatione

(*a*) *Leg.* 29. *ff. de donat.*
(*b*) *Leg.* 18. §. 3. *ff. de don.* Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 114.
(*c*) *Tit. cod. de donat. quæ sub modo, vel cond. vel cert. temp. confic.*

tione deficit causa legitima, propter quam licet eis alienare: *Procurator*; quia mandatum generale per se non extenditur ad donandum: *Coheres*, nisi alter heres consentiat: *Socius*, nisi alter socius conveniat; quippè horum unus per se non est dominus totius rei: *Ille*, qui habet rem *communem* cum alio; ob eandem rationem: contrarium tamen statui videtur in leg. infrascripta: (*a*) Demum *pater*; etenim solum est usufructuarius, et administrator bonorum adventitiorum filii. (*b*)

Quibus possit donari.

Donari potest omnibus, qui sensum, consonumque intellectum habent: unde excluduntur mentecaptus, mutus, surdus, et similes; quia sensu carent.

Quæ res donari.

Donari possunt res, quæ, ut jam est dictum, alienari possunt; et in contractum venire.

Quibus modis donatio perficiatur.

Duobus modis donatio perficitur: 1. Quando donator suam voluntatem scriptis, et non scriptis, et jam nuda conventione manifestaverit: 2. Quando accesserit donatarii acceptatio; nam invito beneficium non datur. (*c*)

Quibus dissolvatur.

Dissolvitur autem, sive revocatur ob ingratitudinem donatarii circa donatorem; et causas quæ referuntur *in leg. fin. cod. de revoc. donat.* Videlicet: *Si injurias atroces in eum effundat: Si manus impias inferat: Si grave damnum rebus ipsius inferre præsumat: Si vitæ illius insidietur: Si conditiones in donatione appositas minimè implere voluerit.*

NOTA. Donatio facta absenti, et nomine illius per Notarium acceptata prodest, et nequit per donatorem revocari, excepta ingratitudinis causa, vel onere aliquo adjecto; quia ex generali consuetudine

(*a*) *Leg.* 3. *cod. de comm. rer. alien.*
(*b*) *Leg.* Cum oportet 6. *cod. de bon. quæ lib.*
(*c*) *Leg.* 69. *ff. de reg. jur.*

in hoc Principatu quæritur jus abſenti, et ignoranti ex Notarii ſtipulatione, et tantum operatur Notarii ſtipulatio generaliter facta pro omnibus; quorum intereſt, quantum ſi fiat ſpecialiter pro aliquo; nec etiam ſi eſt jurata donatio, poteſt revocari, cum juramentum ſuppleat partis præſentiam, ſaltim de jure Canonico, quod in noſtro Principatu ante Jus Civile eſt obſervandum. (*a*)

NOTA. Jus revocandæ donationis competit donatori, et non ejus heredibus, niſi cauſam ingratitudinis ille ignoraſset, aut jam de ingratitudine in judicio conqueſtus eſset; quia actiones iſtæ ſunt perſonales, et heredes tenentur habére ratum factum defuncti: et neque jus iſtud revocandi propter ingratitudinem tranſit contra heredem donatarii; tam ſi ingratitudo ſit commiſsa ab herede, quam ſi ab ipſo donatario. (*b*)

NOTA. Donatio omnium bonorum præſentium, et futurorum, licet juramento vallata, abſque reſervatione congrua ad teſtandum non valet, cum nemo poſsit auferre ſibi facultatem teſtandi; nam repugnat bonis moribus: niſi eſset facta Eccleſiæ, ſeu piis locis; tunc etenim ſine juramento valet; quippè cum liceat cuique perſonam ſuam vovere Eccleſiæ; multó magis licebit ei donare omnia bona ſua. (*c*)

NOTA. Si donans ſe adſtringit, ut de bonis reſervatis poſsit tantum diſponere in vita: Illa reſervatio non operatur donationis validitatem; nam donator de eis dumtaxat poteſt ad arbitrium ſuum facere in vita; et ſic, cum ei ſit ſublata facultas teſtandi, donatio eſt nullius momenti. (*d*)

NO-

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 36. *et ſeqq.*
(*b*) *Leg.* 1. *et leg. pen. cod. de revoc. donat.*
(*c*) Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 74. *et ſeqq.*
(*d*) Canc. *ubi ſupra n.* 79.

NOTA. Donatio facta per patrem filio in potestate sua existenti, non valet; quia pater, et filius pro una, et eademmet persona reputantur: Excipiuntur tamen casus, in quibus donatio inter illos permittitur; ut quando pater dat filio studii causa: aut ad sacros ordines eum promovendi: Matrimonii favore: ad arma emenda, si filius ad bellum vadat: quando ei remittit usumfructum in adventitiis: Sed donatio facta à patre filio, confirmatur morte patris; etsi alias non valet. (*a*)

NOTA. Donatio facta inter virum, et uxorem, de jure non valet, ne mutuato amore invicem expolientur; (*b*)tamen sunt aliqui casus, in quibus hæc regula fallit.: 1. Quando maritus donat uxori suæ denarios, adminuta muliebria, vestes suos, aut modicam quantitatem: 2. Quando mulier donat marito naufragium passo: 3. Quando uxor donat marito militanti ad castra; de quibus, aut similibus casibus vide legg. infrascript. (*c*) Confirmatur tamen donatio inter conjuges per mortem donantis; si prædecedat donatario. (*d*)

NOTA. Licet de jure communi donatio inter patrem, et filium, et virum, ac uxorem non valeat: attamen si est cum juramento firmata, valet, et tenet. Si verò jurata non sit, tenet usque ad 500. aureos; nisi sit insinuata; tunc enim ad totum sustineretur. (*e*)

NOTA. Donatio excedens 500. florennos (hoc est aureos, ut consuetudo interpretatur, sic attestante *Canc.* qui summam faciunt 700. scutorum attest. *Pag.*)

tam

(*a*) *Leg.* 25. *cod. de donat. inter vir. et uxor. et à parent. in lib. fact. &c.* Canc. *ubi sup. n.* 85 *et seqq.*

(*b*) *Leg.* 1. 2. 3. *et* 5. §. 2. *ff. de donat. int. vir. et ux. Leg.* 10. *cod. eod. tit.*

(*c*) *Leg* 8. 9. 11. 17. 21. *et* 22. *cod. de donat. inter vir. et uxor.*

(*d*) *Cap. fin.* 10. *de donat. inter vir. et uxor. Leg.* 25. *cod. eod.*

(*e*) *Cap.* 28. 10. *de jurejur. Cap.* 2. *de pact. in* 6. Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 74. *et* 94. Gutierrez *de juram. conf. par.* 1. *cap.* 3.

vel etiam alia, quæ sit totius patrimonii, aut etiam majoris illius partis, indiget insinuatione coram Judice competenti, (*a*) nisi esset jurata, cum juramentum suppleat insinuationis defectum; (*b*) idque ea ratione, ut nimis effusæ donationes quibus homines ad egestatem facile perduci possent, coerceantur; interest enim Reipublicæ, ne quis re sua abutatur. Excluduntur tamen aliqui casus, in quibus expressé cautum est: 1. *Donatio in Principem, et quæ à Principe in privatos confertur*: 2. *Si fit Ecclesiæ*: 3. *Si fit donatio, vel promissio pro redemptione captivorum*: 4. *Si fit ex causa dotis, vel donationis propter nuptias in capitulis matrimonialibus; aut ibidem mulier absolvit, et renuntiat juribus suis*: 5. *Si magister militum donat alicui ex militibus*: 6. *Si quis pro domo diruta, vel ruinosa reparanda donet*: 7. *Si est remuneratoria, propter beneficia collata*: de his, et similibus casibus vide leges, et auctoritates inferius descriptas. (*c*)

NOTA. Remissio, seu liberatio debiti ex donationis causa excedens quingentos aureos, etiam debet fieri cum insinuatione; cum remittere, et donare paria sint (*d*) nisi debitum sit illiquidum: Intellige tamen, prædictam insinuationem (sive sit in remissione, sive sit in donatione) non præjudicare creditoribus, si non fuit facta decem dies ante celebrationem contractus; tunc enim censetur in fraudem facta. (*e*)

NOTA. Per constitutionem Cathaloniæ (*f*) minor

(*a*) *Leg.* 27. 30. 32. 34. *et* 36. §. 3. *cod. de donat. lib.* 8. *tit.* 9. *de donacions const. unic.* Per tolre fraus. Canc. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 1. *et* 2. Pag. *decis.* 150.

(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 5.

(*c*) *Leg.* 34. *cum Auth. seq.*: *et leg.* 36. *cod. de donat. d. const. unic. tit. de donacions.* Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 3.

(*d*) Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 4.

(*e*) *d. Constit. unic. vers.* E sino, *lib.* 8. *d. tit.* 9. *de donacions.* Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 11. *et seqq.*

(*f*) *Lib.* 5. *tit.* 4. *de Tudors, constit.* 2.

nor viginti annis nequit donare illi, ſub cujus poteſtate eſt, niſi præcedant ſolemnitates ibidem expreſsæ; videlicet, quod conſentiant, ad minus, tres Perſonæ, quæ proximiores, ſeu magis amicæ ſint donantis: quod adſit decretum Judicis: et inſuper juramentum, de eo quod illæ tres Perſonæ ſunt revera magis amicæ, et proximæ. Nec donare poteſt illis, quibus commoratur ut ſubditus, ſeu quaſi; quia præſumitur dolo præſtitum id, quod donat, et donans circumventus per eum, cujus panem comedit.

NOTA. Licet de Jure communi donatio inofficioſa, id eſt, quando filius privatur ſua legitima, non valeat; tamen jure ſpeciali Cathaloniæ, ſive pater det alteri ex deſcendentibus, ſive extraneo; ſive donatio ſit inofficioſa re, aut re, et conſilio; filii nequeunt revocare talem donationem, niſi uſque ad ſuam legitimam. (*a*)

NOTA. Si pater, et mater donant filio omnia bona ſua, retento uſufructu, cum intentione, quod ſi alter ex illis moritur, ſupervivens omnium bonorum fruatur uſufructu, debet expreſsè Notarius cavére per pactum, dicendo, quod quilibet ſuperſtes habeat uſumfructum in bonis cujuslibet: aliter, ſi ſimpliciter ſibi uſumfructum bonorum per eos donatorum reſervarent; ſolum debent habére uſumfructum de bonis donatis; quia quivis cenſetur diſponere de rebus propriis: latè hanc quæſtionem tractat *Cancer.* (*b*)

NOTA. Quando quis cupit facere donationem univerſalem, hoc intellecto, quod caſu quo donatarius

(*a*) *Conſuet. unic. lib.* 8. *tit.* 9. *de donacions; de qua vide* Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *à n.* 119. *ad* 125. *verſ.* Eſt tamen advertendum.

(*b*) Canc. *var.* 3. *cap.* 22. *quæſt.* 7. *n.* 112. *nonnulla etiam in par.* 1. *cap.* 8. *n.* 66.

rius donatori præmoriatur, viribus careat, et effectu; Notarius in tali donatione uti non debet verbis: *Dono inter vivos obitu meo sequuto, et nunc pro tunc*; quia qui donat inter vivos, non confert donationis subſtantiam in tempus mortis suæ, sed dumtaxat ejus effectum, et exequutionem, et clausula illa *nunc* pro *tunc* non impedit dominii translationem, sed tantum illius effectum; et licet donatarius præmoriatur donatori, non fit caduca donatio; maximè quando donator sibi reservat usumfructum; nam ex tali reservatione manifestè apparet, donatorem voluisse habére effectum quo ad proprietatem, quod est contra intentionem partis: (*a*) Debebit ergo Notarius exprimere, quod donatio solum fit filio; v. g. Si supervivat; et in casu præmorientiæ exprimere pactum reversionale favore donantis, aut heredum.

DE FEUDO.

TITULUS V.

Feudum quid sit.

FEudum est: *Rei immobilis ob homagium benevola facta concessio.*

Expositio

Rei immobilis; quia feudum tantummodo in rebus immobilibus computatur; ideo super rebus mobilibus nequit constitui: *Ob homagium*; id est, ob debitum fidelitatis, et exercitium, quod facit vasallus Domino suo in ejus honorem: *Benevola*; nam fit ex grata benevolentia propter militaria officia: *Facta concessio*; non autem translatio; quippè non conferuntur jura

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 8. *n.* 217.

jurâ in vaſsallum, niſi, quo ad dominium utile, et naturalem poſſeſsionem; proprietas autem, ſive dominium directum penes Dominum remanet.

Per duas partes inſtrumentum feudi dividitur, quarum prima ex parte concedentis, ſeu Domini ſex continet capita: 1. *Contrahentium*: 2. *Rei concesæ, seu datæ in feudum*: 3. *Dominii directi retentionis, ac utilis traditionis*: 4. *Evictionis*: 5. *Juramenti*: 6. *Investituræ*: Et ſecunda ex parte accipientis, ſive vaſſalli, duo habet: 1. *Fidelitatis*: 2. *Juramenti.* Quot partes, et capita contineat feudum.

De ſubſtantia feudi duo ſunt: 1. *Res concessa à Domino*: 2. *Fidelitatis juramentum*, quod à vaſſallo præſtatur Domino, quodque appellari ſolet *Homagium*; quia vaſſallus ſe *hominem agit* Domini feudalis. Quæ ſint de ſubſtantia.

De natura vero octo: 1. Quod Dominus retineat ſibi dominium, et proprietatem rei, quam concedit in feudum; et utile dominium transferat in vaſſallum: 2. Quod vaſſallus debeat Domino ſervitium perſonale præſtare, cum iſte ſit finis conceſsionis: 3. Quod feudum regulariter ſit perpetuum: *Regulariter* dixi; quia ſi feudum eſt perſonale; ſcilicet, perſonæ conceſsum, non tranſit ad heredes; nam beneficium perſonale cum perſona perit: (*a*) 4. Quod Dominus per ſemetipſum, aut per Procuratorem mittat vaſſallum in poſſeſsionem inveſtituræ: 5. Quod ſi eſt controverſia inter vaſſallos ſuper feudo, Dominus eam cognoſcat: (*b*) 6. Quod vaſſallus non poſsit alium vaſſallum facere de feudo abſque Domini conſenſu (*c*) 7. Quod non præſtetur aliquid pro intrata: 8. Quod alienari nequeat ſine Domini voluntate; hoc tamen de Jure communi eſt ſtatutum: Secus autem de Jure Cathaloniæ, ſuper quo ſtatim. Quæ de naturâ.

Adquiritur autem quatuor modis: 1. *Per inveſtituram*; Quot modis adquiratur.

P

(*a*) *Leg. 68. et 196. ff. de reg. jur.*
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 73.: *et DD. per eum cit.*
(*c*) *Uſat.* 3., *et coſt.* 9. dret, è coſt. *lib.* 4. *tit.* 27. *de fons y poſt. &c.*

ram; quando Dominus haſtam, vel aliquid corporeum porrigit vaſsallo, dicens, ſe facere inveſtituram: 2. *Per aliquid inveſtituræ æquipollens*: 3. *Per ſucceſſionem*: 4. *per præſcriptionem.*

Qui poſſint illud concedere.

Poſsunt feudum concedere omnes illi, qui poſſunt contrahere, et ſunt Domini rerum, quas in feudum concedunt, licet ruſtici ſint: tamen conſuetudo eſt in contrarium; nam ſemper ſolet concedi ab Imperatore, Rege, Duce, Comite, Marchione, et ſimilibus.

Qui nequeant.

Concedere verò nequeunt illi, qui cum aliis, vel alias, contrahere non valent; ut infans, impubes. &c.

Quibus poſsit concedi.

Licet in feudum concedi omnibus illis, qui feudo ſervire poſsunt; ut majoribus quatuordecim annis, et non minoribus, quia nequeunt juramentum fidelitatis præſtare, et ſi illis conceditur, non debent feudo ſervire: Item libero homini, maſculo, feminæ, et ſervo, dummodo conſentiat Dominus.

Quibus non.

Concedi verò nequit illis, qui præſtare ſervitia injuncta feudo non poſsunt; veluti ſunt infans, impubes, mutus, ſurdus, Monachus, Moniales, et ſimiles; quia feudo ſervire non valent, propter juris impedimentum.

Quæ res poſsint.

Poſsunt in feudum concedi res omnes immobiles, quæ alienari, et in contractum deduci poſsunt, ut de venditione diximus.

Quæ nequeant.

Nequeunt autem concedi res mobiles; nam feudum inter immobilia enumeratur: nec non immobiles, ſi habent obſtaculum à lege; veluti res Sacra, Sancta. &c.

Quot cauſis revocetur.

Diſsolvitur, ſive revocatur feudum quinque de cauſis: 1. Si vaſsallus Dominum ſuum periclitantem in prælio dimiſerit (*a*) 2. Si vaſsallus injuſtè Domino ſuo debitum fidelitatis, ut eſt conventum, facere recuſa-

(*a*) *Uſat. 8. d. tit.*

cusaverit (*a*) 3. Si necem Domini procuravit (*b*) 4. Si cum uxore, filia, vel nepte Domini sui se immiscere voluit (*c*) 5. Si vasallus Domino est ingratus, propter causas expressas in antecedenti tit. de Donatione.

NOTA. De Jure Cathaloniæ femina succedit in feudum,(*d*) et concurrit in gratificationem, licet contrarium reperiatur de jure communi. (*e*) Est autem gratificatio, quando Dominus, vasallo ab intestato decesso, seu absque feudi dispositione concedit feudum alicui ex filiis suis, et ipsis deficientibus, proximiori agnato. (*f*)

NOTA. Ipso Jure Patriæ feudum obligari, et alienari potest absque Domini consensu; (*g*) Sed vassallus ante traditionem rei debet denuntiare Domino; alias in pœnas incurrit. (*h*)

NOTA. In Cathalonia feudum est indivisibile (*i*) et consequenter, si vasallus non disponit de feudo, Dominus gratificat, ut paulo ante dictum est.

NOTA. Quod vasallus miles tenetur intra annum, et mensem, et plebeius intra annum, et diem à morte domini petere renovationem investituræ, et debitum fidelitatis juramentum præstare, alias privatur á feudo: Et idem est intelligendum si domino su-

(*a*) *Costuma* 19. Si el Castlà, *d. tit.*
(*b*) *Usat.* 11. Qui se sciente, *eod. tit.*
(*c*) *d. Usat.* 11. Qui se sciente.
(*d*) *Costuma* 22. Si mort lo Castlà.
(*e*) Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 55. *et seqq.*
(*f*) Canc. *ubi sup. n.* 32.
(*g*) *Const.* Item ne super laudemio, *vers.* Ajustants, *lib.* 4. *tit.* 18. *de dret emfiteutich.* Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 70.
(*h*) Canc. *d. cap. n.* 70.
(*i*) Canc. *var.* 1. *eod. cap. n.* 31. *super cost.* 9. Dret, è costuma *d. t.*

perſtite vaſsallus migraverit; nam intra ipſum tempus tenetur ſucceſsor idem facere. (*a*)

Licet ſuper feudorum materia multa alia dici poſſent: tamen cum ſit his temporibus inuſitata, ſeu rariſsima eorum conceſsio; brevitatis gratia, huic tractatui finem imponam: Si quis tamen plura ſcire peroptat, præter Authores noſtros; ut *Cancer*, *Fontanella*, *Socarrat*, et alios ſuis locis; videat *Engel. et Reiff. ad tit. Decretal. de Feudis*, ubi uberrimé agunt de hac materia magis frequenti apud ſuos germanos.

DE EMPHYTEUSI.

TITULUS VI.

Emphyteuſi quid ſit.

EMphyteuſis eſt: *Rei immobilis ad certum tempus, vel in perpetuum alteri facta conceſsio, dominio, et proprietate retentis, ſub conditione annuæ penſionis, et renovationis, finito conceſsionis tempore, faciendæ.*

Expoſitio

Rei immobilis dicit; non autem mobilis, ad oſtendendum, emphyteuſim ſolummodo in bonis immobilibus conſtitui poſse, habita conſideratione finis, ad quem fuit inventa: *Ad certum tempus, vel in perpetuum*; quia utroque modo perficitur: *Alteri*; ideſt habili; et qui ſe obligare poſsit ad penſionem cenſus ſolvendam; *facta conceſsio*; nam dumtaxat emphyteutæ poſſeſsio naturalis, et dominium utile conceditur:

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 74. *cum ſeqq. ſup. coſt.* 20. Lo Seũor mort.

tur: *Dominio, et proprietate retentis*; etenim dominium directum, proprietas, et civilis possessio penes concedentem remanet: *Sub conditione annuæ pensionis*; emphyteusis enim constitui non potest absque aliqua certa pensione annua solvenda, quæ de hujus contractus substantia est; quapropter non valet pactum, ut nihil solvatur pro censu (*a*) *et renovationis finito concessionis tempore faciendæ*; quippè si ad tempus certum est, vel alias ob quasdam causas finitur emphyteusis; tunc, non renovata, manet extinctus contractus, quia jam est resolutum jus acceptatoris, scilicet, emphyteutæ.

Quotuplex sit.

Emphyteusis est duplex: *Temporalis*: et *perpetualis*. Emphyteusis *temporalis* est, quando fit cum temporis præfixione; scilicet, ad modicum, vel non modicum tempus: *Perpetualis* verò, quando conceditur in perpetuum; nam in hoc contractu pacta contrahentium prius inspiciuntur. (*b*)

Quot partes, et capita contineant.

Instrumentum emphyteusis per duas partes dividitur, quarum prima septem capita habet ex parte concedentis, seu Domini: 1. *Contrahentis consensus*: 2. *Concessionis rei*: 3. *Retentionis dominii, et utilis traditionis*: 4. *Pensionis*: 5. *Intratæ*: 6. *Legitimæ rei evictionis, ac bonorum obligationis*: 7. *Juramenti*. Et secunda quatuor ex parte acquisitoris, seu emphyteutæ; nempe: 1. *Acceptationis*: 2. *Promissionis solvendi canonem*: 3. *Obligationis*: 4. *Juramenti*.

Quæ sint de substantia.

De substantia emphyteusis quatuor sunt: 1. *Contrahentium consensus*: 2. *Res*: 3. *Intrata* de consuetudine; sed quidem intrata non est de substantia. (*c*) 4. *Pensio, quæ datur in recognitionem dominii*. (*d*)

De

(*a*) *Leg.* 1. *cod. de jur. emphyt.*
(*b*) *Leg.* 2. *cod. de jur. emphyt.*
(*c*) *Arg. leg.* 1. *cod. de jur. emph.*
(*d*) *Leg.* 1. *cod. de jur. emphyt.*

Quæ de natura.

De natura verò alia quatuor : 1. Quod Dominus sibi retineat dominium directum, proprietatem, et civilem posſesſionem, in cujus ſignum, et recognitionem ſolvitur ipſi annua penſio; et utile dominium, et naturalis poſſeſsio concedatur emphyteutæ : 2. Quod Dominus poteſt expellere propria auctoritate á dicta poſſeſsione emphyteutam, ſi ceſsat ſolvere penſionem, pro ut fuerit inter ipſos conventum, (*a*) accedente tamen judicio Judicis ; (*b*) de æquitate tamen canonica admittitur moræ purgatio per celerem ſatisfactionem emphyteutæ (*c*) 3. Quod ſi res tota perit liberatur emphyteuta : Secus ſi pro parte, niſi eſset ita tenuis pars remanens, quæ non ſufficiat pro canone, ſive penſione ſolvenda ; tunc enim reducitur habito reſpectu (*d*) 4. Quod Dominus, quando res emphyteutica alienatur, poteſt uti fatica intra unum menſem de Jure Cathaloniæ præfixum à die præſentationis inſtrumenti, ſeu ſcientiæ. (*e*)

Qui poſs. concedere

Poſsunt in emphyteuſim concedere omnes qui poſſunt contrahere, et res ſuas alienare.

Qui nequeant.

Concedere verò nequeunt illi, qui contrahere non poſsunt ; ut ſunt impubes, furioſus, mentecaptus, et alii ; ut ſupra habetur in tractatu de Perſonis, quæ contrahere poſsunt, et quæ non.

Quibus poſs. conc.

Concedi poteſt omnibus, qui ad penſionem cenſus ſolvendam ſe poſsunt obligare.

Quæ res poſsunt concedi.

Poſsunt in emphyteuſim concedi res immobiles, tam urbanæ, quam ruſticæ non prohibitæ à lege alienari :

(*a*) *Leg.* 2. *cod. de jur. emphyt.*
(*b*) *Arg. leg.* 176. *ff. de reg. jur.*
(*c*) *Arg. cap. fin.* 10. *de loc. et conduc.*
(*d*) *Leg.* 1. *cod. de jur. emph.*
(*e*) *Leg.* 3. *cod. de jur. emph. conſt.* Item ne ſuper Laud. *verſ.* Ajuſtants *lib.* 4. *tit.* 28. *de dret emfiteut. ubi* Peg, et Vilap. *verſ.* 1.

nari: sed frequentius conceduntur prædia rustica, quia finis hujus contractus est melioratio.

Concedi autem non possunt res mobiles; quia emphyteusis inter immobilia enumeratur; nec non immobiles, si à lege habent impedimentum. Quæ nequeunt.

Perficitur emphyteusis, scriptura interveniente á principio; alias non valet emphyteusis; nam ita reperitur cautum in constitutione D. Zenonis, (*a*) qui fuit inventor emphyteusis; et proinde à nonnullis hic contractus appellatur *creatura Zenonis*. Quomodo perficiatur

Dissolvitur vero quatuor modis: 1. Si pactum factum inter Dominum, et emphyteutam non servetur: 2. Si emphyteuta scienter deneget Domino, se remtenère in emphyteusim: 3. Si sciens res emphyteuticas tanquam alodiales alienet, vel taceat esse emphyteuticæ conditioni subjectas: 4. Si pagensis reliquerit mansum per annum inhabitatum: Et in proximis tribus casibus, de Jure Cathaloniæ, res emphyteutica cadit in commissum. (*b*) Quomodo dissolvatur

Convenit emphyteusis cum venditione in duobus: 1. Quia sicut venditor tenetur de evictione emptori re evicta; ita, *et Dominus emphyteutæ*: 2. Nam pro ut venditor emptori rem tradere debet; *æque Dominus emphyteutæ utile dominium*. (*c*) In quibus conveniat cum venditione.

Differunt verò in quatuor: 1. Quia emptor verus Dominus efficitur; *sed emphyteuta solum utile dominium, et naturalem possessionem habet*: 2. Quia in venditione pretium debet esse in pecunia numerata, saltim á principio, et non in alia re; *emphyteusis verò concedi potest pro pecunia, vel alia qualibet re, tam in intrata, quàm in census impositione*: 3. Quia emp- In quibus differat.

(*a*) *Leg.* 1. *cod. de jur. emph.*
(*b*) Canc. *part.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 1. *per tot.*
(*c*) *Inst. de loc. et cond.* §. 3.

emptor expelli nequit à re empta; *sed emphyteuta poteſt, ſi penſionem non ſolvit*: 4. Quia res mobiles, et immobiles vendi poſſunt; *ſed emphyteuſim ſolummodo immobiles poſſunt concedi.*

NOTA. Licet emphyteuſis nequeat conſtitui ſine cenſu: tamen ex poſt facto poteſt iſte ſeparari à dominio directo; ſcilicet, vendi, donari, legari, &c. cum cenſus, et dominium directum inter ſe ſint diverſa, et diſtincta. (*a*)

NOTA. In Cathalonia, ſi aliquis emerit res feudales, ſeu emphyteuticales, et ſine firma, ſeu Dominorum conſenſu poſſeſſionem ceperit, cadit in pœnam, quod debet ſolvere laudemium duplicatum. (*b*)

NOTA. Feudum, et emphyteuſis eisdem regulis judicantur, et argumentum ab uno ad aliud procedit; niſi expreſsè contrarium reperiatur: ut advertit *Cancer.* (*c*)

NOTA. In rebus, et negotiis, tam feudalibus, quam emphyteuticariis, primo ſtandum eſt pactis, quæ inter partes conventa ſunt; pactis deficientibus, recurrendum eſt ad conſuetudinem loci, ſeu regionis, quæ ſi non appareat, ultimo loco res decidenda eſt ſecundum jus ſcriptum, primo videlicet jus municipale, et poſtea jus comune. (*d*)

NOTA. Notarii, debent exigere juramentum à partibus in contractibus alienationum rerum immobilium, quo mediante affirment contractum non fieri in fraudem laudemiorum, fathicæ, et jurium dominis di-

---

(*a*) Canc *var.* 1. *cap.* 11. *n.* 96., *et cap.* 12. *n.* 15.
(*b*) Canc. *par.* 1. *cap.* 11. *n.* 8.
(*c*) Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *in princ.*
(*d*) Peg. *in rep. cap.* Item ne ſuper Laud. *præl.* 3. *n.* 4. Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 18.

directis competentium, et de eo facienda est mentio à Notario, qua constet jusjurandum, exactum, et præstitum fuisse; imposita partibus pœna duplicati laudemi; et Tabellioni 25. ducatorum, et aliis arbitrariis. (*a*)

NOTA. Quod cautum est, ut in rerum emphyteuticalium alienationibus mentio fieri debeat, non vaga, et generalis, sed expressa in individuo dominorum alodialium, censum, et jurium, quæ præstare res debent, et temporis in quo fieri unaquæque jurium prestatio debeat. (*b*)

De natura, et materia contractus emphyteusis: de pactis, scriptura, canone, denuntiatione, melioramentis, fatica, laudemio, et aliis ad hunc contractum spectantibus vide *leg.* 1. 2. *et* 3. *cod. de jur. emphyt.* Nonnulla etiam sume ex *leg.* Jubèmus 14. *cum authenticis seqq. et Leg.* privilegia 17. *cod de Sacros. Eccl. cap. fin.* 10. *de Locat. et conduc. cap.* 7. 10. *de reb. Eccl. cap.* 2. 10. *de Feud. Can.* 1. *caus.* 16. *quæst.* 7.

(*a*) *Const. 6. lib. 4. tit. 28. de dret emfit. vol. 1.*
(*b*) *Const. 7. eod. tit.*

CAPUT II.

DE DOTIBUS.

IN QUINQUE TITULOS PARTITUM.

Tit. I. *De Dote.*
§. I. *De Augmento dotis.*
Tit. II. *De Donatione propter nuptias.*
Tit. III. *De Sponsalitia largitate.*
Tit. IV. *De Sponsalibus.*
Tit. V. *De Matrimonio.*

Dos quid sit.

DOS eſt: *Qua datur ab uxore, vel ejus patre, aut alio, marito, vel ejus patri, propter onera matrimonii sustinenda, ut perpetuo sit penes eum.*

Expositio.

Qua datur; non autem conceditur; quia maritus, conſtante matrimonio, verus, et directus Dominus efficitur rei ſibi datæ in dotem: (*a*) *ab uxore*; nam uxor debet conſtituere dotem marito; quod, tam uxori, quam marito eſt valde favorabile, et quid importet, docet *Fontanella*: (*b*) *vel ejus patre, aut alio*; quilibet enim pro muliere dotem conſtituere poteſt: (*c*) *marito*; quippè ipſi debet dos dari, cum habeat onera matrimonii ſuſtinère: (*d*) *vel ejus patri*; quia patri mariti etiam dos dari poteſt, nempé, patri, vel alii cuicumque, qui in ſe pro marito matrimonii onera ſuſcipiat; dummodo tamen ſimul etiam detur marito, quia apud eum eſse debet dos, ad quem ſpectant onera matrimonii: (*e*) *propter onera matrimonii sustinenda*; nam

(*a*) *Inſt. quib. alien. licet, in princ. leg.* 7. §. 3. *Leg.* 75. *ff. de jur. dot.*
(*b*) Font. *de pactis, cl.* 6. *gloſ.* 1. *par.* 1. *et ſeqq.*
(*c*) *Leg.* 5. *et* 6. *ff. de jur. dot. Leg.* 9. *in fin. cod. de pact. conv.*
(*d*) *Leg.* 56. §. 1. *Leg.* 75. *ff. de jur. dot.*
(*e*) *Leg.* 56. §. 1. *ff. de jur. dot.*

nam dos pro oneribus matrimonii, (quæ plerumque gravia sunt) deservire debet, ut pro sustentatione mariti, uxoris, ac filiorum communium : (*a*) *ut perpetuo sit penes eum* ; id est, quamdiu duraverit matrimonium ; nam dotis causa perpetua est, cum votum, seu voluntas dantis sit, ut semper apud maritum maneat. (*b*)

Duplex est dos ; scilicet : *Profectitia* : et *Adventitia*. Dos *profectitia* est, quæ provenit à patre, avo, vel proavo paternis, et ex eorum, et non aliis bonis: *Adventitia* est, quæ devenit à matre, avo, vel proavo maternis, et de eorum bonis ; et licet contemplatione patris filiæ detur, non dicitur dos profectitia, sed adventitia. Duplex est Profectitia et adventitia.

Discrimen inter adventitiam et profectitiam dotem est : Quod in casu restitutionis, si dos est adventitia, restitui debet mulieri, quia si non est expressè stipulatum, danti restitui debere, mulieri competit actio tamquam ipsi data : et è contra si profectitia sit; nam tunc ad patrem redire debet, utpote ab ipso profecta ; nisi aliter conventum sit. (*c*) Discrimen inter eas.

Per quinque capita dividitur donatio dotis : 1 *Proœmii*, in quo narrantur contrahentes et matrimonii celebratio : 2. *Rei donatæ* : 3. *Traditionis rei ipsius* : 4. *Juramenti dantis* : 5. *Acceptationis recipientis, seu donatarii.* Per quot capita dividatur.

Tribus modis dos potest contrahi : 1. *Purè* ; ut promitto tibi dare centum in dotem, nulla die, vel conditione adjecta : 2. *In diem* ; ut hinc ad tale tempus centum nomine dotis tibi dabo : 3. *Sub conditione* ; ut si navis venerit, dabo tibi centum in dotem. (*d*) Quot modis contrahi possit.

(*a*) *Leg.* 20. *cod. de jur. dot.* Fo nt. *de pact. cl.* 6. *glos.* 2. *par.* 3.
(*b*) *Leg.* 1. *ff. de jur. dot.*
(*c*) *Leg.* 5. *et* 6. *ff. de jur. dot. Leg.* 12. *ff. de pact. dot.*
(*d*) *Leg.* 20. 76. *et* 79. § 1. *ff. de jur. dot. Leg.* 10. *et pass. ff. de pact. dot.*

Quot modis constituatur.

Quatuor modis constitui potest: 1. *Pactione*; id est, simplici promissione, sive pacto nudo; et hoc est speciale in dote, favore matrimonii (*a*) 2. *Stipulatione*; quando promitto tibi per pactum centum nomine dotis; quæ stipulatio, etiam si de ea non constet, inesse intelligitur; ita ut tamquam si adesset, detur actio ex stipulatu, beneficio leg. infrascriptæ. (*b*) 3. *Traditione*; ut accipe istam rem datam tibi in dotem. (*c*) 4. *Ultima voluntate*; ut si testator dixerit, filiam meam pro dote sua centum habére volo. (*d*)

Qui eam dare possint.

Possunt dotem dare illi, qui alias contrahere; et bona sua alienare possunt, (*e*) unde sequitur, minorem sine solemnitatibus, et alios, qui contrahere, vel alienare nequeunt, non posse dotem constituere: datur verò hoc casu mulieri minori Curator, aut generalis, aut specialis doti constituendæ, secundum facultates, et illius dignitatem: nec adversus eam dationem, et dotis constitutionem restituitur, (*f*) nisi dolo inducta, aut circumscripta sit. (*g*)

Qui constituere debeant.

Tenentur dotem constituere Pater pro filia: avus pro nepte: proavus pro pronepte; quod intellige de linea paterna, et non materna, cum dotare filias sit paternum, et non maternum officium: tutor pro pupilla: et curator pro adulta, juxta dignitates, et facultates eorum. (*h*)

Dari

(*a*) *Leg. 6. cod. de dot. prom. et nud. pollic. Leg. 6. cod. de jur. dot.*
(*b*) *Leg. un. cod. de rei uxor. act.*
(*c*) *Leg. 46. ff. de jur. dot.*
(*d*) *Leg. 29. ff. de jur. dot.*
(*e*) *Leg. 41. ff. de jur. dot.*
(*f*) *Leg. 61. ff. de jur. dot. Leg. 28. cod. eod. tit. Leg. fin. cod. de in integr. restit.*
(*g*) *Leg. un. cod.* Si adverſ. dotem.
(*h*) *Leg. ult. cod. de dot. promiſſ. add. leg. 14. cod. de jur. dot., et leg. 60. ff. eod. tit.*

Dari autem, seu constitui potest dos marito, vel ejus patri, aut cuicumque alii de ejus voluntate, qui possit tamen se obligare ad dotem restituendam. Quibus constitui possit.

Constitui verum, seu dari debet illi, qui onera matrimonii supportare tenètur; nam, ut diximus, ibi dos esse debet, ubi onera sunt matrimonii. Quibus debeat constitui.

In dotem constitui possunt omnes res mobiles, sive immobiles, corporales, incorporales, in toto, aut in parte, divisim, vel indivisim, æstimatè, vel inæstimatè, pecunia, et aliæ quælibet res, quæ alienari, et in contractum deduci possunt, (*a*) excepta re litigiosa, quia licet alienari nequeat, potest tamen in dotem constitui. (*b*) Quæ res constitui possint.

Æstimatio rei datæ in dotem quatuor operatur: 1. Facit fundum esse emptitium, et desinit esse dotalis; nisi æstimatio fiat ad effectum, ut sciatur quid, sive quantum in dotem datum sit; aut quid restituendum, soluto matrimonio: (*c*) 2. Quod soluto matrimonio æstimatio, venit restituenda, et non res: (*d*) 3. Si res perit, ad maritum pertinet periculum deteriorationis, et peremptionis, sicut in venditione: (*e*) 4. Quod maritus rem æstimatam sine uxoris consensu potest alienare: secus si inæstimata sit; tunc etenim esset fundus dotalis. (*f*) Quid operetur æstimatio rei dotalis.

Dissolvitur, seu recuperatur dos à muliere in tribus casibus: 1. Si maritus vergat ad inopiam. (*g*) 2. Si maritus, ob delictum, perpetuo bannitus est, et ejus bona Quomodo recuperetur dos.

(*a*) *Leg.* 36. 42. *et* 66 *ff. de jur. dot.*
(*b*) *Leg. ult. cod. de litigios.*
(*c*) *Leg.* 69. §. 7. *ff. de jur. dot. Leg.* 21. *cod. eod. tit.*
(*d*) *Leg.* 10. §. 4. *ff. de jur. dot. Leg.* 5. *et* 10. *cod. eod. tit.*
(*e*) *Inst. de empt. et vend.* §. 3. *Leg.* 18 *ff. de jur. dot.*
(*f*) *Inst. quibus alienari licet in princ. Leg.* 69. §. 8. *ff. de jur. dot.*
(*g*) *Leg.* 29. *cod. de jur. dot. Leg.* 24. *ff. solut. matrim. Novell.* 97. *cap. ult.*

bona publicantur. (*a*) 3. Post mortem mariti lapso anno, si res mobiles sunt, et in pecunia consistunt: si verò immobiles, statim; nam restitutio immobilium est facilioris expeditionis, quam mobilium, quæ debentur, quales inveniuntur, si usu consumi possunt; (*b*) sed nota, maritum non teneri ad restitutionem dotis, nisi in quantum facere potest; (*c*) quod privilegium non transit ad heredes, nisi sint filii: (*d*) vulgo hoc beneficium appellatur, et benè, *ne egeat*; de quo *Cancer.* (*e*)

NOTA. In dote non requiritur acceptatio donatariæ, seu mulieris, cum jus quæratur mulieri absenti in dote ei data, favore dotis; sed acceptatione sequuta, revocari non valet. (*f*)

NOTA. De bonis mulieris extra dotem, quæ *paraphernalia* vocantur, sic habe: ea omnino esse mulieris, tam quo ad dominium, quam quo ad administrationem; nisi contrarium sit actum, sive conventum. Si ea mulier attulit viro, censetur confessa ei, non proprietas, sed administratio, pro qua competit mulieri hipotheca in bonis mariti: soluto verò matrimonio, ea restituet maritus, una cum fructibus, si extent: si verò jam non extent, et consumpti sunt in usus communes, non sunt restituendi: et si contrarium non appareat, est juris præsumptio, quod in usus communes, et sic de voluntate uxoris sunt consumpti. (*g*)

DE

(*a*) *Leg. 2. cod. solut. matrim.*
(*b*) *Leg. fin. cod. solut. matrim. Leg. un. cod. de rei uxor. act.*
(*c*) *Leg. 12. ff. solut. matrim.*
(*d*) *Leg. 13. et 18. ff. solut. matrim.*
(*e*) Canc. *var. 1. cap. 9. n. 103. cum seqq., et præsipuè n. 108.*
(*f*) Canc. *var. 1. cap. 8. n. 37. et par. 3. cap. 7. n. 339.*
(*g*) *Leg. 9. §. 3, ff. de jur. dot.* Canc. *var. 1. cap. 9. n. 17. et seqq. Leg. 8. cod. de pact. conv.*

DE AUGMENTO DOTIS.

§. I.

INcumbebat hoc loco de augmento dotis tractare: Attamen, cum pari paſsu ambulet ac ipſa dos, ita ut eodem modo diffiniri, et explicari debeat: Et cum cætera omnia, quæ de dote dicta ſunt; idem de ejus augmento intelligendum ſit; ideo de eo plura dicere omitto. Et ſolum addo, quod in ipſo debet exprimi, unde proceſsit idem augmentum, ad evitandas fraudes, quæ aliunde creditoribus fieri poſsent: Si enim à marito proveniat, ſive facta ſit, magis cenſetur donatio propter nuptias, quam augmentum dotis. (*a*)

Augmentum dotis

DE DONATIONE PROPTER NUPTIAS.

TITULUS II.

DOnatio propter nuptias eſt: *Quam facit maritus uxori in contractu matrimonii correlativè ad dotem, et ad majorem ipsius securitatem.*

Quam facit maritus uxori; ad differentiam dotis augmenti; nam donatio propter nuptias fit ex parte viri; augmentum autem dotis ex parte uxoris, aut ſaltem contemplatione, ſive affectu, et occaſione uxoris:

Donatio propter nuptias quid ſit.

Expoſitio

(*a*) Canc. *par.* 1. *cap.* 9. *n.* 4. *et* 97.; *et leg.* 19. *cod. de don. ante nupt.*

uxoris: *In contractu matrimonii*; quia fit contemplatione matrimonii, ſicut dos: *Correlativè ad dotem*; eo quia de jure antiquo donatio propter nuptias ſolebat fieri æqualis doti; nunc verò de ea ſolet conveniri inter partes;(*a*)Et ſæpiſſimè loci conſuetudo ſervatur, quæ Barcinone medietas dotis eſt; ſed ſi dos magna eſt, ſolet eſſe pars tertia. Hoc ſi pactum reverſionale doti apponitur quo ad medietatem (ut ſolet fieri); Si verò ad liberas voluntates mulieris datur tota dos, donatio iſta nonnunquam fit æqualis doti.

Quomodo appelletur in Cathalonia.

Appellatur hæc donatio in Cathalonia crexium, augmentum, ſive donatio propter nuptias; vulgò *creix*, *sponsalici*, *augment*, *ò donaciò per noces*.

Per quot cap. div.

Per quatuor capita dividitur: 1. *Contrahentis consensus*: 2. *Rei donatæ*: 3. *promissionis*: 4. *Juramenti*.

Quæ sint de ſubſt.

Tria ſunt de ſubſtantia hujus donationis: 1. *Consensus*: 2. *Res donata*: 3. *Matrimonium*.

Quæ de natura.

Quinque verò de natura: 1. *Quod maritus det uxori suæ tantum, quantum pro dote recepit*, niſi aliud partes convenerint; aut contraria ſit conſuetudo: 2. *Quod maritus habeat omnes fructus, redditus, et proventus rei propter nuptias datæ*: 3. *Quod de ipsa re data, mulieri dominium acquiratur*: 4. *Quod res ipsa alienari nequeat*, etiam uxore conſentiente; ſed perpetuo apud conjuges remanère debeat, nec maritus poſsit ipſam revocare, maximè in hoc Principatu, ubi ſemper ſtipulatur filiis naſcituris: 5. *Quod soluto matrimonio expiret, et veniat reſtituenda sicut dos*; (*b*) niſi aliter cautum ſit, aut contraria ſit conſuetudo. (*c*)

Cui dari poſsit.

Donari poteſt propter nuptias mulieri, quæ poſsit ſe obligare ad dotem ipſam reſtituendam; necnon da-

---

(*a*) *Auth.* Dos data, *cod. de don. ante nup.* Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 90.
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 79.
(*c*) *Cap. fin* 10. *de donat. prop. nupt.*

datur alteri cuicumque capaci perſonæ, de ipſius mulieris voluntate, pro ut de dote dictum eſt.

Donari poſſunt res omnes, quæ alienari, et in contractum deduci poſſunt, ſive ſint mobiles, ſive immobiles. &c. Quæ res dari.

NOTA. Mulier pro hac donatione non gaudet privilegio, pro ut in dote; nam licet habeat hipothecam, tamen non præfertur creditoribus ipſi anterioribus, et tacitam hipothecam habentibus, pro ut eſt in dote; quia in ipſa agitur de damno vitando, et in illa de lucro captando; (*a*) ſed pro ipſa donatione gaudet mulier beneficio Conſtitutionis Cathaloniæ incipientis: *Ab aquesta nostra* (*b*) pro ut in dote: Cujus vigore uxor, ſive vidua ſtatim à morte mariti *ipso jure* cenſetur poſſidére omnia bona ipſius; ex quibus eſt providendum viduæ de omnibus ei neceſsariis intra annum luctus: et præterea omnes fructus ſuos facit, donec ei de dote, et ſponſalitio ſit integre ſatisfactum: Ad hoc autem, ut vidua gaudeat dictis beneficiis conſtitutionis *hac nostra*; debet incipere inventarium bonorum mariti defuncti intra menſem, et intra ſecundum menſem illud perficere; qui dies incipiunt currere poſt novem dies á die ſcientiæ mortis mariti; (*c*) et inſuper adverte, quod ſi non conſtat de receptione dotis, mulier non gaudebit beneficio dictæ Conſtitutionis, licet vir in teſtamento confeſsus ſit dotem ab ea recepiſse; quia pert alem confeſsionem non probatur ſolutio dotis. (*d*)

NOTA. Licet viduis non ſoleat fieri donatio

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 16.
(*b*) *Conſtit.* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. *Diſsolt lo matrimoni.*
(*c*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *per tot.*
(*d*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 53.

propter nuptias: tamen, si fiat, censetur, quod mulier gaudet dicto beneficio constitutionis. (*a*)

NOTA. Per consuetudinem hujus Cathaloniæ Principatus, mulier potest recuperare totam donationem propter nuptias, præstita cautione de illa restituenda post ejus mortem heredibus viri sui: et si dimidiam recuperare vult, potest, et de ea liberè ad suas voluntates disponere; quod tamen intellige, si non supersunt filii ex illo matrimonio, alias non est locus electioni: ratio est, quia sponsalitium filiis stipulari solet, et sic illius proprietas debet eis conservari; et si non esset stipulatum, nihilominus non foret locus electioni; quia dicta consuetudo debet intelligi, filiis non extantibus. (*b*)

DE SPONSALITIA LARGITATE.

TITULUS III.

Sponsalitia quid sit.

SPonsalitia largitas est: *Donatio, quæ fit inter sponsos contemplatione futuri matrimonii.*

Expositio.

Donatio; nam sponsalitia largitas est vera donatio inter vivos, sub tacita conditione nuptiarum: (*c*) *Quæ fit inter sponsos*; ut intelligatur, quod tam sponsus, quam sponsa hanc donationem facere possunt: *Sub tacita conditione nuptiarum*; nam si matrimonium non

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 94.
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 80. *cum seqq.*
(*c*) *Leg.* 2. *et* 10. *cod. de don. ante nup.*

non adimpletur, repeti potest donatio.

Fieri solet sponsalitia largitas de mobilibus rebus; puta annulis, jocalibus, et similibus quæ alienari possunt: non autem de immobilibus.

NOTA. Sponsus efficitur Dominus rei, quam sibi sponsa dat, et sponsa Domina rei sibi ab sponso datæ, ac non venit restituenda, soluto matrimonio, pro ut est in dote, et donatione propter nuptias.

NOTA. Si non sequantur nuptiæ, resolvitur donatio; quia ob causam futuri matrimonii facta præsumitur, nisi per alterum steterit, quominus matrimonium contrahatur; quo casu, is, per quem steterit, donatum non repetit, imo promissum exsolvit.

NOTA. Si matrimonium non sequatur ob mortem unius ex sponsis; tunc totum, quod donatum est, debet restitui donatori, seu ejus heredibus, nisi osculum intervenerit; quo casu, sponsus superstes solum repetet dimidium ejus quod donavit; sponsa verò poterit repetere integré totum id, quod donavit.(*a*)

NOTA. Munera magni valoris; ut annuli, jocalia, vestes pretiosæ, et similia, quæ ab sponso dari solent sponsæ, interdum, imo plerumque, non habentur pro donatis; sed censentur missa sponsæ, ut magis ornata possit incedere, et accedere ad domum mariti; quare soluto matrimonio locus est ipsorum repetitioni: et hoc jure utimur.(*b*)

NOTA. Si quis fecit donationem, non tam liberalitatis gratia, quam animo, ut numquam ad se ullo facto reverti vellet, hodie valet. (*c*)

(*a*) *Leg.* 15. *et* 16. *cod. de donat. ante nup.*
(*b*) Cane. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 67. *et* 71. Fontan. *de pactis cl.* 7. *glos.* 5. *par.* 6. *n.* 65. *et seq.*
(*c*) *Leg.* 1. §. *un. ff. de donat.*

DE SPONSALIBUS.

TITULUS IV.

Sponsalia quid sint.

SPonsalia sunt: *Futurarum nuptiarum repromissio.* (*a*)

Expositio.

Futurarum nuptiarum; quia sponsalia fiunt per verba de futuro; nimirum: *Accipiam te in meam uxorem*; nam si fierent inter puberes per verba de præsenti, essent matrimonium: secus tamen si inter impuberes, ex deffectu consensus, seu potius ætatis,(*b*) qui tamen sponsalia possunt contrahere, dummodo majores sint septem annis: (*c*) *Repromissio*; quippè non sufficit, ut solus vir dicat: *Accipiam te in meam uxorem*; imo concurrere debent ex parte uxoris consimilia verba; nimirum: *Et ego accipiam te in meum virum*; nam hæc est vis hujus nominis *repromissio*, acceptare promissum cum mutua promissione.

Quot modis sponsalia contrahi possint.

Quatuor modis sponsalia contrahi possunt: 1. *Simplici, et mutua promissione*; quia sola promissio sufficit; ut si vir dicat: *Te in meam sponsam accipiam*; et illa: *Ego te in meum sponsum*: 2. *Juramento*; ut si quis dixisset: *Juro, quod te in meam uxorem ducam*: 3. *Fidei datione*; ut, quando data ab aliquo fide, ad invicem promittunt se accipere: 4. *Annuli datione*; ut si sponsus det sponsæ annulum. (*d*)

Inter quos.

Contrahi possunt sponsalia ab omnibus, qui consensum exprimere, et intelligere possunt; adeout etiam

---

(*a*) *Leg.* 1. *ff. de sponsal. can.* 3. *caus.* 30. *quæst.* 5.
(*b*) *Cap. un. §.* 1. *de desp. imp. in* 6.
(*c*) *Leg.* 14. *ff. de sponsal.*
(*d*) *Cap.* 10. 23. *et* 25. *x. de spons. et matrim. latè* Reiff. *eod. tit. §.* 2. *et* 3.

etiam impuberes, dummodo tamen infantiam excedant, poſsint etiam, ſive cum impuberibus, ſive etiam cum aliis, valide ſponſalia contrahere. (*a*)

Quot modis diſsolvantur.

Diſsolvitur autem ſex modis: 1. *Contrario conſensu*: nihil enim tam naturale eſt, quam quidquam diſsolvi eo modo, quo ligatum eſt: (*b*) 2. *Si superveniat majus vinculum*, v. g. ſi alter, vel ingreditur religionem, vel matrimonium per verba de præſenti contrahit: (*c*) 3. *Morte alterius sponsorum*: 4. *Si alter sponsorum se transtuliset ad aliam Provinciam*: et longo tempore, ſcilicet biennio, vel triennio expectatus non redit, aut alio longiori, ſeu breviori tempore, arbitrio Judicis: (*d*) 5. *Si aliquis sponsorum ad aliquam contagiosam infirmitatem devenerit, nimirum, lepram, vel similem*; ne matrimonium inter tales perpetuam displicentiam generet, et malum exitum habeat (*e*) 6. *Si hæresis, adulterium, et quævis alia notabilis mutatio superveniat alteri sponso.* (*f*)

NOTA. Sponſalia contracta inter impuberes poſsunt, adveniente pubertate, non ſolum mutuo conſenſu; ſed etiam ab uno tantum revocari: Si tamen adveniente pubertate taceat, nec diſsentiat, fiunt irrevocabilia; (*g*) ſi verò ambo ſunt puberes, de communi conſenſu poſsunt diſsolvere ſponſalia; ſed unus, alio

---

(*a*) *Cap. 4. x. de deſp. impub.*
(*b*) *Cap. 2. x de ſpons, et matrim. Leg. 35 ff. de reg. jur.*
(*c*) *Cap.* Sicut *22. x. de ſponſal. et matrim. et tot tit. de convers. conjug.*
(*d*) *Cap.* De illis *5 x. de ſpons.* Faciunt *leg. 2. cod. de ſpons. et leg. 17. ff. eod. leg. 2. cod. de repud. et jud. de quarum ſenſu vid.* Reiff. *ad tit. de ſpons. §. 7. n 215.*
(*e*) Canoniſtæ *ad tit. decretal. de ſponſal.* Reiff. *d. tit. §. 8. per tot.*
(*f*) *Cap. 25. x. de jure jur.*
(*g*) *Cap. 4. et tot tit. x. de deſp. imp. Leg. 9. ff. de ſponſal.*

alio invito, non potest, nisi aliqua ex causis supradictis intervenerit; quia ex sponsalibus jus quæsitum fuit alteri, et quæ à principio sunt voluntaria, postea fiunt necessaria: Si autem unus est pubes, vel major, et alter impubes; tunc est ad istius libitum consentire, vel dissentire, pubere invito; nam dumtaxat impuberibus datur jus resiliendi ob tenuem ætatem.

NOTA. Cum infante, et furioso nequeunt contrahi sponsalia, ex defectu consensus; Sicut nec alii contractus, ut dictum est suo loco. (*a*)

NOTA. Tutor nequit pro se, nec pro filio suo contrahere sponsalia cum pupilla, ne forte hujusmodi conjunctione fraudem administrationis tegere procuret: sed bené potest contrahere sponsalia pro filia sua, et eam dare pupillo; ratio est, quia non timebit pupillus ab uxore sua, vel herede Tutoris rationes reposcere: sed hæc procedunt de Jure Civili; (*b*) hodie vero talis prohibitio non observatur.

NOTA. Pœna inter sponsos, et eorum parentes apposita in sponsalibus non valet; nam sponsalia, et matrimonium libera esse debent; pro ut disponit Sacrum Concilium Tridentinum, (*c*) et metu pœnæ contrahi non possunt: si verò pœna esset apposita inter alias extraneas Personas; tunc benè valet: attamen pœna arrharum inter quoscumque apposita, optimè peti potest. (*d*)

DE

(*a*) *Adde leg.* 8. *et* 11. *ff. de sponsal.*
(*b*) Rubr. *et* Nigr. *cod. de interd. matrim. inter pupill. &c.*
(*c*) *Sess.* 24. *cap.* 9. *de reform. matrim. cap.* Gemma 29. *ext. de spons.*
(*d*) *Cap.* Gemma 29. *et ibi DD. x. de sponsal. constit* 1. *lib.* 5. *tit* 1. *de sposalles, y matrimonis.*; *sed vide* Canc. *p.* 3. *c.* 11. *n.* 152. *et seqq.*

DE MATRIMONIO.

TITULUS V.

MAtrimonium est: *Viri, et mulieris conjunctio, individuam vitæ societatem continens.* (*a*)

Matrimonii quid sit.

Expositio

Viri, et mulieris; quia in matrimonio contrahendo nequit esse, nisi solus vir, et sola uxor, ut excludatur polygamia, quæ Jure Communi prohibita est: et polyviria, quæ jure naturæ: De Jure Civili vide *Inst.*: (*b*) De Jure Canonico *Decret.*: (*c*) De Jure Div. *Math. & Trid.*: (*d*) *Conjunctio*; intellige animorum potius, quam corporum; nam consensus, et non concubitus facit matrimonium: (*e*) *Individuam vitæ societatem continens*; ad denotandum indissolubile esse matrimonium, et ejus finem; semel enim conjuncti ita usque ad mortem perdurant; unde sequitur, nuptias ad tempus contrahi non posse: Quæ verba significant etiam indivisum illum rerum omnium, ac promiscuum usum, et summam, corporum, et rerum communicationem, quo respicere videtur *Modestinus*. (*f*)

Unde dicatur.

Dicitur matrimonium, quia est quasi matris munium, idest officium; et sic dicitur *à matre*, quia ista plura onera matrimonii sustinet; nam ante partum est onerosa, in partu dolorosa, et post partum laboriosa. (*g*)

Qua-

(*a*) *Inst. de patr. potest. §. 1.*
(*b*) *Inst. de nup. §. 6. leg. 1. in fin. ff. de his qui notant in fin. leg. 2. cod. de incest. nup.*
(*c*) *Tot. tit. decretal. de spons. duor.*
(*d*) Mathæi 19. *et* Trident. *sess. 24. can. 2.*
(*e*) *Leg. 30. ff. de reg. jur.*
(*f*) Modestinus *in leg. 1. ff. de ritu nup.*
(*g*) *Cap. 2. x. de convers. in fid.*

Quæ requirantur ad illud contrahendum.

Quatuor ſunt neceſsaria ad matrimonium, ſive ad juſtas nuptias contrahendas: 1. *Status, sive conditio personarum contrahentium*, ſcilicet, ut Cives Romani ſint, cum ſervis enim nuptiæ non contrahuntur, ſed tantum contubernium, quia non ſunt liberi homines, nec jus civium habent: (*a*) tamen de Jure Canonico conſtat matrimonium inter illos; nam Eccleſia Perſonarum delectum non habet: (*b*) 2. *Ætas habilis ad contrahendum*; nimirum, quatuordecim annorum in viro, et duodecim in femina; quoniam in tali ætate fiunt puberes, et viri potentes, ſeu nubiles: Si tamen malitia ſuplet ætatem, nuptiæ contractæ ante dictum tempus, valent Jure Canonico: (*c*) 3. *Consensus contrahentium*; quippe inter invitos non celebrantur nuptiæ: (*d*) 4. *Ut absit impedimentum*, quo minus licita habeatur conjunctio: De quibus impedimentis mox videbitur.

Quibus de causis diſsolvatur, aut impediatur.

Cauſæ verò, ob quas matrimonium diſsolvitur, aut impeditur, ſeu irritum eſt, his verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

Hæc ſunt de jure antiquo.

Si Parochi, et duplicis desit præsentia teſtis.
Raptavè sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Hæc de Jure Novo Sac. Con. Trident.

Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Hæc rarò tibi occurrent: ſed nè penitus ignores, en prædictorum carminum brevem explicationem.

Error

(*a*) *Inſt. de nup. in princ. leg. 3. cod de inces. nup.*
(*b*) *Cap. 1. x. de conjug. ſerv.*
(*c*) *Inſt. de nup. in princ. ib. quib. mod. tut. fin. in princ. leg. 4. ff. de rit. nup. cap. 3. 9. et ult. x. de ſpons. duor.*
(*d*) *Leg. 2. ff. de rit. nup. leg. 12. cod. de nup. cap. 6. 14. et 24. x. de ſpons. et matrim. leg. 16. §. 2. ff. de rit. nup.*

Error ; scilicet personæ, non circa qualitates, excepta servitute; nam errantis nullus est consensus: (*a*) *conditio* ; si de præsenti, aut de præterito est, nam ea non existente, nullum ab initio est matrimonium: si verò de futuro aliquo contingente, illud suspendit ad eventum conditionis: (*b*) *votum*; intellige solemne, et non subsequens, sed antecedens matrimonium irritat; simplex autem tantum impedit: (*c*) *cognatio*; et est triplex; alia *spiritualis*, quæ in Baptismo, et Confirmatione contrahitur solummodo inter Patrinos, et Baptisatos, et cum Parentibus Baptisati, nec non inter Baptisantem, et Baptisatum, Baptisatique patrem, et matrem : (*d*) alia *carnalis*, vel *naturalis* ; quæ in quarto gradu inclusivè, tam consanguinitatis, quam affinitatis dirimit: (*e*) et alia *legalis* nuncupatur, quæ adoptione provenit, et in linea recta quasi ascendentium, et descendentium reperitur inter adoptantem, et adoptatum ; in linea cognationis transversali inter adoptatum, et filios carnales legitimos adoptantis ; et ob affinitatem carnalem inter adoptantem, et uxorem adoptati, et inter ipsum adoptatum, et uxorem adoptantis: (*f*) *Crimen* ; intellige homicidium, et adulterium : (*g*) *Cultus disparitas* ; ut si Christianus contrahat cum Judæa, vel Pagana: (*h*) *Vis*; Expositio.

(*a*) *Leg.* 116. §. 2. *ff. de reg. jur. cap.* 2. *x. de conj. serv.*
(*b*) *Cap.* 3. 5. *et* 6. *x. de cond. appos.*
(*c*) *De his agitur in titulis decretalium*: *De voto*: *De conversione conjugatorum* : *De Clericis conjug. Qui clerici, vel volentes matrim. contr. pos.*
(*d*) Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. *de ref. matrim.*
(*e*) *Cap.* 8. *x. de consang. et affin.*
(*f*) *Inst. de nup.* §. 2. *leg.* 17. *ff. de rit. nup.* : *tit. decret. de cogn. leg.*
(*g*) *Tit. Decretal. De eo qui duxit.*
(*h*) *Caus.* 28. *q.* 1. *per tot.*

ideſt, metus cadens in conſtantem virum; idem dic de metu: (*a*) *ordo*; qui ſuſceptus ſit ante matrimonium; nam ex poſt non dirimit: (*b*) *ligamen*; ut ſi uxorem habens, cum alia contrahat: (*c*) *honestas*; ea nempé, quæ oritur ex matrimonio rato, aut ex ſponſalibus, et tantum in primo gradu, ſi ſit ex ſponſalibus; nam ſi ſit ex matrimonio rato, extenditur uſque ad quartum gradum: (*d*) *Si sis affinis*; affinitas oritur ex copula licita, vel fornicaria; prima dirimit uſque ad quartum gradum; ſecunda uſque ad ſecundum tantum: (*e*) *Si fortè coire nequibis*; nam impotentia perpetua coeundi, ſive ſit ex natura, ſive ex maleficio dirimit: (*f*) *Si Parochi, et duplicis desit præsentia testis*; quia hodie ſunt irrita matrimonia clandeſtina ſine Parocho, et teſtibus: (*g*) *Raptavè sit mulier*; intellige cum violentia; et matrimonii cauſa. (*h*)

Qui amplius de matrimonio ſcire peroptant, recurrere poſsunt *ad Salmantic. canonistas super lib 4. Decretalium*; et alios tractatistas, *præcipuè Thom. Sanchez*, qui tres tomos integros edidit de matrimonio: verum dicta ſufficiant ad Notariorum munus.

CA-

(*a*) *Cap. 14 x. de ſpons. et matrim.*
(*b*) *Tit. x. qui Cler. vel voven.*
(*c*) *Tit. de ſpons. duor.*
(*d*) Trid. *ſeſs. 24 de ref. matrim. cap. 3.* addita *bull.* Pii Papæ V. *ad Romanum, quæ extat in 7. Decretalium tit. 1. lib. 4. cap. 2.*
(*e*) Trid. *ſeſs. 24 cap. 4. de ref. matrim.*
(*f*) *Tit. x. de frig. et malef.*
(*g*) Trid. *ſeſs. 24. cap. 1. de ref. matrim.*
(*h*) Trident. *ſeſs. 24. de ref. matrim. cap. 6.*

CAPUT III.

DE DEBITIS, ET CREDITIS.

IN QUINQUE TITULOS PARTITUM.

Tit. I. *De Mutuo.*
Tit. II. *De Commodato.*
Tit. III. *De Precario.*
Tit. IV. *De Deposito.*
Tit. V. *De Delegatione.*

MUtuum est; *Datio rei nostræ in numero, pondere, vel mensura consistentis, ut eadem ipsa reddatur, non in specie, sed in genere.* Mutuum quid sit

Datio; quia dominium rei mutuatæ transit in accipientem, seu mutuatarium; nam mutuum est, quod ita datur, ut ex meo tuum fiat, et ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio; dare enim est rem accipientis facere: (*a*) *rei*; scilicet, mobilis; non autem immobilis; nam esset contra mutui naturam, si res immobilis concederetur, licet numerari possit, ut statim videbimus: *nostræ*; non autem alienæ; nam mutuans, seu dans debet esse Dominus, vel quasi rei mutuandæ; nam alias certi condictio ex mutuo ei non dabitur: (*b*) *in numero, pondere, vel mensura*; idest de rebus, quæ ponderantur, numerantur, vel mensurantur; ut pecunia, aurum, triticum, et similia: (*c*) *ut eadem ipsa reddatur, non in specie, sed in genere*; scilicet, tantumdem ejus bonitatis, et qualitatis; v. g. pro decem modiis tritici, reddantur totidem in eadem bonitate, et qualitate (*d*) Tri- Expositio

(*a*) *Leg. 2. §. 1. ff. de reb. cred.*
(*b*) *d. leg. 2. §. 4.*
(*c*) *d. leg. 2. §. 1. et 3.*
(*d*) *Inst. quib. mod. re contr. in princ. leg. 2. in princ. et 3. ff. de reb. cred.*

Quotuplex sit.

Triplex est mutuum; nempè: *Naturale tantum*: *Civile tantum*: *Naturale, et Civile simul.* Mutuum *naturale tantum* est illud, in quo intervenit numeratio, ponderatio, vel mensuratio actualis, sine stipulatione, nec aliqua literarum obligatione: *Civile tantum* est illud, in quo realis numeratio non intervenit; quod est, quando aliquis sub spe futuræ numerationis fatetur in chirographo, se mutuo accepisse decem libras; quas tamen non acceperit, sed spectabat se recepturum, promisitque per stipulationem illas reddere: *naturale, et civile simul* est illud, in quo vera, et realis numeratio, ponderatio, vel mensuratio, et etiam stipulatio interveniunt.

Per quot capita dividatur.

Per quinque capita dividitur mutui instrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Confessionis*: 3. *Promissionis*: 4. *Refectionis damnorum*: 5. *Obligationis bonorum.*

Quæ requirantur in eo.

Tria sunt; quæ requiruntur in mutuo: 1. Quod fiat de rebus mobilibus consistentibus in numero, pondere, vel mensura (*a*) 2. Quod dominium rei traditæ, sive mutuatæ in accipientem, seu mutuatarium transferatur: 3. Quod non eadem res in specie, sed in genere reddatur, seu reddi debeat: nam si aliud genus, veluti, ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum. (*b*)

Quid consideretur.

Considerari debet, ac requiritur, ut materia, seu res, quæ in mutuum datur, sit talis, quæ pondere, numero, aut mensura constet; hoc est, non sufficit, quod possit numerari, et ponderari: nam montes, et pecora possunt etiam numerari, et ponderari; et tamen non sunt materia mutui; requiritur ergo, ut tales res æstimentur ex pondere, numero, aut mensura; quia sic, si reddatur tantundem, non diversa, sed eadem res reddi videtur. (*c*) Con-

(*a*) *Leg. 2. §. 1. et 3. ff. de reb. cred.*
(*b*) *Leg. 2. in prin. et 3. ff. de reb. cred.*
(*c*) *Leg. 2. ff. de reb. cred.*

Contrahitur mutuum re interveniente; et per consequens nec civilis obligatio, nec actio inde oriri potest, præter consensum, qui omnino adesse debet; ideo in hujusmodi contractu ad plus obligari non possumus, quam re ipsa acceperimus. (*a*) Quomodo contrahatur.

Mutuare possunt omnes illi, quibus à lege contrahere non est prohibitum; unde excluduntur servus; furiosus, et alii, qui contrahere nequeunt. Qui mutuare possint.

Mutuari potest illis, quibus contrahere licet, et ad mutuum restituendum se possunt obligare. Quibus.

In restitutione mutui tria considerantur: 1. *Quantitas*; ut in eadem quantitate res numero accepta restituatur; v. g. Si centum mihi mutuasti; alia centum restituere teneor, et non plus, nec minus: 2. *Qualitas*; ut restituatur non eadem res; sed similis æque bona: 3. *Ut in eodem genere restituatur*; ut si mutuavi tibi centum modios frumenti; centum debes restituere ejusdem generis, et sic de cæteris. (*b*) Quæ considerentur in restitutione mutui.

Tribus modis mutuum deficit, seu dissolvitur: 1. *Ratione rei*; ut si aliquid extra naturam, consuetudinem, et aptitudinem mutui detur: 2. *Ratione personæ mutuantis*; ut si aliquis est inhabilis ad mutuandum, aut ad mutuum accipiendum: 3. *Ratione discensus*; ut si partes de communi consensu volunt discedere. (*c*) Quot modis dissolvatur.

NOTA. In instrumentis mutui, commodati, et depositi nequit apponi juramentum, sub pœna Notariis, non minus, quam privationis officii, vigore Regiæ Pragmaticæ Seren. Dom. Regis Jacobi II. (*d*) nisi

(*a*) *Leg. 2. § 3. leg. 11 § 1. ff. de reb. cred. leg. 17. ff. de pact.*
(*b*) *Inst. quib. mod. re contr. in princ. leg. 2. ff. de reb. cred.*
(*c*) *Leg. 35. ff. de reg. jur.*
(*d*) *Const. 1. lib. 4. tit. 4. de Notaris in 2. volum.*

nisi forte mulier virum habens, et alienam suscipiens obligationem; vel minor viginti quinque annis; quia pro contractus observatione jurare debent:(*a*) neque juramentum regulariter permittitur in cæteris contractibus; nisi in compromisso, dote, emptione, ac venditione, donatione, et aliis contractibus alienationum, in quibus dominium transfertur. (*b*)

NOTA. Pœna in contractu mutui adjici potest, si non est suspicio in fraudem usurarum esse appositam; sed solum ut partes magis urgeantur ad implementum contractus: ut dictum est supra de pœnis in fine, ubi vide.

DE COMMODATO.

TITULUS II.

Commodatú quid sit.

COmmodatum est: *Alicujus rei ad certum usum gratuitò facta concessio, ut eo finito; ipsa, et non alia ejusdem generis, nobis reddatur.* (*c*)

Expositio

Alicujus rei; scilicet non fungibilis, seu consumibilis; nam contractus iste contrahitur re, quæ usu non perit, nisi tradatur, ut usu consumatur; ut quando quis ad pompam, vel ostentationem accipit: (*d*) *ad certum usum*; quia nisi certi usus gratia, vel ad certum usum, vel tempus tradatur, non erit commodatum; sed precarium, quod non datur ad certum usum, aut tempus; et ideo repeti res precario data

(*a*) *Const. 2. eod. tit.*
(*b*) *Reg. edict. publicat. an. 1736.*
(*c*) *Inst. §. 2. quib. mod. re contr.*
(*d*) *Leg. 3. §. 6. ff. de comm.*

data poteſt, quando libet ei, qui dedit: (*a*) *gratuito*; ideſt, nulla mercede accepta, vel conſtituta; quia, ſi merces, ſeu pecunia intervenerit, erit locatio; gratuitum enim debet eſse commodatum: (*b*) *facta concessio*; et non translatio; quippé commodans retinet dominium, et poſſeſsionem rei commodatæ (*c*) *eo finito*; etenim ante finitum uſum commodatarius rem reſtituere non cogitur: *eadem species reddatur*; ad differentiam mutui, in quo non eadem ſpecies, ſed idem genus redditur.

Per quinque capita dividitur inſtrumentum commodati: 1. *Contrahentium*: 2. *Confessionis*: 3. *Promissionis*: 4. *Refectionis damnorum*: 5. *Obligationis bonorum*. Per quot capita dividatur.

Tribus autem modis contrahitur: 1. *Gratia dantis tantum*; veluti, ſi ſponſus commodet ſponſæ ornamenta, ut honeſtius ad eum adducatur, in quo caſu tantum de dolo, et de lata culpa tenetur: 2. *Gratia accipientis tantum*, pro ut ſæpisimè fit, quando aliquis ad proprium uſum accepit; v.g. Si Titius commodavit Seio equum; quo caſu de culpa etiam leviſsima tenetur: 3. *Gratia utriusque*; ut ſi Titius, et Seius paraverint convivium in ædibus Titii, et ille commodavit iſti pocula argentea; hoc modo tantum de lata, et levi culpa tenetur. (*d*) Quotmodis contrahatur.

Pro faciliori predictorum intelligentia quærendum venit, quid ſit dolus, culpa lata, levis, et leviſsima, ac caſus fortuitus.

Dolus igitur eſt: ſtudioſa machinatio, vel calliditas ad alterum decipiendum; exempli gratia: ſi quis ſtudioſè in pratum dimiſsit equum. (*e*) Dolus quid ſit.

Lata

(*a*) *Leg.* 15. *ff. de prec.*
(*b*) *Inſt. §. 2. quib. mod. re contr. oblig.*
(*c*) *Leg.* 8 *ff comm. vel cont.*
(*d*) *Cap. un. x. de comm.*
(*e*) *Leg.* 1. *§. 2. ff. de dol. mal.*

Quid lata culpa.

Lata culpa est facere, quod nullus alter faceret, vel non facere, quod quilibet diligens faceret, seu non intelligere, quod omnes intelligunt; ut si quis equum extra vestibulum nocte dimisit, sine custodia, et latrones transeuntes ipsum equum deduxerunt.

Culpa levis.

Levis culpa est, quæ provenit ex negligentia, seu desidia; v. g. Si equum firmiter non ligasti in stabulo hospitii; postea dissolutus effugit, et aliquod damnum, vel morbum ei evenerit.

Levissima culpa.

Levissima culpa est non facere, quod fecisset sapientissimus pater familias; puta, quia cubiculum, ubi erat res commodata, firmasti; sed latrones cum industria illud aperuerunt, et furati sunt eam.

Casus fortuitus.

Casus fortuitus est ille, cui vir diligens, et fidelis providére non potuisset, quia Divino judicio contigit; de quo non tenetur commodatarius, nisi culpa, mora, vel pactum præcedat.

NOTA. Hæc optimé explicata reperies apud *Vinn.* (*a*) ubi de dolo, culpa, et casu agit (*b*); vide etiam *legg. infras.* ex quibus intelliges, à quo, et in quibus contractibus præstetur *culpa*, nam regula est: In omni contractu prestari *dolum* (*c*), et nullo contractu prestari *casum.* (*d*)

Qui commodare possint.

Commodare possunt omnes, qui possunt contrahere, et res suas alienare, et etiam minor sola tutoris, aut curatoris auctoritate; quia commodatum non est alienatio.

Quibus.

Potest commodari illis, qui justum consensum præstare possunt ad commodatum restituendum: unde excluduntur mentecaptus, et similes; quia carent consensu,

---

(*a*) Vinn. *in §. 2. Inst. quib. mod. re contr. oblig.*
(*b*) *Leg. 23. ff. de reg. jur. Leg. 5. §. 2. ff. commod.*
(*c*) *Leg. 5. §. 2. ff. commod.*
(*d*) *d. Leg. 23. ff. de reg. jur.*

ſenſu, cum nullus ſit contractus, nullaque obligatio, quæ non habeat conſenſum. (*a*)

Quæ res

Commodari poſsunt res omnes, ſive mobiles, ſive immobiles, dummodo uſu non pereant, seu conſumantur. (*b*)

Commodans commodatario ad quid teneatur.

Ad quatuor tenetur commodans commodatario: 1. Ut non impediat uti re commodata: 2. Ut reſtituat expenſas, ſi quas majores commodatarius in re commodata fecerit: 3. Ut ne intempeſtivè, íd eſt, ante completum uſus terminum, ad quem res commodata eſt, revocet commodatum: 4. Ut, ſi ſciens commodavit rem vitioſam; ut equum &c., teneatur de dolo. (*c*)

Quæ requirantur in commodato.

Duo requiruntur in commodato: 1. *Usus determinatus*; v. g. commodo tibi librum, ut ſtudeas arti Notariæ: 2. *Tempus*; quod conſideratur duplici modo; aut tacitum; aut expreſsum: *tacitum*, v. g. in exemplo ſupradicto; *expressum*; v. g. hinc uſque ad duos menſes commodo tibi librum. (*d*)

Quomodo diſsolvatur

Diſsolvitur commodatum ratione alienationis factæ per commodantem rei commodatæ; nimirum, venditione, donatione, inſolutumdatione, vel ſimilibus titulis.

In quibus differat à mutuo.

In quatuor differt commodatum à mutuo: 1. Quia in mutuo eſt reddendum idem genus; *In commodato eadem species*: 2. quia mutuum conſiſtit in quantitatibus, ideſt, in his rebus, quæ in pondere, numero, vel menſura conſiſtunt, et ſic functionem recipiunt; *Commodatum verò in corporibus, vel speciebus, quæ utendo non consumuntur*: 3. Quia in mutuo res fit recipientis, ſive de meo tuum; *In commodato autem non transfertur rei proprietas, sed eam retinet is, qui*

(*a*) *Leg.* 1. §. 2. *et leg.* 2. *ff. commod.*
(*b*) *Leg.* 1. §. 1. *ff. commod.*
(*c*) *Leg.* 17. §. 3. *leg.* 18. §. 2. *ff. commod.*
(*d*) *Cap. unic. x. de commod. leg.* 17. §. 3. *et ibi Gloſ. ff. commod. vel con.*

dat, ex quo sequitur, ut res aliena mutuo dari nequeat, commodato verò dari possit: 4. Quia in mutuo præstatur casus fortuitus, hoc sensu: Si res perit casu fortuito, mutuatario perit, quia est Dominus ipsius, et res perit regulariter domino suo: (*a*) *In commodato vero non*; et dumtaxat tenetur de dolo, et culpa commodatarius, nisi inter partes conventum sit de præstando quoque casu. (*b*)

NOTA. Pactum appositum, ne quis teneatur de dolo, non valet; quia est contra bonos mores, et præbet ansam delinquendi. (*c*)

NOTA. Regula in contractibus ad cognoscendum, quam diligentiam præstare debeant contrahentes, et de qua culpa teneantur, talis est: Scilicet, si contractus est factus contemplatione, seu commodo solius *accipientis*; tunc tenetur iste de dolo, lata, et levissima culpa, quia cum beneficium sit majus, eo cautius advertendum est, ne injuria aliqua rependatur: Si verò *utriusque* gratia partis, et contemplatione fiat, ut in venditione, locatione, &c., quia minus est beneficium; culpa inspicitur levis solummodo: Si autem gratia *elargientis*; ut in deposito; de dolo, et lata culpa Depositarius tantum tenetur; et cum non tam accipiat, quàm faciat beneficium, non debet tam arctè obligari accipiens depositum. (*d*)

DE

(*a*) *Leg. 9. cod. de pign. act.*
(*b*) *§. 2. Inst. quib. mod. re contr. oblig. Leg. 1. cod. de comm.*
(*c*) *Leg. 23. ff. de reg. jur. leg. 1. §. 7. ff. de pos. Leg. 27. §. 3. et 4. ff. de pactis.*
(*d*) *Leg. 5. §. 2. ff. commod.*

DE PRECARIO.

TITULUS III.

PRecarium est: *Id, quod precibus petenti conceditur utendum tamdiu, quamdiu is, qui concedit, patitur.* (*a*) Precarium quid sit.

Quod precibus petenti conceditur; nam prece motus Dominus rem precanti concedit ad utendum: *tamdiu, quamdiu is, qui concedit, patitur*; ad differentiam commodati, quod ad certum usum conceditur, ac pro libitu concedentis, et nequit revocari, nisi finito usu. (*b*) Expositio.

Duplex est Precarium; *Proprietatis*, scilicet, et *Possessionis*. Precarium *Proprietatis* est: Quando res per Dominum deprecanti conceditur, ob titulorum defectum, ut utatur, pro ut contingit, quando Dominus compellit emphyteotam ad capibreviandum, et exhibitio titulorum impossibilis est ei, quia deperditi sunt; propter quod potest cogere Dominum, ut sibi faciat instrumentum novæ laudationis, sive cartam precariam, pro ut solet quotidie fieri. Quotuplex sit. Proprietatis.

NOTA. Iste contractus est ejusdem naturæ, cujus emphyteusis; quapropter idem, quod de ea dictum est, de isto erit intelligendum.

Precarium autem *Possessionis* (de quo hoc loco) nihil aliud est, pro ut in diffinitione continetur, hoc est, quando pignus ad libitum creditoris debitori conceditur ad utendum. (*c*) Possessionis.

(*a*) *Leg.* 1. *ff. de precar.*
(*b*) *Leg.* 2. §. 1. *leg.* 12. *ff. de precar.*
(*c*) *Leg.* 1. *ff. de precar.*

Quomodo constituatur.

Constituitur autem, si debitor res suas obligavit creditori suo pro debiti securitate, et nomine creditoris se possidére dixit, propter quod ipse vidétur possidére, nam ille possidet, cujus nomine possidetur. Et de hoc precario loquitur clausula illa usitata, maximè in censualibus, qua debitor manens in possessione hipothecæ, constituit, se possidére nomine creditoris, et precario, seu precibus suis obtinere à creditore, ut in ea maneat: Et ideo creditor potest tale precarium revocare, expellere debitorem, et manére solus in possessione: Et cum id fit, dicitur revocari *Carta precaria*, seu præcarium. (*a*)

Qui possint concedere.

Possunt precarium concedere omnes illi, qui habent obligationem hipothecariam, pignoratitiam pro debiti securitate.

Quibus.

Conceditur autem illis, qui rogant creditores, ut possessionem hipothécæ, seu pignoris sibi concedant.

Quæ res.

Precario autem concedi possunt omnes res, sive mobiles, sive immobiles, quæ alienari, et in contractum deduci possunt. (*b*)

DE DEPOSITO.

TITULUS IV.

Depositum quid sit.

Depositum est: *Conventio gratis custodiendæ rei quæ traditur, et ad libitum deponentis in eadem specie reddendæ.* (*c*)

Con-

(*a*) *Leg. 6. in fin. et leg. 11. ff. de precar.*
(*b*) *Leg. 4. ff. de precar.*
(*c*) *Leg. 1. ff. depos.*

Conventio rei custodiendæ; non autem utendæ; custodia igitur in depoſito principaliter attenditur, itaut, ſi depoſitarius abſque permiſsu deponentis re depoſita utatur, furtum committat: (*a*) *Gratis*; quia depoſitum gratis fieri debet; nam ſi merces intervenerit, locatio, et conductio erit: (*b*) *ad libitum deponentis*; etenim depoſitum gratia deponentis regulariter contrahitur; unde non prohibétur deponens pro arbitrio contractum revocare, licet de certo tempore redditionis conventum ſit, (*c*) *in eadem specie reddendæ*; integra nimirum, non deteriorata, quoniam ſi deterior reddatur, quaſi non reddita videtur. (*d*) Expoſitio.

Depoſitum triplex eſt; nempè: *Judiciale*: *Impeditivum usurarum*: et *apud amicum*. Depoſitum *Judiciale* eſt: quando res aliqua litigioſa Judici, vel ſequeſtro tradita eſt, donec conſtet ex deciſione cauſæ, cui debeatur. (*e*) Et de hoc depoſito, quod *Sequestrum* appellatur agitur *in tit. x. de Seques. posses. et fruct.* *Impeditivum usurarum* est: quando debitor offert creditori ſuo pecuniam debitam, quam creditor accipere recuſat; quare debitor ad evitandum curſum uſurarum, conſignat eam, deponitque in aliquo archivo approbato, ſeu in tabula Communium Depoſitorum, (antea etiam cambii appellata) pro ut quotidiè obſervatur: (*f*) *apud amicum* depoſitum eſt: quando quis apud amicum rem ſuam, cuſtodiæ tantum cauſa deponit, ita ut dominium, et poſſeſsio penes deponentem remaneat, et poſsit quandocumque revocari; de quo hic agitur. (*g*) Quotuplex ſit.

Per

(*a*) *Leg.* 25 § 1. *l.* 28. *l.* 29. *ff. depos.*
(*b*) *Leg.* 1 §. 8. *et* 9. *ff. depos.*
(*c*) *Leg.* 1. §. 45. *et* 46. *ff. depos. cap.* 2. *x. de depos.*
(*d*) *Inſtit. quib. mod. re contr. oblig.* §. 3.
(*e*) *Leg.* 17. *ff. depos.*
(*f*) *Leg.* 30. *ff. de ſolut.*
(*g*) *Inſt. quib. mod. re contr. oblig.* §. 3. *et ff. et cod. ſuis tit.*

Per quot capita dividatur.

Per quinque capita dividitur depositi instrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Confessionis*: 3. *Promissionis*: 4. *Refectionis damnorum*: 5. *Obligationis bonorum.*

Quæ sint de subst.

De substantia depositi sunt duo: 1. *Contrahentes*: 2. *Res tradita penes depositarium custodiendi causa.*

Quæ de natura.

De natura verò sunt casus, in quibus infra dicetur, tenéri depositarium deponenti.

Quomodo contrahatur.

Contrahitur depositum *re interveniente*, ita ut depositum sine re subsistere, aut stare non possit, quia deficit causa. (*a*)

Qui possint deponere.

Possunt deponere qui sensum, et intellectum integrum habent, sive majores sint, sive minores; ratio est, quia deponere non est alienare, sed rem suam custodiendam mandare.

Penes quos fieri possit.

Fieri potest depositum penes illos, qui se obligare possunt ad illud restituendum; nam si fit penes illos, qui obligari nequeunt, et res amittuntur; deponentis facilitati debet imputari.

Quæ res deponi.

Deponi possunt res mobiles, quæ in contractum deduci queunt; non autem immobiles; etenim propriè depositum denotat esse rem mobilem, quæ custodienda alicui traditur. Possunt tamen res immobiles dari in sequestrum, quod etiam species est depositi. (*b*)

In quibus depositarius deponenti teneatur.

Tenetur depositarius deponenti in duobus: 1. *Ipsam rem* depositam reddere non deterioratam, cum omnibus illius accessoriis: (*c*) 2. *De dolo*: si quid dolo commiserit: Culpæ autem nomine, id est desidiæ, aut negligentiæ non tenetur; nam qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed facilitati suæ imputare debet (*d*); sed si depositum est factum

(*a*) *Instit. quib. mod. re contr.* §. 3 *Leg.* 1. §. 5. *ff. de obl. et act.*
(*b*) *Leg.* 5. *et* 6. *ff. depos.*
(*c*) *Leg.* 1. §. 16. 23. *et* 24. *ff. depos.*
(*d*) *Inst. quib. mod. re contr.* §. 3. *cap.* 2. *x. de depos.*

tum ob timorem incendii, tumultus, ruinæ, &c., et ſic ex neceſsitate, tunc tenetur arctius ob publicam utilitatem, juxta leg. infraſcr. (*a*)

Quot modis diſsolvatur.

Quatuor modis diſsolvitur depoſitum: 1. *Per rei depoſitæ reſtitutionem*; nam reſtituto depoſito, ceſsat depoſiti cauſa, et ceſsante cauſa, ceſsant omnes effectus: 2. *Interitu rei abſque culpa depoſitarii*; nam dumtaxat de ſuo dolo tenetur. (*b*) 3. *Adquiſitione dominii*; Ut ſi depoſitarius deponenti ſucceſserit ex legitimo aliquo titulo; tunc enim Dominus rei fit: 4. *Revocatione*; Ut ſi deponens revocet depoſitum, quod licet ei, quotieſcumque ſibi placuerit.

In quibus differant.

Differunt mutuum, commodatum, et depoſitum in tribus: 1. Quia mutuum ſolum fit de rebus, quæ in pondere, numero, vel menſura conſiſtunt; commodatum de aliis, quæ uſu non conſumuntur; et depoſitum, tam in illis, quæ conſumuntur, quam quæ ſervantur: 2. Ex mutuo transfertur dominium; in commodato ſolum conceditur commoditas; et in depoſito dominium, et poſſeſsio penes deponentem remanet: 3. In mutuo non reſtituitur idem, ſed ſimile: In commodato verò, et depoſito idem. Hoc tamen intellige, in depoſito regulari. Eſt autem quoddam depoſitum, quod *irregulare* appellatur veluti, cum non obſignata pecunia deponitur, vel ea lege, ut eadem numero, et ſpecie reddatur, ſed eadem in genere; puta eadem quantitas. Tale eſt, quod fit in tabula communium depoſitorum, in qua non redditur eadem pecunia, ſed quantitas; ſicuti tale etiam eſt depoſitum, quod ad numerum fieri ſolet penes mercatores, et bancherios; quod cum fit, in ipſos dominium tranſit. (*c*)

NO-

(*a*) *Leg.* 1. *ff. depoſ.* §. 2. 3. *et* 4.
(*b*) *Leg.* 14. §. 1. *ff. depos.*
(*c*) Canc. *par.* 3. *cap.* 8. *n.* 53. *et* 64.

NOTA. Si depositum consistit in pecunia, debet numerari coram testibus, ut evitetur fraus.

NOTA. Notarius, ad cujus soltam pecunia deposita est, debet instrumenta, quæ ei exhibentur per creditorem examinare, et si impedimentum, aut obstaculum aliquod invenit, scilicet, quia deficiunt aliqua instrumenta probatoria debiti, aut etiam plenè jus activum, sive jus succedendi, non probatur; nunquam debet pecuniam soltare Tabellio; alias de soluto depósito respondere tenebitur, nisi legitimè interpellatus sit à Judice, vel concensus partis acceserit.

NOTA. Si in censali, vel alio instrumento invenitur perpetua clausula resmertii, non debet soltare depositum Notarius, quin primitus sit factum resmertium cum simili clausula: alias de facto respondebit; quia non curavit, quod curare debebat.

NOTA. Quotiescumque factum est depositum in favorem alicujus Beneficii Ecclesiastici, Operæ Ecclesiæ, Administrationis piæ, aut Monasterii Religiosarum Ordinario subjectarum, curare debet Notarius, ante quam soltet, quod in pede resmertii interponatur Decretum Ordinarii Diœcesani, ne fraudulenter ipsa censualia depereant, et ne forte ad profanos usus applicentur. (*a*)

(*a*) *Constit. 5. Conc. Tarracon. an.* 1727.

DE DELEGATIONE.

TITULUS V.

DElegatio propriè eſt : *Quando debitor unius delegat debitorem ſuum creditori ſuo.* (*a*) Delegatio quid ſit.

Duplex eſt delegatio ; *Una* videlicet, quæ fit per delegatum creditori delegantis ipſius juſſu, ſcilicet, quando creditor alterius delegat creditum ſuum creditori ſuo : v. g. Ego Titio debeo 1000., Cayus mihi etiam 1000, tunc ipſi Titio creditori meo, ejus conſenſu, delego dictas 1000. per Cayum mihi debitas ; de qua hic præcipuè agimus. Et *alia*, quæ fit per debitorem delegantem creditori ſuo ; hoc eſt, quando dictus debitor cedit alteri jura, quæ habet contra debitorem ſuum, quod fit per inſolutumdationem, vel conſignationem ; et tunc magis propriè venditio jurium dicitur. (*b*) Quotuplex ſit.

Per quatuor capita dividitur delegationis inſtrumentum : 1. *Contrahentium* : 2. *Delegationis* : 3. *Promissionis* : 4. *Acceptationis*. Per quot capita dividatur.

Delegare poſsunt illi, qui poſsunt contrahere, et res ſuas alienare. Qui deleg. poſsint.

Poſsunt delegari omnes res, quæ in commercio hominum enumerantur. Quæ re delegari.

In prima delegatione quatuor requiruntur : 1. Mandatum delegantis : 2. Ut is, qui delegatur, ſit debitor delegantis : 3. Voluntas, et conſenſus delegati, et etiam delegatarii, quia delegatio invito debitore, ac creditore fieri non poteſt ; nam fit per ſti- Quæ requirantur in prima.

(*a*) *Leg.* 11. *ff. de novat. et deleg.*
(*b*) *Leg.* 4. *cod. de evic.*

pulationem ; (*a*) et ultra, quia aliud pro alio invito creditori solvi nequit ; (*b*) nisi debitor aliter solvere nequeat. (*c*) 4. Ut debitor promittat creditori nomine delegantis : Delegatio enim propriè fit per stipulationem promittente debitore. (*d*) Et si unum ex his deficeret ; potius esset novatio, quam delegatió.

Quæ in secunda.

In secunda delegatione duo tantum requiruntur : 1. Concensus delegantis : 2. Consensus delegatarii, nempe, creditoris ; non autem requiritur consensus delegati ; quia jus quod habeo adversus eum, eo invito, aut ignorante, vendere, seu dare possum. (*e*)

Effectus delegationis.

Delegationis effectus est : Quod unam inducit obligationem, scilicet, quod delegatus obligatur ei, cui delegatio facta fuit ; et duas parit liberationes, hoc est, quod debitor delegans liberatur à creditore suo, et debitor delegatus liberatur á delegante ; Quæ tamen intellige cum limitatione, et circustantiis ; de quibus in legg. infrascr. (*f*).

CA-

(*a*) *Leg. 1. et 6. cod. de nov. et deleg.*
(*b*) *Leg. 16. et 17. cod. de sol.*
(*c*) *Auth.* Hoc nisi, *de sol.*
(*d*) *Leg. 1. cod. de nov.*
(*e*) *d. Leg. 1. cod. de nov.*
(*f*) *Leg. 2. et 3. cod. de nov. et deleg.*

CAPUT IV.

DE CESSIONIBUS.

IN SEX TITULOS PARTITUM.

Tit. I. *De Cessione.*
Tit. II. *De Transactione.*
Tit. III. *De Pacto de non petendo.*
Tit. IV. *De Acceptilatione.*
Tit. V. *De Aquiliana stipulatione.*
Tit. VI. *De Solutione.*

Cessio quid sit. Expositio

CEssio est: *Juris, et actionis translatio.*

Juris; et actionis; id est utilis; nam per cessionem solum transferuntur jura utilia, et actiones utiles; non autem jura directa, neque actiones personales, quæ sunt ossibus affixæ veri domini cedentis; sed per mandatum committitur earum exercitium: *Translatio*; non autem traditio; quia jura, et actiones sunt res incorporales, et jura incorporalia non recipiunt traditionem, pro ut nec corporalia cessionem. (a)

Per quot capita dividatur.

Per quinque capita dividitur cessionis instrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Causæ cessionis*: 3. *Rei translatæ*: 4. *Evictionis*: 5. *Juramenti.*

Quæ sint de subst.

De substantia cessionis tria sunt: 1. *Contrahentium consensus*: 2. *Res*: 3. *Causa translationis*, idest causa adjecta ex qua debeatur, sine qua nuda erit cessio, et non transfereretur actio utilis in cessionarium, cum illa dicatur cessio indiscreta. (b)

Quæ de natura.

Duo vero de natura: 1. Quod per cessionem transferuntur in assignatarium, seu consignatarium omnia

(a) *Leg. 2. et 7. cod. de hered. vel act. vend.*
(b) *Leg. 25. § 4. ff. de prob. et cap. 14 x. de fid. instrum.*

nia jura, et actiones ad omnes effectus: 2. Quod ceſſionarius poteſt facere ea, quæ cedens antea poterat.

Qui cedere poſsint. Cedere poſsunt omnes, qui ſe obligare contrahendo poſsunt; et alienare, cum ceſsio ſit ſpecies alienationis, et etiam ſolutionis, ſi videlicet fiat creditori. (*a*)

Quibus cedi poſsit. Cedi poteſt omnibus, qui adquirere valent, et etiam Pupillis, et adultis, ſine tutoris auctoritate; cum eis licitum ſit conditionem ſuam meliorem efficere, modo ne obligentur. (*b*)

Quibus non. Cedi verò nequit illis, qui non poſsunt adquirere; ut ſunt infans, furioſus, mentecaptus, mutus, et ſurdus; niſi ceſsio eorum tutoribus, et curatoribus fiat: *Item* cedi nequit potentioribus, intellige ratione officii, aut divitiarum; et eſt Potentior, qui ratione officii habet merum, vel mixtum imperium; quia ille, qui cedit, amittit jus ſuum; hoc eſt, punitur cauſæ amiſsione, præterquam quod ceſsio non valet. (*c*)

Quæ actiones cedi poſsint. Cedi poſsunt actiones ſingulæ, tam Perſonales, quam Reales, cum inter illas nulla fiat differentia, in illo videlicet, quod reſpicit ad ceſsionem. (*d*)

Quæ non. Non poſsunt autem cedi actiones criminales, (*e*) aut publicæ, aut populares, niſi quantum ad privatum commodum pertinérent: *Item* litigioſæ actiones; id eſt in judicio jam deductæ; quia obſtat vitium litigioſi; (*f*) niſi fiat ceſsio in illis quatuor caſibus ſupra, in Tit.: *De rebus, quæ in contractum venire possunt, aut non*, expreſsis.

Ceſsio quãdo præſumatur ſimulata. Ceſsio cenſetur ſimulata in ſex caſibus: 1. Si actio magnæ qnantitatis ſit vendita pro modico pretio: 2. Quando ceſsio actionum, pro parte venditur, pro par-

(*a*) *Leg. 4. cod. de evic leg. 96. §. 2. ff. de ſolut.*
(*b*) *Inſtit. de auth. tut. in princ. et § 1.*
(*c*) *Tit. cod. ne licet potentioribus. conſt. 1. lib. 2. tit. 9.* Que no ſie licit &c.
(*d*) *Leg. fin. cod. de hered. vel act. vend.*
(*e*) *Conſt. 2. d. tit.*
(*f*) *Leg. 2. et 3. ff. de litig.*

parte donatur : 3. Si in instrumento non exprimatur, ex quo contractu, causa, vel titulo facta fuerit : 4. Quando nulla est præsumptio alicujus causæ, propter quam facta sit cessio, ne reus vexetur : 5. Si non constat de reali solutione pretii : 6. Si ille, in quem cessio facta est, sit homo litigiosus, et consuetus lites redimere, et exercére. (*a*)

NOTA. Cessionarius virtute actionis sibi cessæ, non potest consequi à debitore plus, quam dedit ad consequendam cessionem. (*b*)

NOTA. Cessio jurium ex donationis causa, si excedit quingentos aureos, debet esse insinuata ; aliàs non valerèt.

NOTA. Pupillus potest super re mobili cum tutoris auctoritate cedere jura, et actiones : Secus ex re immobili ; nisi præcedant solemnitates requisitæ ad alienationem rei immobilis.

DE TRANSACTIONE.

TITULUS II.

TRansactio est : *De re dubia, lite incerta, nondum finita, non gratuita, imò aliquo dato, retento, vel promisso facta pactio.* Transactio quid sit.

De re dubia ; quia super re certa nequit fieri transactio ; et, ut valida sit, de re dubia debet esse; aliás potius esset pactum de non petendo. (*c*) Expositio

Lite

(*a*) Canc. *par.* 1. *cap.* 13. *n.* 73. *cum seqq. ubi n.* 84. *explicat pragm. unic. Regis* Petri III. *incip.* Cogit nos. *tit. de alienacions fetas in fraud. lib.* 8. *tit.* 1. *in* 2. *volum. constit.*

(*b*) *Juxta famosas leges ab Anastasio, et per diversas cod. mand.*

(*c*) *Leg.* 1. *ff. hoc tit.*

Lite incerta; ubi enim non est res dubia, et super ea lis, vel timor probabilis futuræ litis non reperitur, nulla est transactio; nam cessat finis transactionis, quæ debet fieri propter litem, licet non fiat in lite. (*a*) *Nondum finita*; quoniam si lis esset finita, id est, res judicata, nequit fieri transactio; cum res judicata non sit dubia, imò pro veritate habetur, et finem liti imponit: Sed si supplicatio, vel appellatio intercesserit, transactio valet; quia qui favorabilem Sententiam obtinuit in prima, potest in secunda instantia subcumbere. (*b*) *Non gratuita*; etenim, transactio non est gratuitus contractus, nec gratis fieri potest, et propter defectum formæ esset nullius momenti: *Imò aliquo dato, retento, vel promisso*; quippè debet constare, aliquid esse datum, retentum, vel promissum, aut remissum, ne præsumatur, esse transactionem simulatam. (*c*) *Facta pactio*; quia transactio induci nequit sine pacto expresso, et simultaneo consensu ambarum partium.

Per quot capita dividatur.

Per quinque capita dividitur transactionis instrumentum: 1. *Præmii*; in quo fit mentio de contrahentibus, et lite, seu dubio: 2. *Rei donatæ, retentæ, vel promissæ, seu remissæ*: 3. *Promissionis*: 4. *Renuntiationis*: 5. *Clausulæ finalis*.

Quæ sint de substantia.

De substantia tria sunt: 1. *Contrahentium consensus*: 2. *Lis vel timor litis super re dubia*: 3. *Aliqua res data, retenta, vel promissa, seu remissa*.

Qui possint transigere: et de quibus rebus.

Possunt transigere omnes, qui alias contrahere possunt; et super illis rebus, quæ alienari, et in contractum venire, sive sint mobiles, sive immobiles; undè excluduntur res Sacræ, Sanctæ, &c. et generaliter omnes, quæ in nostro patrimonio non sunt: hinc non

fit

(*a*) *Leg. 2. 6. et 17. cod. hoc tit. leg. 65. §. 1. ff. de cond. indeb.*
(*b*) *Leg. 32. cod. hoc tit. leg. 7. et 11. ff. eod. leg. 207. ff. de reg. jur.*
(*c*) *Leg. 38. cod. hoc tit.*

fit transactio super re Spirituali, (*a*) nec super matrimonio. (*b*)

Transigi potest super quacumque causa Civili, sive pecuniaria, et etiam Criminali, si pœna sanguinis est inferenda; quia unicuique licitum est sanguinem suum redimere, ne pereat: Ex quo sequitur, quod de cæteris criminibus, tam publicis, quam privatis non irrogantibus pœnam sanguinis, non licet transigi; nam cessat illa causa transactionis, et cessante causa, cessat effectus. (*c*) Super quibus causis.

Virtus, et effectus transactionis, est: Quod per illam tollitur naturalis obligatio, et remanet Civilis; ut si super eo quod transactum est, actor iterum agat, reus potest opponere transactionis exceptionem; et licet ipso jure non sit liberatus, tamen per remedium ipsius exceptionis se tueri potest: nisi transactio fiat per aquilianam stipulationem, et acceptilationem interpositas; tunc enim ipso jure liberatur reus; nam omnes obligationes naturales, et Civiles per aquilianam tolluntur; et una nova fit verbalis, et per acceptilationem tolluntur omnes obligationes, nempe, verbales, quæ ex verbis fuerunt contractæ: Ut dicam *in tit. de Acceptilatione.* Effectus transactionis.

Item ejus virtus, et effectus est: Quod si transactio est concepta cum stipulatione, datur actio ex stipulatu; hoc est, quod reus adimpleat pactum post terminum præfixum: Sed si non est concepta cum stipulatione, cum transactio sit pactum nudum; non competit actori contra reum actio; quia pactum nudum regulariter non parit actionem, sed exceptionem. (*d*) quamquam hodie etiam nudum pactum parit actionem, ut alibi dictum est. Alius.

NO

(*a*) *Cap.* Super eo 7. *x. de transac.*
(*b*) *Cap. fin. eod. tit.*
(*c*) *Leg.* 18. *cod. h. tit.*
(*d*) *Leg.* 2. 6. *et* 23. *cod. hoc tit.*

NOTA. Si transigitur super controversiis ortis ex testamento, non valet transactio, nisi prius per Notarium legantur verba ipsius testamenti, et contrahentibus explicentur; aliter facilè supprimi possent supremæ hominum voluntates. (*a*) Idem est intelligendum, quando mulier transigit, seu renuntiat (contenta de dote sibi constituta) omni juri, quidquid, et quantum ex paterno testamento posset petere in illius hereditate; nisi inspectis, et cognitis verbis testamenti; ratione supradicta.

NOTA. Transactio super alimentis futuris in ultima voluntate relictis non valet, cum ab eis vita hominis pendeat, et alimentorum privilegia habeat ratione pietatis; hoc verum, nisi in transactione Judicis decretum, et auctoritas, vel juramentum intervenerint: Ita nec pacto gratuito remitti possunt, cum facilius permittatur transactio, quam pactum. Tamen super præteritis alimentis, cum cesset ratio pietatis, nec habeant alimentorum privilegia, cum ab eis vita hominis non pendeat, recte potest transigi sine juramento, et Judicis auctoritate, et similiter super alimentis debitis ex contractu. (*b*)

NOTA. In transactione, seu renuntiatione generali de omnibus bonis paternis facta, non venit comprehensa legitima, et ejus augmentum; quia requirunt specialem renuntiationem: Attamen limitatur, si talis renuntiatio concepta est cum juramento; quia tunc legitima in tali renuntiatione venit; cum juramentum habeat vim expressi. (*c*)

DE

(*a*) *Leg. 6. ff. hoc tit.*
(*b*) *Leg. 8. cod. hoc tit.*
(*c*) *Canc. var. 2. cap. 8. n. 47. cum seqq.*

DE PACTO
DE NON PETENDO.

TITULUS III.

Pactum de non petendo quid sit.

PActum de non petendo est: *Alicujus debiti absolutio, et liberatio per pactum expressum facta.*

Quotuplex sit.

Est quadruplex; nempe: *Gratuitum*: *Non gratuitum*: *Perpetuum*; et *Temporale*. Pactum *Gratuitum* est, quando fit non interveniente aliquo dato, retento, vel promisso; ut si mihi debebas libras centum, et quia illas mihi exsolvere non potes; facio tibi pactum de non petendo eas. *Non gratuitum*; quando aliquo dato, retento, vel promisso intervenit; ut si tu debes mihi centum libras, et aliquo à te opere præstito facio tibi pactum de non petendo, vel ob beneficium promissum paciscor, nè totum, aut partem petam: *Perpetuum*; quando purè, et nulla temporis facta mentione paciscimur; ut promitto tibi non petere eas centum, quas mihi debes: *Temporale*; quando aliquod tempus præfigitur; ut si centum libras mihi solvere es obligatus anno currenti, videns, quod illas statuto termino exsolvere nequis; facio pactum de non petendo usque ad certum diem anni subsequentis,

Per quot capita dividatur.

Per quatuor capita dividitur instrumentum pacti de non petendo: 1. *Contrahentium*: 2. *Narrationis debiti super re certa*: 3. *Promissionis*: 4. *Clausulæ finalis.*

Qui illud facere poss.

Possunt facere pactum de non petendo omnes, qui alias contrahere, et res suas alienare valent.

Ejus effectus.

Virtus, et effectus pacti de non petendo est: Quod tollit naturalem obligationem *ipso jure*, ita ut nullæ

ejus ſuperſint reliquiæ; quia vinculum æquitatis, quo ſolo ſuſtinebatur, conventionis æquitate diſſolvitur: Civilis verò obligatio; licet ipſo jure non tollatur; tamen per remedium exceptionis pacti de non petendo eliditur, extinguitur, et perimitur.(*a*)

In quo differat à tranſactione.

Differt iſtud pactum à tranſactione: Quia tranſactio nequit fieri gratis; ſed aliquo dato, retento, vel promiſſo, ſeu remiſſo: Et è contra pactum de non petendo; nam poteſt fieri gratis, nullo dato, retento, ſeu promiſſo.

DE ACCEPTILATIONE.

TITULUS IV.

Acceptilatio quid ſit.

ACceptilatio eſt: *Imaginaria debiti ſolutio, per quam solummodo ea solvuntur obligationes, quæ verbis consistunt.*

Ejus forma

Acceptilatio fit, ſeu ejus forma eſt: *Quod ego tibi promissi, habes ne acceptum?* Et creditor reſpondet: *Habeo acceptum.*

Quæ obligationes per eam tollantur.

Per acceptilationem tolluntur tantum illæ obligationes quæ verbis fuerunt contractæ, cum nihil ſit tam naturale, quam unumquodque diſſolvi eo genere, quo ligatum eſt: Unde ſi aliquis mihi tentus eſt ex obligatione; quæ ſolo conſenſu contrahitur; ut ex contractu venditionis, locationis &c. nequeo per accep-

(*a*) *Inſt. de excep. §. 3.*

acceptilationem illum liberare, seu absolvere: *Item* si aliquis est mihi obligatus obligatione, quæ contrahitur litteris, licet de Jure Civili sit; tamen nequeo eum per acceptilationem liberare, quia tantum tollit obligationem, quæ verbis concepta est, propter regulam jam dictam, quod unumquodque dissolvitur eo genere, quo ligatum est. Verum hoc intellige *ipso jure*; hoc est, quod obligationes, quæ non sunt contractæ verbis, non solvuntur quidem *ipso jure* per acceptilationem; solvuntur tamen ope, sive remedio exceptionis pacti conventi; nam acceptilatio inutilis saltem habet vim pacti. (*a*)

Ejus effectus.

Virtus, et effectus acceptilationis est: Quod per eam omnes obligationes tollantur, eæ scilicet, quæ verbis conceptæ sunt, et non cæteræ. (*b*)

In quibus conveniat cum stipulatione

Convenit acceptilatio cum stipulatione in quatuor; 1. Quia utraque est de Jure Civili: 2. Quia utraque verbis concipitur; nam in stipulatione interrogatio, et responsio requiruntur, pro ut in acceptilatione: 3. Quia, qui possunt stipulari; etiam acceptilationem facere queunt: 4. Quia sicut stipulatio inter absentes non valet; ita acceptilatio, cum constare sine utriusque interrogatione, et responsione nequeat.

In quibus differat.

Differt autem in duobus: 1. Quia stipulatio tendit ad obligandum; *et acceptilatio ad liberandum*: 2. Quia in stipulatione actor interrogat, et reus respondet: *In acceptilatione verò reus*, seu *debitor* interrogat, et *actor*, seu *creditor* respondet.

NOTA. Acceptilatio nequit fieri in diem, neque sub conditione; quia acceptilatio est actus legitimus, qui nec diem, nec conditionem admittit. Ut si dicerem, (ad exemplum) quod mihi debes acceptum fero,

(*a*) *Leg. 35. ff. de reg. jur. leg. 8. et 19. ff. de acceptil.*
(*b*) *Inst. quib. mod. toll. oblig. §. 1.*

si Titius Consul fuerit : (a) Verum hæc acceptilatio, quæ per adjectionem diei, vel conditionis facta est inutilis ; operabitur nihilominus aliquem effectum ; nam, ut dictum est, habet saltem vim pacti.

DE AQUILIANA STIPULATIONE.

TITULUS V.

Aquiliana stipulatio quid sit.

AQuiliana stipulatio est : *Qua id sit primum, ut obligatio quæ non descendit ex verbis deducatur in stipulationem, ut postea accedente acceptilatione, possit per eam dissolvi.*

Quotuplex

Et est duplex : *Specialis*, et *Generalis*. *Specialis* est, quæ specialiter renovat obligationes contractas in unum debitum tantum, et ad novum per aquilianam stipulationem reducit ; v. g. Quando actor interrogat reum sic : *Quod mihi debes ex tali mutuo, dare spondes* ? Et reus respondet ; *Spondeo*. *Generalis* est : quæ generaliter renovat omnes obligationes contractas, in quamplurima debita, et ad unum novum debitum reducit per aquilianam ; v. g. Quando actor interrogat reum : *Quod mihi debes ex tali mutuo, ex tali venditione* &c. *dare spondes* ? Et reus respondet : *Spondeo*. Vide exemplum, et formulam hujus acceptilationis in instit. (b) unde disces etiam, quare vocetur *aquiliana*.

Per

(a) *Leg. 4. et 5. ff. de acceptil.*
(b) *Inst. §. 2. quib. mod. toll. oblig.*

Per aquilianam ſtipulationem omnes omnino obligationes antiquæ tolluntur *ipso jure*, tam naturales, quam civiles, et tam ſi verbis, quam alio quovis modo contractæ; nam primo per eam omnes antiquæ obligationes renovantur, ſeu fiunt novæ naturæ; quia deducuntur in ſolemnem ſtipulationem; unde incipiunt debéri civiliter, et per obligationem, quæ deſcendit ex verbis, qualis eſt obligatio ex ſtipulatu: Et ſic nihilmirum, quod per actum Juris Civilis, et per verba tolli poſsint poſtea. (*a*)

Quæ obligationes per eam tollantur.

Virtus, et effectus aquilianæ ſtipulationis eſt: Quod omnem anteriorem naturalem, et civilem obligationem tollit; nam unam novam facit verbalem, quam poſtea verbis tollit.

Fjus effectus.

Aquiliana ſtipulatio convenit cum acceptilatione, et differt ab ea in eiſdem, quæ *in antecedenti tit.* dicta ſunt de concordantia, et diſcrimine inter acceptilationem, et ſtipulationem.

In quibus conveniat et differat cum acceptilat.

DE SOLUTIONE.

TITULUS VI.

SOlutio eſt: *Naturalis præstatio ejus, quod debetur.*

Solutio quid ſit.

Naturalis præstatio; ad differentiam ab aliis modis liberationum; nam revera, et actu ipſo debet fieri ſolutio; ſola enim obligatio verbalis non ſufficit niſi res, quæ debetur, ſit immobilis: *Ejus quod debetur;*

Expoſitio

(*a*) §. 2. *Inſtit. quib. mod. toll. oblig. ubi latius eſt videre.*

tur; quia aliud pro alio, invito creditore solvi nequit; volenti verò, et consentienti potest. (*a*)

Quot modis sumatur.

Sumitur solutio tribus modis; nempè: *Propriè*; sive strictè: *Impropriè*, sive large: *Magis impropriè*, sive largissimé. *Propriè*. sumitur, quando solvitur id, quod ex obligatione debetur, excepta re incorporali; quia non recipit solutionem, vel traditionem, sed cessionem: *Impropriè*, quando aliud, quod non est appositum in obligatione, solvitur; ut si pro pecunia triticum, vel é contra: *Magis impropriè*; quando nihil solvitur; ut in acceptilatione. (*b*)

Qui solvere teneantur.

Solvere tenetur obligatus, vel ejus heredes, ad quos obligatio transit; nam subrogatus sapit naturam illius, cujus loco subrogatur: tamen furiosus, pupillus, prodigus, quamvis debeant, non recte solvunt sine tutoris, vel curatoris auctoritate; quia non sunt personæ habiles, et idoneæ ad contrahendum, nec etiam ad solvendum: sed Tutores, et Curatores, Procuratores, et Administratores nomine pupillorum, adultorum, principalium, et dominorum bene solvunt, quia habent licentiam administrandi, et distrahendi. (*c*)

Cui sit solvendū.

Solvitur autem creditori, et cui creditor hoc nominatim mandaverit, factamvè solutionem ratam habuerit; ut quando fit solutio procuratori habenti speciale mandatum ad recipiendum; nec non Tutori, Curatori; vel ei, qui illorum negotia gerit: Pupillis verò, et adolescentibus, ac prodigis non rectè solvitur sine auctoritate Tutorum, et Curatorum; nisi quatenus fiant locupletiores; quia quod in eorum

(*a*) *Instit. quib. mod. toll. oblig. in princ. leg.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred. leg.* 16. *et* 17. *cod. de solut.*
(*b*) *Leg.* 54. *ff. de solut. leg.* 47. *et* 176. *ff. de verb. signif.*
(*c*) *Leg.* 14. §. 8 *ff. de solut. leg.* 9. §. 2. *ff. de auct. tut.*

rum favorem est introductum, non debet eis esse nocivum. (*a*)

Quomodo et quando solutio sit facienda.

Solutio facienda est in loco destinato solutioni, non autem alibi; nam ratio Juris dictat, solutionem debére esse conformem obligationi: Item die dicto, non ulteriori; imo nec ante diem adjectum debitor tenetur solvere: potest tamen, si velit ante diem solvere, cum dies sit adjectus in gratiam illius, qui potest juri suo renuntiare. (*b*)

Ejus effectus.

Virtus, et effectus solutionis est triplex: 1. Quod solutione ejus, quod debetur, omnis tollitur obligatio naturalis, et civilis: 2. Quod liberatur reus, et fidejusor; nec non liberantur accessiones; puta, hipothecæ, et pignora: 3. Quod debitor nequit amplius in pœnam incidere, cum cesset causa, per quam apponitur in instrumento, scilicet, ut intra terminum adimpleant partes contractum. (*c*)

NOTA. Licet dictum sit, quod aliud pro alio solvi nequit creditori invito: Interdum tamen etiam nolenti, loco rei solvitur ejus æstimatio, aut quia, necessitas cogat; veluti, cum res, quæ debita est, præstari nequit, quoniam periit; aut quia res sit aliena, quæ á Domino absque magno incommodo redimi nequeat. (*d*)

CA-

(*a*) *Inst. quib. alien. licet* §. 3. *leg.* 14. §. 7. *leg.* 15. *ff. de solut leg.* 46. §. 5. *ff. de adm. et peric. tut. leg.* 28. *ff. de solut.*
(*b*) *Leg.* 70. *ff. de solut.*
(*c*) *Inst. quib mod. toll. oblig. in princ.*
(*d*) *Leg.* 8. *ff. de cond. furt. leg.* 71. §. 3. *ff. de legat.* 1.

CAPUT V.

DE LOCATIONE, ET CONDUCTIONE.

TITULUS UNICUS.

Locatio quid sit.

LOcatio est: *Personæ, vel rei ad usum facta concessio certa mercede in pecunia numerata conventa.*

Expositio

Personæ, vel rei; quia nedum usus rerum, sed etiam personarum in locatione conceduntur: (*a*) *ad usum*; ad differentiam venditionis; nam in locatione solum usus rei locatæ conductori conceditur; in venditione autem, nedum usus, verum etiam dominium emptori transfertur; dominium autem, imo et possessio manet penes locatorem: (*b*) *facta concessio*; non autem translatio; nam is cui fit locatio, non habet jus in re locata, nisi utendi: *Mercede*; quippe si gratis mihi usum concesseris, commodatum, seu precarium erit: (*c*) *certa*; requiritur etenim, ut merces sit certa; nam si res tradatur pro mercede incerta, non erit locatio, sed contractus innominatus comprehensus sub his verbis do, ut des: (*d*) *in pecunia numerata conventa*; quia si merces non est in pecunia numerata, non est propriè locatio, (*e*) nisi sint fructus rei locatæ, qui pro ejusdem mercede taxari solent. (*f*)

Loca-

(*a*) *Leg.* 22. §. 1. *ff. locat.*
(*b*) *Leg.* 39. *ff. locat. Instit. de interd.* §. 5. *leg.* 9. *ff. de rei vind.*
(*c*) *Instit. hoc tit. in princ.*
(*d*) *Inst. hoc tit* §. 1. *et* 2.
(*e*) *Leg* 1 §. 9. *ff. depositi leg.* 5. §. 2. *ff. de præscrip. verb.*
(*f*) *Leg.* 21. *cod. de loc. et conduc.*

Locatio fit duobus modis; nempe: *In scriptis*: et *sine scriptis*; pro ut de Venditione dictum est supra in Cap. I. Tit. I. *De Emptione, et Venditione.* Quot modis fiat.

Conductio est: *Personæ, vel rei ad usum acceptatio, interveniente certa mercede in pecunia numerata.* Conductio quid sit.

Per sex capita dividitur locationis instrumentum, ex parte locatoris: 1. *Contrahentium*: 2. *Rei locatæ*: 3. *Concessionis ipsius*: 4. *Mercedis*; *seu pretii*: 5. *Legitimæ rei evictionis*: 6. *Obligationis bonorum.* Et per tria ex parte conductoris; videlicet: 1. *Acceptationis*: 2. *Promissionis*; 3. *Obligationis bonorum*, et scripturæ tertii, si partes convenerint. Per quot capita dividatur.

Est autem locator: *Qui interventu pretii aliquid utendum, vel fruendum dat*; conductor verò: *Qui utendum quidquam accipit pretio dato.* Locator, et Conductor qui sint.

De substantia locationis tria sunt: 1. *Contrahentium consensus*: 2. *Res locata*: 3. *Merces certa.* Quæ sint de subst.

De natura verò duo: 1. *Usum concedere*: 2. *De evictione teneri.* (*a*) Quæ de natura.

Locatio, et Conductio contrahi potest eisdem modis, qui dicti sunt de Emptione, et Venditione *d. cap. et tit.* Quot modis contrahi possit.

Locare possunt omnes, qui possunt contrahere: et illis valet locari, qui ad pensionem, seu mercedem solvendam se obligare possunt. Qui locare possint: et quibus.

Locari possunt omnes res, sive corporales, sive incorporales, sive mobiles, sive immobiles, quæ alias alienari possunt; imo et facta locari possunt, si talia sint, ut æstimationem recipiant, qualia sunt tabulam pingere, domum ædificare, annulos facere, aliquem alio vehere. (*b*) At si factum sit tale, ut æstimari non Quæ res locari.

(*a*) *Leg. 9. ff. hoc tit leg. 33. eod.*
(*b*) *Instit. hoc tit. §. 4.*

soleat, si pro eo detur pecunia, seu merces, hic erit contractus do, ut facias; non autem locatio. (*a*)

Quot modis perficiatur.

Tribus modis locatio perficitur: 1. Per consensum contrahentium: 2. Per consensum, et finalem actum scripturæ: 3. Per rei concessionem, et mercedis solutionem.

Quot modis dissolvatur.

Tribus etiam modis dissolvitur: 1. Per contrarium consensum utriusque partis; quia nihil est tam conveniens humanæ æquitati &c. 2. Interitu rei, id est, si res perit, nisi culpa, vel dolus præcesserit, quia locator tenetur conductori ad faciendum eum uti re locata: (*b*) 3. finito usu; quia amplius non potest assequi finis locationis. (*c*)

In quibus conveniat cum venditione.

In sex convenit locatio cum venditione: 1. Quia sicut venditio est contractus nominatus; ita, et locatio: 2. Nam in venditione requiruntur tria, quæ sunt de substantia; sic in locatione: 3. Quemadmodum in venditione prætium debet esse certum, et in pecunia numerata; similiter in locatione merces: 4. Veluti venditio est contractus bonæ fidei, et juris gentium; pariter, et locatio; et in utraque venit, nedum quod expresse actum fuit, sed etiam quod æquitas naturalis suadet: 5. Sicut venditio potest rescindi, si concurrit deceptio ultra dimidium *ex leg. 2. cod de rescind. vendi.*; Ita et locatio: sed hoc non est frequens; imo esset insolitum: 6. Ceu in venditione potest peti, ut res tradatur, aut id, quod interest; sic in locatione. (*d*)

In quibus differat.

Differunt autem in quatuor: 1. Quia conductor nequit

(*a*) *Leg. 5. § 2. ff. de præscrip verb.*
(*b*) *Leg. 23. ff. de reg. jur.*
(*c*) *Leg. 15. ff. hoc tit.*
(*d*) *Instit. hoc tit. in princ. et §. 1. 2. et 3. leg. 15. §. 8. ff. eod. tit. leg. 1. et 2. ff. eod.*

nequit vendere rem conductam; *sed emptor potest*: 2. Conductor nequit usucapere rem conductam; *optimè autem emptor*: 3. In emptione periculum rei venditæ statim pertinet ad emptorem; *in locatione contrarium observatur*: 4. In emptione, et venditione causa usucapiendi paratur; *in locatione verò non.*

NOTA. Licet res immobiles Ecclesiæ, seu minoris per Prælatum, et Tutorem, seu Curatorem alienari nequeant: tamen ad modicum tempus potest per ipsos locari: secus ad longum tempus; quia esset species alienationis; et ubi est prohibita alienatio, censetur prohibita locatio ad longum tempus. (*a*)

NOTA. In præsenti Cathaloniæ Principatu de frequenti usu in majori parte illius longum tempus dicitur, quod excedit quinque annos; Quod etiam observatur in hac Civitate Barcinonæ. (*b*)

NOTA. Quamvis aliqui contractus assimilentur locationi, et conductioni; ut est concessio ad affictum, hoc est, quando conceditur alicui ad certum tempus res immobilis pro certo affictu, sive reddituum parte ad utendum, et fruendum; ut in colonia: Aut datio terræ ad colendum; aut bovis ad arandum, et similes: tamen non sunt locationes; quia non datur merces, et in locatione, ut dictum est, requiritur merces certa: sed si datur merces, bene tunc dicentur locationes: (*c*) quæ tamen intellige, cum pensio est certa, et determinata: nam si is, qui colit agros meos det mihi, non certam partem, hoc est, tot modios, aut mensuras &c. Sed tertiam, aut quartam partem fructuum, qui contractus fieri solet inter Dominos fundi, et colonos Partiarios, vulgò *Parceros*,

(*a*) *Cap. 9. x. de reb. Eccl. Clem. 1. et extrav. ambitios. eod. tit.*
(*b*) Canc. *var. 1. cap. 14. n. 26. et seqq.*
(*c*) *Cap. fin. de rest. spol. cap. 2. de loc. et cond. leg. 21. cod. hoc tit.*

ceros, ò *Masoveros*: hic contractus revera non est locatio, sed societas. (*a*)

Hic nota causas, ob quas, durante tempore conductionis, potest expelli conductor à re conducta: de quibus *Cancer.* (*b*).

NOTA. Etiam peculiarem modum procedendi contra conductorem finito tempore conductionis, secundum Pragmaticam vulgò dictam. *De Domibus evacuandis*: de qua nonnulla, ac magis ad praxim conducentia tradit *Ripoll.* (*c*)

NOTA. Locatio regulariter eisdem regulis judicatur, quibus constat emptio, et venditio; præsertim in locatione fundi, seu fruendi; nam hæc in effectu nihil aliud est, quam venditio quædam fructuum; unde hujusmodi locator tamquam venditor, conductor autem talis, veluti emptor haberi possunt. (*d*)

CA-

(*a*) *Leg. 25. §. 6. ff. locat.*
(*b*) *Canc. var. 1. cap. 14. n. 6. et seqq. vide etiam cap. 3. x. de loc. et cond.*
(*c*) *Ripoll in prax. vic. Barc. rubr. 4. per tot.*
(*d*) *Leg. 1. et 2. ff. h. t. Inst. in princ. eod.*

CAPUT VI.

DE COMPROMISSIS.

IN QUATUOR TITULOS PARTITUM.

Tit. I. *De Compromisso.*
Tit. II. *De Pace.*
Tit. III. *De Societate.*
Tit. IV. *De Divisione.*

Compromissum quid sit.

COmpromisſum eſt: *Actus legitimus trium, vel plurium Personarum quasi in judicio contendentium super civili, vel pecuniaria quæstione.*

Expositio

Actus legitimus; ad denotandum, compromiſsum eſse à Jure Civili inventum, et introductum: *trium vel plurium personarum*; in compromiſso enim tres Perſonæ ad minus, requiruntur; actor ſcilicet, reus, et arbiter: *Contendentium*; nam Perſonæ contendunt, nimirum, actor, ut reus condemnetur; hic vero ut abſolvatur: *Quasi in judicio*; quia compromiſsum ad ſimilitudinem judiciorum redigitur: (a) *super Civili, vel pecuniaria quæstione*; ad oſtendendum compromitti poſse dumtaxat ſuper quæſtione, ſeu litigio Civili, non autem ſuper criminali; quia alias quilibet pœnam pecuniariam ſolveret, ut corporalem vitaret; ultra quod in Cathalonia crimina pertinent ad Fiſcum, niſi ſuper eis imponatur pœna pecuniaria, et hoc, quando criminalis actio civiliter eſt mota.

Per quot capita dividatur.

Per quatuor capita dividitur compromiſsi inſtrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Differentiæ, seu quæstionis*: 3. *Promissionis*: 4. *Juramenti*; ſed de jure communi non admittitur. (b)

De

(a) *Leg.* 1. *ff. de recep. et qui arb.*
(b) *Auth.* Decernit. *cod. de recep. arb.*

Quæ sint de subst.

De substantia compromissi duo sunt: 1. *Differentia seu lis*; quia aliter non esset locus compromissi: 2. *Pœna; quæ, licet in rigore non sit de substantia*; adjicitur tamen, ut habeat effectum, et ut metu illius partes promissa adimpleant (*a*)

Qui possint compromittere.

Compromittere possunt omnes; qui contrahere, et res suas alienare possunt; nam compromissum contractus est, ita, ut qui nec contrahere, nec alienare queunt; compromittere nequeant.

Super quibus rebus.

Compromitti potest super omnibus rebus corporalibus et incorporalibus, sensibilibus, et insensibilibus, mobilibus, et immobilibus, quæ in judicium deduci possunt.

Super quibus non-

Compromitti non potest: 1. Super quibusvis criminalibus causis, nisi in illis pœna pecuniaria imponatur: (*b*) *Item* super libertate, servitute, ingenuitate, libertinitate; quia hæ majores Judices exposcunt: *Item* super matrimonio; ob magnum animæ periculum, quod in ea causa vertitur, et quia non est in manu partium, quod matrimonium sit, aut non sit validum: (*c*) *Item* super conversione; ne metu pœnæ desistat à principio vitæ spiritualis: *Item* super monachatione; quia hæc causa est spiritualis: (*d*) *Item* super populari actione; quia etiam majores judices expostulat: (*e*) *Item* super pupillari actione; nam si compromissum tenderet ad alienationem rei pupillaris non alienabilis, ad ejus exequutionem opus esset judicis decreto: (*f*) Et pro regula generali tene, compromissum tantum admitti

(*a*) *Leg. 2. ff. de recep. arb.*
(*b*) *Cap. 9. x. de integr. rest. leg. 32. §. 6. ff. de recep. arb.*
(*c*) *d. cap. 9. et cap. 11. x. de transac. leg. 32. §. 7. ff. de recep. arb.*
(*d*) *Cap. 3. 7. 9 10. 11. x. de transac. cap. 5. x. de arb.*
(*e*) *Leg. 32. §. 7. in fin. ff. de recep. arb.*
(*f*) *Arg. leg. 12. cod. de transac leg. 35. ff. de recep. arb.*

mitti in cauſis concernentibus bona, et patrimonium noſtrum.

Quot modis roboretur cõpromiſsũ.

Tribus modis firmatur, ſeu roboratur compromiſsum: 1. *Pœna*; ut quando contrahentes ad invicem aliquam pœnam in inſtrumento ſtipulantur, ut metu pœnæ pareant promiſsis: (*a*) 2. *Emologatione*; ideſt, approbatione, ſive ratificatione partium expreſsa, aut tacita: et etiam jure jurando: (*b*) 3. *Rei traditione*; ut quando res, ſuper qua latum eſt arbitrium, traditur.

Quot modis finiatur.

Septem autem modis finitur, et tollitur: 1. *Finito tempore in compromisso præfixo*; quia eo lapſo, arbiter viribus caret, et partium prætenſiones remanent in puncto, et ſtatu, in quibus erant ante firmam compromiſsi: (*c*) 2. *Rei interitu*; id eſt, ſi perit res, ſuper qua compromiſsum factum fuerat, quia deficit materia: 3. *Morte compromittentium*; niſi apponatur in compromiſso: *Per nos, et nostros*; aliter enim non tranſmittitur, niſi jam ſit facta ſententia: (*d*) 4 *Morte arbitri*; cum ejus perſona eligatur: (*e*) 5. *Si aliqua partium Judicem infamat*; quia non debent exaudiri ab eo, quem ſpreverunt: 6. *Si arbiter habet justam causam recusationis*; nam tunc, adhuc admiſso arbitrio, non adſtringitur ſententiam proferre: (*f*) 7. *Si partes velint litigare de communi consensu*; nam diſsolvunt vinculum, quo erant ligati.

Arbiter eſt.

Arbiter eſt: *Ille qui de consensu partium eligitur, et in eum sub pœna per stipulationem promissa compromittitur, ut metu pœnæ stetur ejus laudo, et arbitrio.*

Qui

(*a*) *Leg.* 2. *leg.* 11. § 2. *leg.* 27. *in fin. ff. de recep. arb*
(*b*) *Leg.* 4 *et* 5. *cod. de recep. arb. leg.* 27. § 4. *ibi præsentibus ff. de recep. arb.*
(*c*) *Leg.* 1 *cod. de recep. arb.*
(*d*) *Leg* 27. §. 1. *ff. de recep. arb cap. fin. x. de arb. leg.* 40. §. 2. *ff. eod. tit.*
(*e*) *Leg.* 45. *ff. de recep. arb.*
(*f*) *Leg.* 9. § 3. *leg.* 32. §. 14. *ff. de recep. arb.*

Expositio

Qui de consensu partium eligitur; ad judiciorum differentiam; nam arbiter est voluntarius, tamquam de partis consensu electus; Judex verò necessarius: *In eum*; non verò in eam; quia mulier arbitrix esse nequit, cum ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remota sit (*a*), nisi tales sint; quæ jure, aut consuetudine jurisdictionem habeant: (*b*) *Sub pœna per stipulationem promissa*; quia nisi pœna per stipulationem promittatur, peti nequit; quia de jure sententia arbitri nullam actionem, nec exceptionem producit: *ut metu pœnæ stetur ejus laudo, et arbitrio*; nam ad nihil aliud apponitur pœna in compromisso, nisi ut compromittentes stent laudo, et arbitrio, et si nolint, pœnam exsolvant.

Qui possint esse arbitri.

Possunt esse arbitri omnes, qui juris impedimentum, seu obstaculum non habent.

Qui nequeant.

Arbitri verò esse nequeunt: 1. *Femina*; quia officium arbitri est publicum, et virile, et ab ipsis feminæ remotæ sunt licet arbitratrices esse possint, cum tantum de facto cognoscat arbitrator: *Item* monachus, et Religiosus, nisi pro sui monasterii utilitate, superioris sui præcedente consensu; cum alias pro mortuo reputetur: (*c*) *Item* mutus, et surdus, furiosus, mentecaptus, ebrius, et cæcus, ob defectum cognitionis, aut consensus: *Item* committens crimen lesæ majestatis, ac servus; propter crimen commissum, et libertatem amissam: (*d*) *Item* Judex ordinarius ejusdem rei, super qua compromittitur; ne videatur jurisdictione abuti: bene tamen arbitrator potest esse, (*e*) quod tamen de Jure Canonico est correctum

(*a*) *Leg. ult. cod. de recep. arb.*
(*b*) *Cap. 4. x. de arb.*
(*c*) *Can. 35. caus. 16. q. 1.*
(*d*) *Leg. 9. §. 1. ff. de recep. arb.*
(*e*) *Leg. 9. §. 2. ff. de recep. arb.*

tum: (*a*) *Item* quilibet in re ſua; nemo etenim Judex in cauſa propria cum ſibi imperare, aut prohibere quidquam non valeat: *Item* minor viginti annis. (*b*)

Arbitrator eſt: *Ille, qui amicabiliter debet dirimere partium prætensiones, de facto potius, quam de jure, et sine aliquo juris ordine.* Arbitrator quis ſit.

NOTA. In Cathalonia, jure municipali, ex ſententia arbitri, et arbitratoris oritur actio, et exceptio; et ea habet vim judicati: imo, non obſtanti quacumque exceptione, mandatur exequutioni; dummodo partes renuntiaverint toto recurſui, ac arbitrio boni viri. (*c*)

DE PACE.

TITULUS II.

PAX eſt: *Discordiæ finis, quæ imponitur propter concordiam, atque pacem.* Pax quid ſit.

Et eſt duplex; nempè: *Publica*, quæ fit inter Civitates, et caſtra: et *Privata*, quæ fit inter privatas perſonas. Quotuplex ſit.

Per quinque capita dividitur pacis inſtrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Pacis, et concordiæ*: 3. *Promissionis de ratum habendo*: 4. *Pœnæ, cum refectione, et obligatione bonorum*: 5. *Juramenti.* Per quot capita dividatur.

De ſubſtantia pacis duo ſunt: 1. *Discordia*: 2. *Pacis, et concordiæ finis.* Quæ ſint de ſubſtantia.

(*a*) *Cap. 7. et 10. x. de recep. arb. cap. 21. x. de prob.*
(*b*) *Leg. 41. et 51. ff. de recep. arb.*
(*c*) *Conſtit. 5. lib. 2. tit. 13. de arbitres.* Cancer. *var. 1. cap. 21. ferè per tot.*

Qui pacem facere possint: Et super quibus rebus.

Possunt facere pacem omnes qui alios contractus possunt inire, cum pax sit etiam contractus: Et sit super omnibus, et singulis inimicitiis, odiis, et malis voluntatibus sequutis, et illatis inter partes.

Quod modis roboretur.

Quinque modis firmatur, et roboratur pax: 1. *Pœna*; ut quando in instrumento apposita est, ut partes adimpleant promissa: alias cadeant in pœnam: 2. *Juramento*; nam juramentum est vinculum ad restringendum partes, ut stent conventioni: 3. *Osculo interveniente*; quia est modus, quo videtur partes sibi remisisse omnes injurias: 4. *Matrimonio*; ut quando quis habet bellum, aut inimicitias cum alio, et unus ex ipsis filiam, sororemque alterius acceperit in uxorem; quia etiam videtur condonasse omnes inimicitias, et odia: 5. *Fidejussoribus*; ut quando, fidejussoribus datis, promittitur servari pax.

Pœna pacis factæ quotuplex sit.

Pœna, quæ frangenti pacem imponitur, triplex est: 1. *Legalis*, quæ à lege, vel statuto imponitur: 2. *Criminalis*, quæ secundum crimen, seu delictum imponitur: 3. *Conventionalis*, quæ de partium voluntate apponitur.

NOTA. Pax non transit ad heredes, nisi expresse caveatur; quia tantum de se ipso pacem faciens intelligit promittere.

NOTA. In instrumento pacis non debes de crimine facere mentionem, nec de illo, qui crimen fecit; quia posset agi contra reum.

Tregua quid sit.

Tregua est: *Securitas præstita personis, et rebus ad tempus, discordia nondum finita.*

Induciæ.

Induciæ sunt: *Conventio facta ad modicum tempus de non provocando bellum* (*a*)

DE

(*a*) Canc. *par.* 2. *cap.* 11.

DE SOCIETATE.

TITULUS III.

Societas quid sit.

SOcietas est: *Duorum, vel plurium honestè contracta conventio, ob commodiorem usum, et uberiorem quæstum.*

Expositio definitionis.

Duorum, vel plurium; quia inter duos, vel plures societas contrahi tantum potest; cum contra naturam istius contractus sit, quod unus tantum contrahat, sive solus obligetur; est enim hic contractus ultro citroque obligatorius: *honestè contracta conventio*; nam si fieret super re turpi, et inhonesta, ut furto, vel alia re simili, non valeret, et nulla esset societas; nam super talibus non est commercium, cum sit contra bonos mores: (*a*) *ob commodiorem usum, et uberiorem quæstum*; quippé propter unius socii industriam, et operam alteri major quæstus communicatur, et sic aliquoties plus prodest industria unius socii, quam pecunia alterius.

Quotuplex sit.

Duplex est societas: 1. *Universalis*; id est omnium bonorum, sive negotiorum: 2. *Specialis*, sive particularis alicujus negotiationis; v. g. vini, aut olei emendi, vendendive. (*b*)

Per quot capita dividatur.

Per quatuor capita dividitur societatis instrumentum: 1. *Contrahentium*: 2 *Rerum, in quo capite varia pacta solent apponi*: 3. *Ad invicem promissionis*: 4. *Clausulæ generalis.*

Quæ considerentur.

Duo considerantur in societate: 1. Lucrum, quod scilicet supereſt, deductis expensis: 2. Damnum quod adest, solutis, et refectis impensis.

(*a*) *Leg. 57. ff. pro socio.*
(*b*) *Instit. de soc. in princ.*

Quid sit de natura.

De natura societatis est: Quod inter partes servetur id, de quo expressè convenerunt. (*a*)

Quot modis contrahatur.

Septem modis contrahi potest societas: 1. *De universis bonis*; ut quando socii volunt bona inter ipsos esse communia, in quo casu veniunt bona etiam futura quocumque titulo adquisita, sive onerosо, sive lucrativo: Sed si contrahitur in genere sine mentione omnium bonorum; tunc solum veniunt ea, quæ ex quæstu, id est, opera personali quæruntur: (*b*) 2. *De una sola negotiatione*; ut cum specialiter contrahitur super vino, frumento, oleo &c.(*c*) 3. *Super una re tantum*; ut quando contrahitur de aliqua re emenda, vel vendenda; puta bove, vel similibus, et ultra illam rem societas non extenditur, cum solum intelligatur de ea re conventa: 4. *Ad tempus*; ut si inter socios tempus præfixum imponitur; v. g. usque ad decem annos: 5. *Ad inperpetuum*; ut quando inter socios tempus non exprimitur: 6. *Pure*; ut cum non apponitur dies, neque conditio in societate: 7. *Sub conditione*; ut si navis venerit, societatem contrahemus. (*d*)

Qui eam contrahere possint: Et super quibus rebus.

Possunt societatem contrahere omnes, qui alias consentire, se obligare, aliosque contractus facere possunt: Et super illis rebus, quæ alias alienari, et in contractum deduci valent.

Ad quæ socius teneatur socio.

Ad quinque tenetur socius, socio: 1. *Observare promissa*, id est, pacta inter socios conventa: 2. *De dolo*: 3. *De lata culpa*: 4. *De levi culpa*: 5. *Rationem reddere administrationis suæ.* (*e*)

Per-

(*a*) *Instit. hoc. tit. §. 1.*
(*b*) *Leg. 1. §. 1. leg. 3. §. 1. leg. 73. ff. pro socio. leg. 7. et seqq. eod tit. Leg. 52. §. ult. eod. tit. Leg. 39. §. 3. ff. fam. erciſc.*
(*c*) *Instit. hoc. tit. in princ. Leg. 52. §. 5. ff. pro socio.*
(*d*) *Leg. 1. ff. pro socio. leg. 6. cod. eod.*
(*e*) *Inst. hoc tit §. fin.*

Perficitur ſocietas ſolo conſenſu, cum quo, ad ſubſtantiam ipſius non requiritur rerum præſentia, nec traditio, ut in contractu mutui; ſed quod de arte, opera, pecunia, aliaque re conferenda habito tractatu coëatur. (*a*)

Quomodo diſſolvatur.

Diſſolvitur veró ſeptem modis: 1. *Diſſensu mutuo*; ſi partes de communi conſenſu cupiunt diſcedere à contractu; adeo, ut cujus juris eſt contractus, ejus quoque ſit diſtractus: (*b*) 2. *Renuntiatione unius ſocii, quæ non ſit dolosa, fraudulenta, et intempestiva*; quia non eſt malitiis hominum indulgendum (*c*) quod locum habet, quamvis ab initio conventum ſit, ut ſocietas perpetuo duraret: (*d*) 3. *Morte unius ex ſociis*; ne quis alicui ſocius fiat, quem non vult ſibi ſocium; cum in ſocietate eligatur Perſonæ induſtria, ac fides: (*e*) 4. *Finito negotio*; cum amplius non ſuperſit materia, et fine obtento ceſſent media: quod procedit in ſpeciali ſocietate; non autem in univerſali; (*f*) et ſimiliter ſi ad certum tempus contracta ſit, eo elapſo, finitur ſocietas: (*g*) 5. *Rei interitu*; quia ſine re ſocietas exerceri nequit: (*h*) 6. *Publicatione*; nimirum ſi univerſa bona ſocii publicentur; nam, cum in ejus locum alius ſuccedat, ſcilicet, Fiſcus, pro mortuo habetur: ſed ſi pars tantum publicetur, manet ſocietas in reliquis bonis: (*i*) *Capitis etiam diminutione*, maxima videlicet, et media: (*k*) 7. *Bonorum*

(*a*) *Leg. 4. ff. pro ſocio.*
(*b*) *Inſtit. de ſociet. §. 4.*
(*c*) *Inſt. de ſociet. §. 4. Leg. 63. §. ult. Leg. 65. §. 3. ff. pro ſocio.*
(*d*) *Leg. 14. ff. eod. tit.*
(*e*) *Inſt. de ſoc. §. 5.*
(*f*) *Inſt. de ſoc. §. 6.*
(*g*) *Leg. 65. §. 6. ff. pro ſocio.*
(*h*) *Leg. 63. §. fin. ff. pro ſocio.*
(*i*) *Inſt. de ſociet. §. 7.* publicatione.
(*k*) *Leg. 4. §. 1. leg. 63. §. ult. ff. pro ſoc.*

rum cessione; ut si aliquis ex sociis ære alieno prægravetur, et sua bona cesserit; quia sic amplius non supersunt bona, sine quibus (ut dictum est) nequit contrahi societas. (*a*)

NOTA. Si inter duos socios esset conventum, quod unus damnum sentiat, alter verò lucrum percipiat, non valeret; quia contrarium societati est, et tanquam *Leonina*, et inutilis rejicitur, cum iniquissimum sit, ut aliquis solum damnum patiatur, et lucrum non speret: (*b*) Appellatur autem hæc iniqua societas *Leonina*, ex *Æsopi* fabula; nam Leo ex communi venatione prædam sic dividebat cum vulpe, ut sibi ferme totam retinéret, vulpi vix minimam partem reservans. Sed benè valéret, si quis duas partes lucri, et tertiam damni caperet; nam sæpè quorumdam ita pretiosa est opera in societate, ut justum sit eos conditione meliori admitti in societatem: (*c*) Etiam valet conventio in societate, ut unus pecuniam conferat; alter vero non, et quod lucrum commune sit; etenim sæpe opera alicujus pro pecunia valet. (*d*)

NOTA. Si inter socios non est conventum, quales debeant esse lucri, et damni partes; tunc cuilibet, tam in lucro, quam in damno spectant partes æquales, habito respectu sortis, et quantitatis deductæ in societatem, proportione servata. (*e*)

NOTA. Pro coronide sciendum est: Quod aliquoties inter partes super pecoribus convenitur, quod unus ponat capitale, et alter præstet suam diligentiam

(*a*) *Inst. de societ. §. 8.*
(*b*) *Leg. 29. §. 2. ff. pro soc.*
(*c*) *Inst. de soc. §. 2.*
(*d*) *Leg. 29. §. 1. ff. pro soc.*
(*e*) *Inst. de soc. §. 1.*

tiam debitam ad illa pascenda, et benè custodienda, et postea suo tempore (detracto capitali , quod semper remanere debet salvum) dividantur fructus , et lucrum æqualiter inter ipsos : Et de isto contractu tractat *Roland. cap. 5. sub. rub. instrum.* et *Comes Artis Notariæ in cap. 25. n. 32. fol.* 307. et vocatur talis contractus *Socida apud Roland. et apud Comes Soccita.*

DE DIVISIONE.

TITULUS IV.

Divisio quid sit.

DIvisio est : *Rerum communium separatio.*

Expositio

Rerum communium ; nam divisio solummodo habet locum in rebus communibus: (*a*) *separatio* ; quia quilibet dividens Dominus rei divisæ efficitur. (*b*)

Per quot capita dividatur.

Per quatuor capita partitur divisionis instrumentum : 1. *Contrahentium* : 2. *Rerum* : 3. *Mutuæ promissionis* : 4. *Clausulæ generalis.*

Quæ sint de subst.

De substantia divisionis duo sunt : 1. *Res divisæ* : 2. *Traditio , seu stipulatio.*

Quid de natura.

De natura vero: Quod quilibet fit Dominus rei, quæ ei in partem contingit.

Quot modis fiat.

Septem modis divisio fieri potest : 1. *De communi consensu* ; ut quando absque lite , et discordia amicabiliter devenitur ad divisionem : (*c*) 2. *Per viam Judi-*

(*a*) *Leg. 1. ff. comm divid.*
(*b*) *Leg. 1. cod. comm. utriusque jud.*
(*c*) *Leg. ult. cod. comm. divid. leg. 1. cod. comm. utrinsque jud.*

Judicii; ut quando sunt duo socii, et unus malè administrat societatis bona: (*a*) 3. *Per viam compromissi*; ut quando sunt duo fratres, qui non sunt concordes, et eligunt de consensu arbitrum, qui dirimat prætensiones: (*b*) 4. *Per sortes*; ut quando socii accipiunt taxillos, ut qui plura puncta emittat, talem partem habeat: (*c*) 5. *Per æstimatores*; ut quando partes eligunt arbitros, qui partem cuilibet competentem æstiment: 6. *Per testatorem*; ut quando iste dividit bona inter suos; nam potest dare quidquid vult, cuilibet; aut si in testamento dicatur bona esse divisa: (*d*) 7. *Per licitatorem*; ut quando res dividi nequit, et unus accipit rem à quo alter pecuniam accipit pro parte sua competentem. (*e*)

Qui possint dividere.

Dividere possunt illi, qui possunt contrahere, et res suas alienare, dummodo bona sint inter ipsos communia.

Quæ res.

Fit divisio de omnibus rebus corporalibus, et incorporalibus, mobilibus, et immobilibus, presentibus et futuris, nisi sint tales; quæ commodè, sive utiliter in partes secari non possint; quo casu veniunt æstimandæ; ut equi, boves &c. (*f*)

NOTA. Minor nequit ad divisionem venire, nisi ad illam faciendam ab alio sit provocatus: nam si provocatus non est, divisio esset voluntaria, non autem necessaria, pro ut esse debet: Et tunc quando provocatus est, si minor est infans, tutori ejus nomine dividere licet; si autem est impubes tunc cum tutoris auctoritate potest dividere: Si verò est pubes, divi-

(*a*) *Citt. ll. et pass. in tit. ff. et cod. comm. div. fam. ercisc. &c.*
(*b*) *Leg. pen. cod. comm. divid.*
(*c*) Perez. *ad tit. cod comm. utriusque jud. n. 6.*
(*d*) *Arg. leg.* 10. *comm. cod. utriusque jud.* Perez *ubi prox. n.* 7.
(*e*) *Leg.* 3. *in fin. cod. comm. divid.*
(*f*) *Leg.* 7 §. *ult. ff. comm. divid. leg.* 3. *cod. eod. tit.*

dividere poteſt, curatore conſentiente, ſi eum habet; ſi autem eo caret, poteſt per ſe ipſum, et valet diviſio; dummodo juret, et renuntiet Authenticæ Federici Imperatoris: *Sacramenta puberum &c.*

NOTA. Ille, qui habet rem communem cum Eccleſia, poteſt illam provocare ad diviſionem; ſed non poteſt Eccleſia eum provocare, ratione ſupradicta de minore.

NOTA. Filius familias nequit provocare aliquem ad diviſionem adventitii peculii, quod commune cum eo habet; niſi Patre conſentiente. Secus de caſtrenſi; vel quaſi caſtrenſi; ad quod dividendum patris auctoritate non indiget.

NOTA. Dividere nequeunt mutus, et ſurdus; quia non ſunt ad id capaces: *Item* duo fratres minores quatuordecim annis, ratione minoris ætatis nequeunt ſe invicem provocare: remedium eſt, quod ſi habent bona communia, et cupiunt venire ad diviſionem, eorum tutores dividant cum auctoritate, et decreto Judicis: Requiritur etiam decretum Judicis, ac ejus auctoritas, ſi plures poſſidentes communiter fundum dotalem volunt ad diviſionem venire. (*a*)

NOTA. Jus Patronatus beneficii Eccleſiaſtici dividi nequit, cum ſpiritualibus ſit annexum; et ideo nec pro illo ex diviſionis cauſa pecunia recipi poteſt; et ſic commune debet remanére, et ejus præſentationes alternativè fieri ex pacto ſolent, et ſi aliqua divisio admititur, ea eſt, ut per vices compatroni jure patronatus utantur.(*b*)

(*a*) *Leg. 8. cod. comm. utriuſque Jud.*
(*b*) Clem. 2. *de Jur. Patron.*

CAPUT VII.

DE ADOPTIONE, ET ARROGATIONE.

IN TRES TITULOS PARTITUM.

Tit I. *De Adoptione, et Arrogatione.*
Tit. II. *De Emancipatione*
Tit. III. *De Procuratione.*

Adoptio quid sit.

ADoptio est: *Actus legitimus, per quem, qui filius non est, pro filio accipitur, penè naturam imitans.*

Expositio

Actus legitimus; quia adoptio est à Jure Civili introducta: *per quem qui filius non est, pro filio accipitur*; quoniam nemini licet adoptare filium suum: *naturam imitans*; etenim adoptio est quasi naturæ æmula, et vices subit filiationis, vel generationis legitimæ; nam, ut ex justis nuptiis naturales, et legitimi nascuntur; ita per adoptionem legitimi tantum fiunt. (*a*)

Quotuplex sit.

Duplex est adoptio: 1. Quando filius (patre tamen ejus legitimo, et naturali prius emancipato) avo paterno, vel materno in adoptionem datus est: 2. Quando filius datus est Personæ extraneæ; quo casu jura patris naturalis minimè dissolvuntur; nec quidquam ad patrem adoptivum transit; nec in potestate ejus est ex jure *Justinianeo*. (*b*)

Quot capita contineat.

Duo capita continet adoptionis instrumentum: 1. *Adoptionis*: 2. *Decreti Judicis.*

Quomodo fiat.

Adoptio fit de voluntate quatuor personarum; nimirum,

(*a*) *Inst. hoc tit. in princ. et §. 4.*
(*b*) *Inst. de adop. §. 1. et 2. Leg. pen. cod. de adop.*

mirum : Patris legitimi, et naturalis : Filii adoptivi: Patris adoptantis : et Judicis auctorisantis. (*a*)

Duplex est ejus effectus : 1. Quod si filius familias extraneæ personæ in adoptionem datur ; non transit in adoptantis potestatem ; neque patris naturalis jura dissolvuntur aliquo modo, nec aliquid ad patrem adoptivum transit ; sed tantum consequitur, quod adoptatus filius dicatur adoptantis, et ad legitimam ejus successionem admittatur, si pater adoptivus ab intestato decesserit : 2. Si non extraneæ personæ, sed avo paterno, vel materno (patre tamen legitimo, et naturali emancipato) datus est filius in adoptionem; tunc transit in potestatem patris adoptivi, cum concurrant in hoc casu in unam, eamdemque personam, et naturalia, et adoptionis jura ; et consequitur, quod nepos concurrit ad divisionem bonorum patris adoptantis, veluti cæteri filii legitimi, et naturales. (*b*) Ejus effectus.

Arrogatio eodem modo definitur, et explicatur, sicut adoptio: cum sola differentia, quod adoptio fit de filio familias ; arrogatio verò de patre familias, vel de illis qui sui juris sunt. (*c*) Arrogatio quid sit.

Per duo capita dividitur arrogationis instrumentum : 1. *Arrogationis* : 2. *Decreti Judicis.* Per quot capita dividatur.

Debet fieri arrogatio de voluntate trium Personarum nempé : ejusdem arrogati : Patris arrogantis : et Judicis auctorisantis. Quomodo fiat.

Ejus effectus triplex est : 1. Quod non solum arrogatus, sed bona (intellige quo ad usumfructum ; proprietas enim remanet penes arrogatum, sicut in cæ- Ejus effectus.

(*a*) *Leg. 5. cum seqq. ff. de adop. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* §. 8.

(*b*) *Inst. hoc tit. §. 2. 3. et 11. Inst. de adquis. per adrog. pen tot tit.* §. 8. *Inst. quib. mod. jus patr. &c.*

(*c*) *Inst. hoc tit. §. 1.*

teris bonis adventitiis (*a*), et ejus liberi in potestatem arrogantis transeunt; cum qui in potestate alterius est, alium in potestate sua habere nequeat: 2. Quod habet jus succedendi ex testamento, et ab intestato: 3. Quod habet alimentorum jus in bonis patris arrogantis, durante arrogatione; secus ea finita. (*b*)

Qui adoptare poss.

Adoptare, et arrogare possunt omnes, quibus á lege, vel natura impeditum non est.

Qui nequeunt.

Adoptare, et arrogare nequeunt propter naturam: 1. *Minor majorem natu*; quia adoptio, et arrogatio naturam imitantur, et pro monstruo est, ut major sit filius, quam pater, et sic necesse est, quod adoptans, seu arrogans plena pubertate, id est, decem octo annis præcedat adoptandum, vel arrogandum, et licet generare antea possit, tamen rarius est, ut generet; cum leges iis, quæ frequentiora sunt accommodentur: *Item* impediuntur illi, quibus omnis facultas generandi, et spes denegata est; ut castrati: (*c*) Nota tamen, hos dici non posse adoptare *natura*, non quod jus naturale hoc ipsis vetet; sed quod á natura habeant impedimentum.

Qui à lege impediantur.

A lege autem impediuntur: 1. *Femina*; quia nec naturales filios habent in potestate; tamen ex Principis rescripto, ad solatium filiorum amissorum possunt adoptare: (*d*) 2. *Minor sexaginta annorum*; quia magis liberorum procreationi studére debet: (*e*) 3. *Qui tutelam, vel curam alicujus administrat*; propter fraudis suspitionem; maximè si arrogandus sit minor. (*f*)

Possunt

(*a*) *Inst. de adq. per adrog. §. 2.*
(*b*) *Inst. hoc tit. § 2.*
(*c*) *Inst. de adop. §. 4. et 9.*
(*d*) §. 10. *Inst. de adop.*
(*e*) *Leg.* 15. § 2. *ff. de adop.*
(*f*) *Leg.* 17. *ff. de adop.*

Qui posſint adoptari.

Poſsunt adoptari filii familias, etiamſi ſint infantes, ſine reſcripto; nam in adoptione ſufficit tacitus conſenſus adoptandi. (*a*)

Qui arrogari poſſ.

Arrogari poſsunt: Patres familias, vel qui ſui juris ſunt, nec non impuberes, cauſa tamen cognita; quo caſu arrogator debet cavére Perſonæ publicæ, datis fidejuſsoribus, ſe bona arrogati, ſi is impubes moriatur, reſtituturum illis, qui, ſi arrogatio non eſset facta, ad ſucceſsionem ejus venturi eſſent. (*b*)

Adoptio, et arrogatio in quibus cõveniant

In tribus conveniunt adoptio, et arrogatio: 1. Quia utraque eſt de Jure Civili introducta: 2. Quia utraque coram Judice fieri debet ad ejus validitatem: 3. Nam quælibet nequit fieri per procuratorem; quia præſentes eſse debent, qui adoptantur, vel arrogantur: (*c*) Puto tamen, quod hodie admitteretur procurator cum ſpeciali mandato.

In quibus differant

In quatuor autem differunt: 1. Quia adoptio fit de filio familias; *sed arrogatio de patre familias, vel de eo, qui est sui juris*: 2. Nam adoptio fit coram quocumque Judice; *Sed arrogatio coram Imperatore, vel Rege, seu ejus locum tenente, vel alio Judice habente privilegium ab illis*: 3. Quia adoptio de voluntate quatuor perſonarum fit; *Sed arrogatio de voluntate trium*: 4. Nam filius adoptatus in patris adoptantis poteſtatem non tranſit; niſi de ſuis ſit; *Sed arrogatus transit in arrogantis potestatem.*

NOTA. Qui ſemel adoptatus, vel arrogatus eſt, nequit per aliam perſonam adoptari, nec arrogari; quia in plurium poteſtate ſimul eſse nequit.

DE

(*a*) *Leg. 5. et 42. ff. de adop.*
(*b*) *Inſt. hoc tit. §. 3.*
(*c*) *Leg. penult. cod. de Emancip. liber. et ibi glos.*

DE EMANCIPATIONE.

TITULUS II.

Emancipatio quid sit

EMancipatio est: *Patriæ potestatis relaxatio coram competenti Judice facta.*

Expositio

Patriæ potestatis relaxatio; nam per emancipationem dissolvitur jus patriæ potestatis, quod habet pater in filium, et avus in nepotem: (*a*) *Coram competente Judice facta*; quia si non fieret coram legitimo Judice, non valeret. (*b*)

Per quot capita dividatur.

Per quinque capita dividitur emancipationis instrumentum: 1. *Contrahentium*: 2. *Emancipationis factæ* 3. *Rei datæ in honorem emancipationis*: 4. *Promissionis de legitima defensione, et de ratum habendo*: 5. *Decreti interpositi.*

Quomodo fiat.

Fit emancipatio de voluntate trium Personarum; nempè, emancipantis, ne aliter cogatur invitus rem suam emancipare: filii emancipati, ne invito beneficium tribuatur: et Judicis auctorisantis. (*c*)

Qui possint emancipare.

Possunt emancipare masculi, qui filios in potestate habent: Undè excluduntur feminæ, licet sint sui juris; quia filios in potestate non habent. (*d*)

Qui emancipari poss.

Emancipari possunt illi, qui sunt de linea descendentium, et in potestate ascendentium existunt, dummodo sint impuberes; nam Infantes emancipari nequeunt, cum nullum animi Judicium habeant, et sic, neque consensum præstare possint; nam emancipandus, ad minus, debet non contradicere; (*e*) sed hoc verum

(*a*) *Inst. quib. mod. jus patr. potest. §. 6.*
(*b*) *Inst d. §. 6.*
(*c*) *Inst. d. §. 6.*
(*d*) *Inst. de adop. §. 10.*
(*e*) *Inst. d. §. 6.*

verum est de eo, qui consensum dare potest: alias enim; quod Infantes emancipari possunt, innuit, non obscure *Lex penult. cod. de emancip.*

In tribus casibus pater cogitur emancipare filium: 1. Si impubes adoptatus sit, et post pubertatem probet, adoptionem sibi esse inutilem, sive damnosam: (*a*) 2. Si pater legatum sibi relictum acceperit sub conditione, quod filium emanciparet; tenetur tunc implére fidem: (*b*) 3. Si filium pater durius tractet, vel ad peccandum compellat; nempè, si sit masculus, ut furetur; si verò femina, ut inhonestè vivat; indignum enim se imperio reddit, qui eo abutitur. (*c*) Adde casum expressum in *Nov. inst.* (*d*) si nempé pater contrahat nuptias incestas. Præter has, et similes fortasse causas, non cogitur pater filium suum emancipare. (*e*)

In quibus casibus pater debeat emancipare filium.

NOTA. Quamvis per superiores modos tollatur patria potestas: non tamen abolitur reverentia, et observantia, quæ parentibus debetur jure naturali, quod per Jus Civile tolli nequit. (*f*)

Triplex est emancipationis effectus: 1. Quod emancipatus efficitur sui juris, ita ut possit civiliter cum patre contrahere, ipsumque in jus vocare, venia tamen ob reverentiam petita, et obtenta; et sic similiter alienare, testari, et omnia alia facere, quæ civi Romano facere licet: sed de Jure Cathaloniæ (*g*) filius emancipatus minor absque patris con-

Effectus emancipationis.

(*a*) *Leg.* 32. *et* 33. *ff. de Adop. et Emancip.*
(*b*) *Leg.* 1. §. 3. *ff. Si à parent. quis manum. Leg.* 92. *ff. de cond. et dem.*
(*c*) *Leg. ult. ff. Si à parent. quis manum. Leg.* 12. *cod. de Episc. aud.*
(*d*) *Novell.* 12. *cap.* 2.
(*e*) *Leg.* 31. *ff. de adop. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* §. *fin.*
(*f*) *Inst. de jur. nat. gent. et civ.* §. 11. *et de patr. potest.* § 2.
(*g*) *Const.* 1. *lib.* 2. *tit.* 11. *de Menors.*

consensu nequit actus obligatorios facere: 2. Quod quidquid filius emancipatus adquirit ex quacumque causa, sibi adquirit quo ad proprietatem, et usumfructum: 3. Quod medietas ususfructus per emancipationem applicatur filio; et alia patri debetur in præmium emancipationis, etiam si eam in illius actu non reservaverit; potest tamen pater dictæ suæ dimidiæ parti renuntiare. (*a*) Hæc intellige de emancipatione quæ fit ab homine: Est alia quæ fit à Jure nostro; ut *per const. unicam, tit. de Emancip.* qua cavetur, ut si filius contrahat matrimonium de voluntate patris, habeatur in omnibus pro emancipato; sicque est sui juris; et pater familias: de cujus intelligentia, et effectibus vide *Cancer*: (*b*) Et pro praxi emancipationis, quæ ab *homine* fit, et non à *Jure nostro*, vid. *Ripoll.* (*c*)

In hac Patria.

NOTA. Emancipatio est actus voluntariæ Jurisdictionis; et sic Notarius, cum sit Judex Cartularius, potest auctoritatem imponere, et simul instrumentum emancipationis conficere. (*d*)

NOTA. Si filius emancipatus ingratus est contra patrem, revocatur emancipatio, ob ingratitudinem. (*e*)

NOTA. Emancipatio ad unum actum causam solam, atque ad tempus fieri nequit; et hoc favore libertatis introductum est, ultra quod est actus legitimus, qui in totum vitiaretur per temporis vel conditionis adjectionem. (*f*)

NO-

(*a*) *Leg. fin. cod. de Emancip.*
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 10.
(*c*) Ripoll. *in prax. Vic. Barc. rub.* 18.
(*d*) *Leg.* 36. *ff. de Adop.*
(*e*) *Leg.* 1. *cod. de Ingrat. lib.*
(*f*) *Leg.* 77. *ff. de reg. jur.*

NOTA. Emancipatio nequit fieri per Procuratorem; quia emancipandus debet esse præsens: Sedtamen cum speciali mandato fieri nunc posse putem.

DE PROCURATIONE, SEU MANDATO.

TITULUS III.

PRocuratio, seu mandatum est: *Contractus, quo quis bona fide negotium aliquod alteri gratuito gerendum committit.* Procuratio seu mandatū quid sit.

Contractus; quia est conventio, in qua ultro citroque obligantur; mandator scilicet, qui negotium alteri gerendum committit; et mandatarius, qui illud exequendum suscipit: Ille, ut indemnem servet mandatarium; iste vero ut negotium susceptum impleat: (*a*) *gratuito*; quia si merces, seu pecunia interveniret, potius locatio, et conductio esset, quam mandatum; nam est contra naturam ipsius contractus, cum originem ex officio, atque amicitia trahat; contraria vero amicitiæ sit merces. (*b*) Expositio

Per tria capita dividitur procurationis instrumentum: 1. *Contrahentium*; scilicet, illius, qui procuratorem constituit, et illius, qui procurator constituitur: Per quot capita dividatur.

(*a*) *ff. et cod. hoc tit. passim.*
(*b*) *§ fin. Inst. de Mandato.*

tur : 2. *Ejus ad quod constituitur*, videlicet, vendere, locare, litigare, &c. : 3. *Promissionis de ratum habendo, cum bonorum obligatione.*

Quot modis contrahatur.

Quinque modis contrahitur mandatum : 1. *Gratia mandantis tantum* ; veluti, si tibi mandem, quod aliquid mea gratia facias : 2. *Gratia utriusque, scilicet, mandantis, et mandatarii* ; ut si mandem tibi aliquid, quod ad utriusque nostrum respiciat utilitatem : 3. *Gratia aliena tantum* ; si tibi mandem, ut Titii negotia geras : 4. *Gratia aliena, et mandantis* ; Si tibi mandem, ut Caio, et mihi domum emas : 5. *Gratia tua, et aliena* : si mandem tibi, ut Titio pecunias sub usuris credas : Exempla, et explicationem sume ex *Instit.* (*a*)

Qui possint Procuratores constituere.

Possunt mandatum dare, seu Procuratores constituere omnes, qui á lege non prohibentur contrahere: Unde excluduntur impubes, et alii qui contrahere nequeunt.

Ad quid teneatur Procurator.

Obligatur mandatarius, seu procurator : 1. Ut susceptum á se mandatum fideliter, ac diligenter impleat, et exequatur : voluntarium enim est suscipere mandatum : necessarium verò consummare semel acceptum : *Item* obligatur, ut non excedat fines mandati ; quia si aliud, ultra potestatem sibi collatam exerceat, sibi debet imputari, si negotium ratum non habeatur. (*b*)

Quæ res mandari possint.

Mandari possunt res licitæ, et honestæ ; nam rei turpis nullum est mandatum, nulla obligatio, nec actio ulla, quæ competere possit, vel mandanti, seu ejus nomine mandatario : turpia enim pro impossibilibus habentur. (*c*)

Quin-

(*a*) *Inst. hoc tit. à princ. usque ad §. 6.*
(*b*) *Inst. hoc tit. §. 8. et 11.*
(*c*) *Inst. hoc tit. §. 7.*

Quot modis finiatur mandatum.

Quinque modis dissolvitur, seu finitur mandatum: 1. *Revocatione mandati*; cum utilitatis causa mandatum fiat, et quisque suo favori renuntiare possit, dummodo res integra maneat; hoc est, quod mandatarius nondum cœperit mandatum exequi, tunc enim mandatarii, nihil interest: (*a*) 2. *Renuntiatione mandatarii*; nam sicut mandanti conceditur revocare mandatum; ita et mandatario liberum esse debet illud renuntiare, ne contractus claudicet; dummodo tempestive renuntietur, et integrum jus mandatori reservetur: (*b*) 3. *Morte alterutrius, re integra manente*; nam si mandatarius cœperit mandatum exequi, ignorata probabiliter morte mandantis, valet id, quod gestum est, ne quis ex officio suo damnum sentiat: (*c*) 4. *Interitu rei*; nam sine re mandatum exercéri nequit: 5. *Finito negotio*; cum amplius non supersit materia, et sine obtento, cessent media.

Mandatum cum libera, et generali administratione quid se extendat, et ad quæ limitetur.

Mandatum cum libera, et generali administratione se extendit ad omnia, quæ mandans facere potest: *Excepto* tamen donare, vel dilapidare; quia ex libera bonorum administratione detrahitur bonorum dilapidatio, et donatio, nisi specialiter dictum sit in mandato: *Item* requiritur speciale mandatum ad matrimonium contrahendum; circa quod est notatu dignum, quod si procurator ad hoc speciale mandatum habens contrahat post revocationem, etiam si istam ignoret, matrimonium

(*a*) *Inst. hoc tit. §. 9.*
(*b*) *Inst. hoc tit. §. 11.*
(*c*) *Inst. hoc tit. §. 10.*

non est validum. (*a*) *Item* ad pacem faciendam: Ad petendum restitutionem in integrum: Ad solvendum creditoribus: Ad accusandum tutorem suspectum: Ad nominandum suspectos in lite. (*b*)

Procurator quid sit. Ptocurator est: *Ille, qui negotia aliena, mandato sibi à Domino facto, gratuito gerenda suscepit; plura; vel unum.*

Expositio *Ille*; non autem illa; nam mulier nequit esse procuratrix ad causas; quia ab omnibus officiis civilibus, et publicis remota est: (*c*) *Negotia aliena*; nemo enim rem suam potest defendere tamquam procurator; sed sic tamquam principalis: *Mandato*; quippe si caréret mandato, non posset agere tamquam procurator, sed ut negotiorum gestor: (*d*) *à Domino*; etenim, si Dominus non constituit procuratorem, non valet mandatum; quapropter excluduntur Tutores, Curatores, Prælati Ecclesiarum; et alii, qui non sunt rerum Domini: Sed isti nihilominus possunt administrationem, quam habent, aliis demandare, et actorem, sive sindicum creare: (*e*) *Gratuito*; nam si non esset gratuitum, non diceretur mandatum; ac si pecunia numerata interveniret; locatio, et conductio esset; et si alia res, contractus innominatus: (*f*) *Suscepit*; quia si non suscepisset mandatum à Domino sponte, non cogitur

(*a*) *Cap. fin. de Procur. in 6.*
(*b*) *Cap. 4. de Procur. in 6. Leg. 7 ff de Donation. Leg. 58. 59. 60. 63. ff. de Procur. Leg 16 cod. eod. tit. late* Tristany *decis. 128.*
(*c*) *Leg. 4. 18. et 21. cod. de Procur. Leg. 2. ff. de reg. jur.*
(*d*) *Inst. de oblig quæ quasi ex contr. § 1.*
(*e*) *Cap. x. de Sindico. Leg. 11. cod. de Procur.*
(*f*) *Inst. de Mandato §. fin.*

tur adimplere; nam mandatum susceipere cuilibet licitum est; semel autem susceptum, debet adimpleri. (*a*)

Possunt Procuratores esse, sive constitui omnes illi, qui non prohibentur à lege, seu non habent aliquod juris impedimentum. Qui possint esse Procur.

Prohibentur autem: 1. *Femina ad lites*; quia, ut dictum est, ab omnibus officiis civilibus, et publicis remota est; nisi haberet patrem, qui non posset Procuratorem invenire: *Item* Miles, qui, nec pro persona conjuncta Procurator esse potest, ne distrahatur ab officio militari: (*b*) *Item* minor viginti quinque annis ad causas; quia potest restitui in integrum; ad negotia autem benè potest: (*c*) *Item* furiosus, mentecaptus, prodigus, mutus, et surdus, excomunicatus, infamis, servus, hæreticus, apostata, et comittens crimen læsæ majestatis. Qui nequeant.

Procuratoris officium est exequutioni mandare quidquid in mandato plenius continetur, vel tempestivè renuntiare. (*d*) Quod sit officium Procur.

NOTA. Si sunt duo procuratores constituti, nequit quilibet per se in exequutionem ponere mandatum; cum per se non habeat talem facultatem, nisi cuilibet insolidum facultas tributa sit. (*e*)

NOTA. Procurator non potest constituere, seu potius subsstituere alium procuratorem, nisi habeat expressam ad id potestatem à suo principali ad illum

---

(*a*) *Inst. de Mand. §. 11.*
(*b*) *Inst. de Excep. §. fin. Leg. 7. cod. de procur.*
(*c*) *Leg. 12. cod. de Procur. Inst. Qui, et ex quibus caus. §. fin. cap. 5. § 2. de Procur. in 6.*
(*d*) *Inst. de Mand. §. 11.*
(*e*) *cap. 6. de Procur. in 6.*

lum conſtituendum, quia limitata facultas, limitatum parit effectum: Hoc tamen intellige de Procuratore conſtituto ad certum aliquod negotium, ſive litem; nam alias Procurator, ſive generaliter, ſive ad negotia, ſive ad lites conſtitutus, poteſt alium ſubſtituere; (*a*) Niſi hoc ei ſpecialiter ademptum ſit.

NOTA. Specialia in Procuratore ad matrimonium contrahendum: 1. Debet habere ad hoc ſpeciale, et ſpecificum mandatum; nec ſufficit generale, etiam cum libera: 2. Non poteſt ſubſtituere, niſi hoc ſpecialiter ſit commiſsum: 3. Si contrahat poſt revocationem, etiamſi hoc ignoret, matrimonium non eſt validum. (*b*)

SE-

(*a*) *Cap. 1. §. 2. de Procur. lib. 6.*
(*b*) *Cap. fin. de Procur. in 6.*

SECUNDA PARS

DE ULTIMIS VOLUNTATIBUS

IN TRIA CAPITA DIVIDITUR.

Cap. I. *De Testamentis*
Cap. II. *De Codicillis.*
Cap. III. *De Donatione causa mortis.*

CAPUT I.

DE TESTAMENTIS.

IN DUODECIM TITULOS PARTITUM.

Tit. I. *De Testamentis.*
Tit. II. *De Manumissoribus.*
Tit. III. *De Legatis.*
§. Unic. *De Falcidia.*
Tit. IV. *De Exheredatione, & Præteritione.*
Tit. V. *De Heredibus instituendis.*
Tit. VI. *De Heredum qualitate, & differentia.*
Tit. VII. *De Substitutionibus.*
§. I. *De vulgari substitutione.*
§. II. *De Pupillari.*
§. III. *De Exemplari.*
§. IV. *De Breviloqua, seu Reciproca.*
§. V. *De Compendiosa.*
Tit. VIII. *De Fideicommissis, & substitutione fideicommissaria.*
§. Unic. *De Quarta trabellianica, & legitima.*
Tit. IX. *De Tutoribus.*
§. I. *De Legitima Agnatorum tutela.*
§. II. *De Tutela dativa.*
Tit. X. *De Curatoribus.*
Tit. XI. *De Inventario.*
Tit. XII. *De Aditione, & Repudiatione hereditatis.*
Appendix de Successionibus ab intestato.

TEstamentum est: *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum heredis institutione.* (a) Testamentum quid sit.

Vo-

(a) *Leg. 1. ff. qui testam. facere poss.*

Expositio *Voluntatis nostræ*; verba ista docent, voluntates ultimas pendere non debere ex alterius, quam testantis voluntate libera, non captatoria: (*a*) *Justa sententia*; id est solemniter, et conformiter legibus facta: (*b*) Qua particula excluduntur etiam aliæ ultimæ voluntatis species, quæ licet sint in suo genere perfectæ, non tamen sunt jure factæ, id est solemnes; ut codicilli, in quibus nulla ordinationis requritur solemnitas: (*c*) *De eo*; hoc est, de universo patrimonio; nam testamentum debet totius patrimonii dispositionem continére: Unde si aliquis est institutus in re certa, nullo alio dato coherede: de jure pro herede universali habetur; nemo enim pro parte testatus, et pro parte intestatus decedere potest, nisi sit miles; cujus sola voluntas in testando spectatur: *Quis*; videlicet, testator, vel testatrix; quia ambo valent testamentum condere: *Post mortem suam*; quia ut viventis nulla est hereditas; ita demum testamentum post mortem vires accipit; voluntas enim hominis ambulatoria est usque ad ultimum vitæ extremum: (*d*) *Cum heredis institutione*: quippè heredis institutio est basis testamenti, et sine ea nequit stare. (*e*)

Species testamentorũ. Testamentorum species quatuor sunt; nempé: *In scriptis*; hoc est clausum: *Sine scriptis*; id est nuncupativum: *Sine ulla scriptura*; id est sacramentale: et *Militare*, quod minus solemne est.

Testamentũ in scriptis. Testamentum in scriptis, sive solemne est: Quando testator, servatis debitis solemnitatibus, ultimam suam

---

(*a*) *Leg.* 32. *ff. de hered. instituen.*
(*b*) *Leg.* 4. *ff. qui test. fac poss. et quemadm.*
(*c*) *Inst. de codicil. §. fin.*
(*d*) *Leg.* 32 *§.* 3 *ff. de donát. inter vir. et ux.*
(*e*) *Leg.* 1. *ff. de hered. instit. Leg.* 1. *§.* 3. *ff. de vulg. et pub. substit.*

ſuam voluntatem in ſcripturam primum redigit; deinde ſubſcriptiones teſtium offert ad corroborandum: Sedtamen his temporibus alia convenit definitio; ſcilicet: Quod clauſum Notario à teſtatore traditur coram duobus teſtibus ore proprio ipſius rogatis, et ſuper teſtamenti operculo inſtrumentum traditionis conficitur, declarando teſtatoris nomen, et cognomen, et clauſulam revocatoriam in conſpectu eorum teſtium, qui, una cum teſtatore, nomina ſua ſubſcribere debent: vigore Reg. Edicti infr. cit.: (*a*) Et licèt teſtator ſit literarum ignarus, vel ſcribere nequeat, poteſt nihilominus alius pro eo ſubſcribere. (*b*)

Quatuor ſolemnitates requirit teſtamentum ſcriptum: 1. Quod fiat uno, eodemque tempore; ac contextu, ſine ullo diverticulo ad aliquem actum extraneum; quia actus teſtamenti civilis unica forma debet terminari: 2. Quod celebretur adhibitis in Cathalonia duobus teſtibus, ut infra dicetur (licet de Jure Communi ſeptem requirantur) ad hoc rogatis ore proprio teſtatoris, ut omnis excludatur ſubornatio; iiſque maſculis, ac puberibus: 3. Quod teſtator aſſerat ultimam ejus voluntatem eam eſſe: 4. Quod teſtator, et teſtes ſubſcribant teſtamentum, et ſigilla ſua imprimant; ſi enim alterum deſinit, pro infecto teſtamentum habetur: (*c*) Sed hodie obſervatur, ut paulo ante dictum eſt, quod teſtator, et teſtes ſubſcribunt ſuper operculo, et vitatur tota fraudis ſuſpicio. Quas ſolemnitates requirat.

Teſtamentum nuncupativum eſt: Illud, in quo teſtator viva voce omnem voluntatem ſuam circa heredem, legata, aliasque diſpoſitiones exprimit, et Teſtamentum nuncupativum.

(*a*) *Reg. edict.* Dom. Ferdinand. VI. *publ. anni* 1755. *n.* 4.
(*b*) *Leg.* Hac conſulti s ma 21. *cod de teſtam.*
(*c*) *§ 3. et 4. inſt. de teſt. ord.*

nuncupat coram testibus ad hoc convocatis, et rogatis specialiter uno, et eodem contextu, eodem tempore, et loco, nullo actu extraneo interposito; (*a*) Scias tamen, quod antea, vigore privilegii incipientis *Recognoverunt proceres* Civitati, et civibus Barchinonæ concessi per sereniſsimum Dominum Petrum III. Aragoniæ Regem (*b*) Notarius poterat facere testamentum, ipso solo existente cum testatore, et quod ipso facto, sive notato in papiro vocabat testes, coram quibus dicebat, se notasse testamentum ipsius testatoris, et valebat, ac si illud audivisent ipsi testes: Sed hodie dictum privilegium revocatum, et abolitum est. (*c*)

Ejus solemnitates.

Testamentum istud fere easdem solemnitates requirit, quæ in testamento scripto desiderantur, exceptis tamen subscriptionibus testium, quod testamenti genus hodie maximé in usu est; de quo Notarius conficit scripturam, et nihilominus manet nuncupativum, cum scriptura ad memoriam, non ad solemnitatem aliquam adhibeatur: (*d*) Sed moribus, et hodierno jure, in hoc testamento sufficiunt duo testes cum præsentia Notarii, qui de eo instrumentum facit, et fide sua supplet defectum aliorum testium. (*e*)

Testamentum sacramentale.

Testamentum sacramentale est: Illud, in quo civis Barchinonæ; præsentibus testibus etiam Notario non præsente, sive in terra, sive in mari, exprimit ultimum voluntatis suæ elogium, in scriptis, vel sine scriptis.

Ut

(*a*) *Instit. de testam § fin.*
(*b*) *Cap. 25 tit. 13 consuet. Barc. recognov. proc.*
(*c*) *Vid. suprad. Reg. edic. publicat. an. 1755. n. 2.*
(*d*) *§. ult. inst de testam. ord.*
(*e*) *Cap. cum esses x. de testam.*

Ut tale teſtamentum valeat requiritur, quod teſtes, qui interfuerunt ipſi ultimæ voluntati, vel teſtamento, jurent cum ſolitis ſolemnitatibus in Eccleſia ſanctorum Juſti, et Paſtoris hujus Civitatis ſuper altari Sancti Felicis Martyris, ſe ita vidiſſe, et audiviſſe ſcribi, vel dici, ſicut in ſcriptura continetur, ſive in ultima voluntate verbo tenus ab ipſo teſtatore dicta: (*a*) Et licet tale teſtamentum conficiatur cum his ſolemnitatibus; nihilominus nuncupativum eſt; quia ibi deficiunt ſolemnitates, quæ in teſtamento ſcripto ſolemni requiruntur. (*b*) Ejus ſolemnitates.

Teſtamentum militare eſt: Quod liberum, ac ſolutum eſt ſolemnitatibus juris; quia miles militando, ſive ſcripto, aut ſine ſcriptura extremam ſuam voluntatem quomodolibet ordinaverit, ſuſtinetur, et valet teſtamentum ex ſola illius voluntate, quamvis, neque legitimus teſtium numerus adhibitus fuerit; nec alia obſervata ſolemnitas, ut ſupra dictum eſt de aliis teſtamentis; imo miles poteſt decedere cum pluribus teſtamentis; heredes inſtituere ad certum tempus; decedere partim teſtatus, et partim inteſtatus; liberoſque, quos habere ſe ſcit, præterire, ceſſante querela: ne milites cogantur deſerere ſtationem ſuam ſolius teſtamenti ordinandi cauſa; Maximè, cum expeditionis neceſsitas ſemper non det locum et tempus obſervationi ſolemnium, cum inter armorum ſtrepitum verba Juris Civilis non exaudiantur: Et ſic venit dicendum, quod non valebit tale teſtamentum, ſi extra expeditionis neceſsitatem condatur; cum ceſſet ratio privilegii: Pro ut de his privilegiis Teſtamentum militare.

(*a*) *Cap.* 48. *d. tit.* 13. *recognov. proceres.*

(*b*) *Ripoll in prax. vic. Barc. rub.* 8. *canc. var.* 1. *cap.* 4. *n.* 71. *et* Seqq.

militum latius agitur *in titulis instit. digest. et cod. de militari testamento.*

Visum est, quod sunt species testamentorum: Nunc videre oportet de his, qui à jure prohibentur testari; nam si cognoverimus, quænam istæ Personæ sint; simul intelligemus à contrario sensu, quæ testamentum condere possunt.

Qui nequ. testari. Filii fam.

Condere testamentum non licet: 1. Filio familias in potestate patris constituto, quia alieno juri subjectus est; et licet testamentum ad res privatas pertineat; tamen licentia ejus faciendi ex jure publico procedit, quæ solum conceditur patri familias, hoc est ei, qui sui juris est, de propria substantia: Ideo facultate carent condendi testamentum filii familias, licet parentes eis hoc permiserint, cum privata permissio nequeat jus publicum immutare;(*a*) sed si filius est Clericus in minoribus ordinibus constitutus, licet in patria potestate, potest facere testamentum, et disponere de adquisitis quolibet modo; nam ista Clerico sunt quasi castrensia: (*b*) Tamen quod de castrensi, vel quasi castrensi peculio filii familias testari valeant, certum est; nam intuitu illorum pro patribus familias habentur: De adventitio verò, licet illud pleno jure sit filiorum familias (quod aliquoties contingit) nequeunt de illo disponere ultima voluntate; nam respectu hujus peculii non eximuntur à potestate; imo, licet suæ potestatis facti decesserint, testamentum ante factum remanet inutile; nam inspicitur tempus conditi testamenti; ex quo profluit juris regula: *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*; (*c*) quod etiam procedit etiamsi

(*a*) *Leg. 27. ff. de reg. jur.*
(*b*) *Inst. quib. non est perm. fac. testam. in princ. leg. 34. et auth. Presbyt. cod. de Ep. et. Cler.*
(*c*) *Leg. 29. ff. de reg. jur.*

etiamsi testamentum sit factum ab habente animum ingrediendi Monasterium, ut docet *Canc. v. 1. c. 4. n. 124. cum seqq.*; remedium tamen est, ut Pater filium emancipet.

2. Prohibetur impubes; quippè nullum animi judicium ei inest; quales sunt masculi, qui quatuordecim, et feminæ, quæ duodecim ætatis annos nondum compleverint. (*a*) Impubes.

3. Furiosus, et mentecaptus; quia testamentum postulat sanitatem mentis; ideo nequit fieri ab iis, qui mente carent: Sed si ante factum est, aut tempore intermissi furoris, firmum permanet, etiam postea superveniente furore, qui cum tantum sit facti, non infirmat id, quod jure factum est; unde in eo, qui testatur, eo tempore quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est. (*b*) Furiosus et mentecaptus.

4. Prodigus post interdictam bonorum suorum administrationem; etenim, tales, quo ad bona, dicuntur furiosum facere exitum. Tamen si ante interdictionem testamentum fecerint, illud ratum manebit, etiam post interdictionem; quia, ut dictum remanet, in materia testamenti inspicitur tempus confectionis. (*c*) Prodigus.

5. Mutus, et surdus á natura; quoniam explicare mentem suam non potest: illi verò, qui tarde, vel balbutienter loquuntur, et difficulter exaudiunt, pro mutis, aut surdis non habentur; ideo testari possunt: Casu verò quo ex accidenti mutus, ac surdus factus sit, si literatus est, testari potest, dummodo manu Mutus, et surdus.

pro-

(*a*) *Leg. à qua etate 5. ff. qui testam fac. poss. inst. quib. non est perm. §. 1.*

(*b*) *Leg. 2. ff. qui testam. fac. poss.*

(*c*) *Inst. quib. non est perm. §. 2.*

propria scribat testamentum: Si autem nescit, per alium scribere illud faciat, facultate tamen à Principe prius impetrata: Sed si quis post testamentum factum, adversa valetudine, aut quolibet alio casu mutus, aut surdus esse cœperit; nihilominus manet validum ejus testamentum; nam non debet id, quod rite factum est, ex aliquo eventu vitiari. Quæ omnia præmissa intellige de muto, et surdo simul; nam si quis surdus tantum sit, dummodo loqui valeat, testari potest, quia valet mentem suam indicare: Attamen, si mutus tantum sit, licet audire possit, testari nequit, quia exprimere non potest suam voluntatem, nisi literatus sit, et illam scribat. (*a*)

Cœcus

6. Cœcus, scilicet utroque lumine privatus; quia facilius defraudari poterat, nisi observata forma ab Imperatore JUSTINIANO præscripta: nimirum: siquidem scribere cœcus nequit, testamentum faciat per nuncupationem, et declaret heredem, et illius dignitatem; necnon legata, et fideicommissa, et omnia circa suam voluntatem clare, et distincte, adhibitis septem testibus, et tabellione, qui voluntatem ultimam defuncti accipiat, et in scripturam redigat, subscribat, et subsignet eam una cum testibus. (*b*)

Captus ab hostibus.

7. Captus ab hostibus; nam dum apud hostes est, pro servo, aut quasi reputatur, adeoque testamentum factum ante captivitatem stricto jure corruit, eo quod devenerit in casum, á quo incipere nequit: Attamen sustinetur duabus fictionibus; una juris *postliminii*, si ad suos revertitur, quia fingitur, semper civem fuisse; altera legis Cor-

---

(*a*) *Inst. quib. non est perm.* §. 3.
(*b*) *Inst. quib. non est perm.* §. 4.

Corneliæ, qua fingitur, primo captivitatis momento civem deceſsiſse. (*a*)

8. Obſes; et eſt ille, qui certo loco penes hoſtes manet, fide data, ſe non receſsurum inde, donec eis ſit plenè ſatisfactum: Talis ergo teſtamentum facere non poteſt, niſi ei permittatur; pro captivo enim habetur. (*b*) Obſes.

9. Monachus, vel Religioſus poſt emiſsam profeſſionem, cum ex voto à ſe abdicaverit omnium rerum proprietatem, et nihil ſuum poſsideat, et ingreſsu Monaſterii ſe, omniaque ſua Deo dedicaverit. (*c*) Monachus

10. Condemnatus de capitali crimine; talis enim ſtatim ac damnatus eſt, cenſetur Civitatem, et libertatem amittere, et ſervum pœnæ effici. (*d*) Condemnatus de crim. cap.

11. Comittens crimen læſæ majeſtatis; quia ob tam execrabile crimen, à lege inhabilitatur. Comittens crimen læ-Mag.

12. Hæreticus; nam non credit in id, quod prædicant Sancta quatuor Evangelia, nec etiam in catholicam fidem. (*e*) Hæreticus.

13. Comdemnatus ad mortem; quippè efficitur ſervus, et quaſi pro mortuo reputatur. Condemnatus ad mortem.

14. Uſurarius manifeſtus prohibetur teſtari; etenim ob crimen commiſsum vetatur á Jure Canonico. (*f*) Uſurarius.

Teſtes verò in teſtamento eſse poſsunt omnes illi eum quibus teſtamenti factio eſt, ſive illi, qui ex alio- Qui teſtes eſse poſsint teſtamenti

(*a*) *Inſt. quib. non eſt perm.* § 5.
(*b*) *Leg.* 11. *ff. qui teſt. fac poſs. leg.* 31. *ff. de jure Fiſci.*
(*c*) *Cap. fin. de ſepul. in* 6.
(*d*) *Leg.* 6. § Sedet ſi 6. *ff. de injuſt. rup. &c.*
(*e*) *Cap.* 13 § *credentes* 5. *x. de hæreticis.*
(*f*) *Cap.* 2. *de uſuris in* 6.

aliorum testamentis capere, atque institui heredes possunt.

Qui nequ. Excipiuntur tamen aliqui, qui licet ex testamento capere possint; tamen nequeunt in eo esse testes; ut sunt muti, surdi, cœci, propter corporis vitium; furiosi, impuberes, prodigi, propter mentis defectum; servi, propter conditionem; mulieres, propter fragilitatem sexus; condemnati aliquo publico judicio; cum in testibus requiratur dignitas, fides, gravitas, boni mores, honestas, et inculpata vita: *Item* testis in testamento esse nequit ipse heres scriptus; nam videretur sibi ipsi jus, et testimonium dicere in propria causa; quod jura prohibent, propter affectum, qui subvertere veritatem solet; ad differentiam legatarii, cui testimonium non denegatur, cum juris successor non sit, ideoque non dicitur in re propria, sed in causam heredis ferre testimonium: *Item* neque is, qui in potestate heredis est: neque pater, qui eum habet in potestate (quod evenit si filius familias de castrensi, seu quasi castrensi peculio condit testamentum), neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt; nam totum hoc negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur inter testatorem, et heredem agi, et qui in potestate testatoris est, videtur in re propria testis: *Item* nec fideicommissarius universalis, quia heredis locum obtinet, atque in eo transferuntur per restitutionem omnia hereditatis jura. (*a*)

Testamentum quot capita contineat. Testamentum autem sex capita habere potest: 1. *Proœmii*: 2. *Legatorum*: 3. *Institutionis heredis*: 4. *Substitutionis*: 5. *Providentiarum*: 6. *Clausulæ finalis, seu codicillaris.*

Ho-

(*a*) §. *testes autem* 6. *instit. de testam. ordin. cum* §§. *seqq. ibid.*

Horum tria capita ſunt neceſsaria; nimirum: *Proœmii*; quia in eo fit mentio de Perſona teſtatoris, cujus nomen ſi ignoraretur, totum ignoraretur teſtamentum: *Heredis institutionis*; nam eſt caput, et fundamentum totius teſtamenti; et res ſine capite ſtare nequit, veluti corpus ſine anima: *Clausulæ finalis, seu codicillaris* dicentis, ſi non valeat jure teſtamenti, valeat jure codicillorum: nam per ipſam multis providetur periculis futuris, caſu quo teſtamentum ex aliquo defectu rumpatur, ſcilicet, quia poſthumus, qui inſtituendus erat, non eſt inſtitutus, vel quia aliquis eſt teſtis, qui nequit, et ſic ſimiliter; nam in iſtis caſibus debentur legata, et debent venientes ab inteſtato apprehendere hereditatem, et eam reſtituere heredi ſcripto, detracta per eos trabellianica. Quæ capita ſint neceſſaria.

NOTA. Abſolutè non eſt neceſsaria clauſula finalis; nam ſine ipſa valéret teſtamentum: Sed propter utilitatem, quæ ſequi poteſt, eſt valdè utilis, et penitus neceſsaria. (*a*)

Alia tria capita ſunt voluntaria; nempè: *Legatorum*: *Subſtitutionis*: *Providentiarum*, quia, etſi non apponantur in teſtamento, nihilominus valet. Quæ voluntaria.

NOTA. *Proœmium* ponitur primo loco; quia, cum in eo fiat mentio de Perſona teſtatoris, ejus ſobrietate, et teſtamenti qualitate; id naturalis ordo expoſtulat: *Legata pia, seu pietatis intuitu* ſecundo loco collocantur; nam fiunt propter animam, et anima eſt dignior corpore; ſed ubicumque collocata valent, quia incivile eſt ſcripturæ quidem ordinem ſequi, ſperni autem teſtatoris voluntatem: *Institutio heredis* tertio loco apponitur; quia eſt caput, et funda-

(*a*) Canc. *par.* 1. *cap.* 4 *n.* 59.

mentum totius testamenti, et quia dominatur omnibus aliis capitulis; ideo ponitur in medio: *Substitutio* quartum occupat locum; nam si poneretur ante institutionem, nihil operaretur; quia per ipsam denominantur succedentes substituti, nec substituti absque institutione dici possunt, cum dependeant ab ipsa: *Providentiæ* quintum locum vendicant; quia ultra quod providentiæ regulariter cadunt, aut super institutione, aut substitutione; alia loca priora merito jam occupata sunt: *Clausula finalis* sexto loco inseritur; nam claudit testamentum, et ultra, quia per eam quamplurima providentur, ut dictum est; sed prædicta carent fundamento juridico. (*a*)

Quot modis infirmetur testamentū.

Duobus modis infirmatur, seu rumpitur testamentum: 1. Per agnationem, vel quasi agnationem sui heredis; id est, si post testamentum factum testatori nascatur posthumus, idemque suus heres, aut ipse testator adoptet, vel adroget aliquem, qui etiam fiat suus heres; quia ad suum heredem pertinet patris hereditas: (*b*) 2. Posteriori testamento, quod jure perfectum est; nam in testamento de universis bonis disponitur, quæ universitas, cum non nisi una intelligi possit; ideo nequeunt unius hominis plura esse testamenta, ac per consequens stari oportet posteriori, cum deambulatoria sit hominis voluntas. (*c*)

NOTA. De jure hujus Cathaloniæ Principatus duo, aut tres testes in testamento sufficiunt: (*d*) exceptis illis locis ubi observatur Jus Commune, ut advertit *Canc.* (*e*)

NOTA. Filius emancipatus minor potest testari sine Patris consensu, cum certum sit, quod per testamen-

(*a*) *Vide* §. 34. ante heredis *inst. de legat.*
(*b*) *Instit. de exhered. lib.* §. 1. *et quib. mod. test. infirm.* §. 1.
(*c*) *Inst. quib. mod. testam. infirm.* §. 2.
(*d*) *Cap.* 26. *tit.* 13. *consuet. Barc. Recogn. proc. usat.* 3. *tit.* 15. *de testim.*
(*e*) Canc. *var.* 3. *cap.* 20. *n.* 409. *nonnulla etiam var.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. *&* 2.

mentum nullos actus obligatorios faciat. (*a*)

NOTA. Maritus in testamento, præsertim si facultatem sibi reservavit in capitulis, potest providére, ut uxor sua non habeat tenutam in omnibus bonis suis, hoc est, quod faciat sibi omnes fructus hereditatis, assignando uxori certas proprietates, seu redditus, vel alia bona, ut securitatem satis habére possit de sua dote, et sponsalitio: Est textus expressus in constit. *Hac nostra*: (*b*) Et miror, quod frequentius hoc non fiat; nam aliquoties mulier pro parva quantitate, quam ad domum mariti adfert in dotem, recuperat quamplurimas dotes, et heres, aut quia pecuniis caret, vel aliis rationibus nequit satisfacere dotem, rejicitur cum sua familia, quod verisimile est, nunquam fuisse talem testatoris mentem.

NOTA. Si testator concedit uxori suæ facultatem, ut inter vivos, seu in ultima voluntate disponat in favorem filiorum suorum, cum pactis, et conditionibus sibi benevisis, et casu quo illa decedat absque electione facta, disponit testator successionis ordinem; tunc debet mater sequi voluntatem indicatam à suo viro; quia ita velle censetur, nisi addatur: *Volens, quod mea dispositio non teneat, nisi ex electionis uxoris meæ defectu, et non alias; vel aliud, quod non adstrictam electionem collatam indicet.* (*c*)

NOTA. Testamentum inter liberos non censetur revocatum per secundum, in quo sunt instituti extranei, licet testator diceret postremum se velle valére, non obstante quocumque alio per se ante facto; nisi adderet: *Etiam inter liberos*; quia aliter non censetur, quod testator vellet suis præferre extraneos. (*d*)

(*a*) Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *n.* 63.

(*b*) *Const.* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. *Disolt lo matrimoni.*

(*c*) *Leg.* 82. ibi: Nam quod ipse vivus, *&c. ff. de cond. et dem.* Tristany *dec.* 9. *n.* 12. *non obstantibus adductis à* Font. *dec.* 525. *cum se q.*

(*d*) *Auth.* Hoc inter, *cod. de test.* Canc. *var.* 1. *cap.* 4. *n.* 9.

NOTA. Notarius debet esse cautus in conceptione verborum derogatoriorum ; nam est magna differentia dicere : Hoc testamentum meum firmum sit ; *Ita quod in posterum illud, nec mutare, nec, ejus pœnitére possim* ; quia abdicatur testator variare voluntatem suam, quod non procedit à jure; nemo enim potest auferre sibi facultatem testandi; aut dicere : Hoc testamentum meum firmum esse volo ; *Ita quod si deinceps aliud fecero, non valeat*; nam hæc verba solum continent voluntatis derogationem, et non facultatis abdicationem ; quo casu, si apparet aliud testamentum posterius, cum quo specialiter testator dixerit, se primi pœnituisse, debet stari secundo testamento, tanquam respicienti ultimam ejus voluntatem. (*a*)

DE MANUMISSORIBUS.

TITULUS II.

CUM soleant in praxi post proœmium per testatorem nominari manumissores, seu exequutores suæ ultimæ voluntatis : Ideo, ordine servato, hoc loco de eis tractandum erit.

Manumissor quid sit

MAnumissor est : *Ille, qui legitimè à testatore est nominatus, seu à jure constitutus, ad testatoris voluntatem exequuendam* : qui proinde appellatur *exequutor.*

Duo

(*a*) *Leg. 22. ff. de legat. 3.*

Duo sunt manumisorum genera; nam alii sunt *testamentarii*; et alii *legitimi*. Manumisores *testamentarii* sunt illi, quos testator nominat ad exequuendam voluntatem suam postremam; quod est in duplici differentia; nam quidam sunt *universales exequutores*; ut quando testator nullos scripsit heredes, nisi Dominum Deum, et ipsius testatoris animam; quo casu manumisores nomen heredis habent, et censentur omnibus modis heredes, et actiones activas, et passivas habére; quidam vero *particulares*; ut qui sunt nominati ad voluntatem exequuendam, dato, et nominato herede: ut bene distingunt, et explicant *Peguera, et Ripoll.* (*a*) *Legitimi* verò manumisores sunt illi, quibus à lege tribuitur potestas, in aliorum defectu, ultimæ voluntatis defendendæ, ut conservetur, et ne invertatur dispositio testamentaria; nam multum interest Reipublicæ, ultimas voluntates conservari, scilicet, per omnes bonos Magistratus, seu Judices Ordinarios, et Episcopos in piis causis. (*b*)

Eorum genera.

Manumisores in testamento possunt eligi omnes illi, qui á lege impedimentum non habent: Unde excluduntur illi, qui à jure obstaculum aliquod habent; ut Monachi, Religiosi, nisi obtenta superioris licentia; pupilli, furiosi, mentecapti, et similes, quia carent sensu; puberes, indignum enim esset, quod qui in suis alterius egent auxilio, administratores aliorum fierent, nisi consequuta ætate decem, et septem annorum. (*c*)

Qui esse possint.

NOTA. Licet mulier, propter sexus inconstantiam, et variationem à muneribus publicis repellatur; tamen

(*a*) Peguera, & Ripoll *in prax. civil. Reg. Aud. rub. 6 n. 16.*

(*b*) *Cap. 3. 6. 17. & 19. x. de testam.* Trident. *sess. 22. de reform. cap. 8. leg. 46. cod. de Ep. & Cler.*

(*c*) *Cap. 2. de testam. in 6. cap. 5. §. fin. de procur. in 6.* Clem. *Exivi, de verb. sign.*

tamen admittitur ad manumissoriam, favore ultimæ voluntatis sustinendæ. (*a*)

Quomodo excusetur manumiss.

Manumissor potest excusari eisdem modis, quibus tutor excusatur á tutéla, ut infra *tit. ix. de tutoribus* dicetur; cum ambo æquiparentur: Sed verius est, officium tutorum, et curatorum esse publicum, sicque necessarium; quare, qui vult ab eo se excusare, debet causam justam, et legitimam allegare, proponere, et probare: (*b*) At officium exequutorum est ab initio voluntarium, et ideo potest quilibet ab initio, et sine causa illud non acceptare. (*c*)

Quid ejus officium.

Officium manumissoris sequentia continet: 1. Quod munus sui officii, aut sponte, vel ex mandato suscipiat; 2. Quod si non est testamentarius, cautionem offerre debet, qua securius agere, et conveniri possit: 3. Quod inventario omnia defuncti bona describi faciat, ne ocultari valeant: 4. Quod commissarios, si qui sint, debet convocare ad deliberandum super rebus testamentariæ dispositionis: 5. Quod excitare, ac exigere debet debita: 6. Legatarios, aliosque defendere: 7. Quod heredes, ac legatarios in possessionem per ordinem inducat: 8. Quod bona defuncti vendat ad sequendum testatoris voluntatem: 9. Quod rationem de sua administratione reddat: 10. Quod in omnibus sequi debet voluntatem testantis, et eam non destruere, nec alterare: Licet tamen ei supplére id quod testator omisit, ubi respiciat ejus honorificentiam.

Quot modis finiatur.

Tribus autem modis finitur: 1. Morte ipsius manumissoris: 2. Lapso temporis decursu, anni scilicet á lege statuti ad exequuendum: 3. Operis com-

(*a*) *Ita supponitur in cap. 3. x. de test. adde leg. 15. ff de alim. vel cibariis. legat.*

(*b*) *Inst. de excusat. tutor.*

(*c*) *Arg. cap. 19. x. de testam. et §. 11. inst. de mand.*

complemento ; ut quando nihil reſtat ad exequuendum.

NOTA. Manumiſsores tenentur teſtamenti exequutionem facere intra annum, quem Prætor laicus, vel Judex Eccleſiaſticus præſcripſerit, niſi aliud ſit diſpoſitum á teſtatore ; quia tunc ſua voluntas ſervanda eſt: (*a*) Voluntas enim pro lege obſervatur.

NOTA. Manumiſsores, ſive univerſales, ſive particulares non habent poteſtatem inſolidum exequuendi, niſi à teſtatore ſit eis data, ne proceſsus ruat: et ideo, ſi aliquis ſine conſenſu aliorum, id eſt, majoris partis fecerit, nullum eſt. (*b*)

NOTA. Manumiſsores particulares defuncti vendere nequeunt, quia limitatam facultatem habent à lege ; ideo limitatum parit effectum, niſi à teſtatore atributa ſit eis ad id poteſtas: Ad differentiam manumiſsorum univerſalium ; iſti enim à lege poteſtatem habent vendendi defuncti bona, licet non ſit data poteſtas à teſtatore ; cum veniat in conſequentiam.

NOTA. Ut venditio facta à manumiſsoribus valida ſit, debet habére aliquas ſolemnitates ; ſcilicet: 1. Quod tabbas conficiant ad rem vendendam: 2. Quod per triginta dies, aut amplius ſubhaſtare faciant rem per loca ſolita, ubi remanſit: 3. Quod ipſam rem plus danti et offerenti liberent, ſeu vendant: 4. Quod non vendant ad creditum ; ſed in pecunia numerata, ad effectum adimplendi citò citius teſtatoris diſpoſitionem, ac voluntatem.

De his, et aliis in materia circa officium, jura, ac poteſtatem manumiſsorum vid. Canc. *var.* 1. *cap.* 7. *n.* 27. *cum ſeqq.* Reiff. *ad tit decretal. de teſtam.* §. *ult.*

DE

(*a*) *Cap.* 3. *x. de teſtam.*
(*b*) *Cap.* 2. §. 1. *de teſt. in* 6.

DE LEGATIS.

TITULUS III.

ORdinem propositum servando, hic rectè sequitur de legatis vidére.

Legatum quid sit.

EST igitur legatum: *Donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda.* (*a*)

Expositio.

Donatio; quia liberalitatem continet, nullo jure cogente: *Quædam*; nam legatum distinguitur ab hereditate, et heredis institutione, cum ista contineat onera hereditaria; legatarius tamen in hujusmodi onus non succedit: Non est propriè donatio, quia non est contractus: Ideo dicitur *quædam*, quasi diceret *species donationis*, eique simile, quod est titulus merè lucrativus; hereditas autem onerosus: (*b*) *A defuncto relicta*; ad differentiam donationis causa mortis, et aliarum donationum, quæ non relinquuntur, sed inter presentes mutuo consensu constituuntur: *ab herede præstanda*; quippe legatarius nequit regulariter propria auctoritate rem legatam sumere, sed petere eam debet ab herede, nisi relinquatur res jure institutionis, aut testator constituat, se nomine legatarii possidére, vel det legatario licentiam apprehendendi rem propria auctoritote: Sed hæc verba *ab herede præstanda* in definitione legati etiam significant obligationem ex parte heredis, qui adeundo hereditatem,

(*a*) *Instit. de legatis* § 1.
(*b*) *Leg.* 119. *ff. de verb. sign. leg.* 32. *ff. mandati.*

tem, obligatur ad præſtanda legata, videlicet, ex quaſi contractu. (*a*)

Genera legatorum olim quatuor erant: Sed illis ſublatis, conſtituit Imperator JUSTINIANUS, ut una ſit omnium natura, vis, atque poteſtas. (*b*) Legatorum ſpecies.

Quatuor autem modis fit legatum: 1. *Pure*; ut lego tibi centum: 2. *Sub conditione*; ut lego tibi centum, ſi Rex venerit: 3. *In diem*; ut lego tibi centum ad Paſcham: 4. *Ex die*; ut lego tibi centum à Paſcha in antea: Ad differentiam ſcilicet heredis inſtitutionis, quæ dumtaxat purè, et ſub conditione fieri poteſt. Quot modis fiant.

Legare poſſunt omnes illi, qui teſtamentum facere queunt: Illiſque poteſt legari, qui heredes ſcribi, aut inſtitui poſſunt: unde ſequitur, quod nequit legari illis, qui heredes inſtitui non valent. (*c*) Qui legare poſſint: Et quibus legari.

Legari poſſunt: 1. *Res corporales, ſive mobiles, ſive immobiles*; ut aurum, argentum, domus, molendina &c.: 2. *Res incorporales*; ut liberationes, ſervitutes, debitorum nomina, et actiones; nam id, quod defuncto debetur, poteſt alicui legari hoc modo: *Centum, quæ mihi Sempronius debet, heres meus Caio dato*: (*d*) 3. *Res propria ipsius testatoris*; ut quando teſtator rem ſuam legat; v, g. *Lego Titio Domum meam*: 4. *Res legatarii usque ad quantitatem legati*; quia quem honoro, eumdem onerare poſſum, dummodo non ſit plus in onere, quam in honore; et valet legatum: Hoc intellige, quod teſtator poſſit rem legatarii alteri legare; ipſi autem legatario Quæ res poſſint legari.

(*a*) §. Heres 5. *Inſtit. de oblig. quæ quaſi ex contr. naſc.*
(*b*) *Inſt. de leg.* § 2. *et* 3.
(*c*) *Inſt. de leg.* § 24.
(*d*) *Inſt. de legat.* §. 26.

inutiliter res sua legatur; nam quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest: (*a*) 5. *Res heredis*; ut quando testator res heredis legat; v. g. *Titio domum heredis scripti lego*; et non interest, an testator sciverit, vel non, rem esse alienam, cum sit facilis heredi præstatio rei suæ, nec oneretur difficultate redimendi: (*b*) 6. *Res aliena*; ut quando testator, nec rem propriam, legatarii, nec heredis legat; quo casu, si testator sciebat, rem alienam esse, valet legatum, et debet heres illud præstare, aut illius æstimationem, si dominus rem vendere nequit justo pretio; nam æstimatio succedit loco rei: Sed si ignorabat, non valet legatum; quia quilibet censetur disponere de re sua, et præsumitur, quod non legasset, si tale sciviset: (*c*) 7. *Res, quæ tunc non est, sed esse speratur*, sicut sunt futuri fructus; nam inest conditio, si nascantur: (*d*) 8. *Liberatio debiti*; et valet legatum, nisi testator exegerit debitum; per exactionem enim legatum videtur esse ademptum, aut non exstare: (*e*) 9. *Dos uxori*; et valet legatum, etenim plenius est legatum dotis, quam actio de dote; nam statim à morte testatoris debetur; actione vero de dote, non statim; sed post tempus à lege præfixum: (*f*) 10. *Factum*; id est, quod heres fundum pro tanto pretio tibi vendat. (*g*)

Quæ res nequeant.

Legari autem non possunt omnes res, quæ prohibentur alienari, et in contractum deduci: Et si talis sit res, cujus commercium non est, veluti res Sacra, Reli-

(*a*) §. Sed si rem, 10. *Inst. de legatis. Leg.* 45. *et* 159. *ff. de reg. jur.*
(*b*) *Leg.* 67. §. 8. *ff. de legatis* 2.
(*c*) §. 4. *Inst. de legat.*
(*d*) §. 7. *Inst. de legat.*
(*e*) §. 12. *et* 13. *Inst. de legat.*
(*f*) §. 15. *Inst. de legat.*
(*g*) *Inst. de legat.* §. 21. *in fin. Leg.* 49. §. 8. *et* 9. *ff. de legat.* 1.

Religiosa, Sancta, liber homo &c., ea inutiliter legatur, ut ne quidem æstimatio debeatur, cum æstimatio iniri nequeat earum rerum, quæ pretio æstimari, ac vendi non possunt. (*a*)

Quot modis adimatur legatum.

Duobus modis adimitur legatum: 1. *Expresè*; ut quando testatator verbis contrariis, vel quibuscumque aliis legatum prius datum, totum, vel ejus partem rursus adimit: (*b*) 2. *Tacitè*; quando, non ex verbis, sed ex facto aliquo voluntas, et pœnitentia testatoris colligitur: Quod modis octo intelligi potest: 1. Inimicitiis interpositis inter testatorem, et legatarium, iisque capitalibus, et gravissimis; quia aufertur benefaciendi voluntas, nisi reconciliatio intervenerit: (*c*) 2. Formæ rei legatæ mutatione; quod evenit destructione, dissolutione, atque interitu corporis legati; dissoluta enim causa, dissolvuntur pariter omnes effectus, nisi probaretur, aliud testatorem sensisse (*d*) 3. Rei legatæ alienatione; quando testator nulla necessitate coactus, sed sponte illam alienaverit, seu vendiderit, aut eam alii donaverit; quia videtur legatum revocasse: (*e*) 4. Exactione debiti legati; quando testator exegerit á debitore nomen, quod alicui legaverat; nam præsumitur legatum ademisse: (*f*) 5. Præmoriente legatario; testator etenim personam legatarii solummodo respexit; non autem illius heredis: (*g*) 6. Legatarii repudiatione, licet postea repetat

(*a*) *Inst. de legat.* § 4.
(*b*) *Inst. de ademp. legat. in princ.*
(*c*) *Leg.* 3. § *fin ff. de adimen. legat.*
(*d*) § 16. *Inst. de legat.*
(*e*) § 12. *Inst. de legat.*
(*f*) § 21. *Inst. de legat.*
(*g*) *Inst. de legat* § 8. ibi: Vivo testatore &c. *Leg. un.* § 2. *cod. de cad. toll.*

petat; quia semel liberatus heres, amplius non debet trahi in obligationem: (*a*) 7. per consequutionem rei legatæ; quando ex aliqua causa lucrativa legatarius rem possidet; quia duæ lucrativæ causæ in eumdem hominem, et eamdem rem concurrere nequeunt: (*b*) 8. deficiente conditione, sub qua relictum fuerit legatum; nam in defectu conditionis cessat voluntas defuncti. (*c*)

NOTA. Si quis legatum fecerit alicui de re ejus propria, inutiliter legaverit; quia quod proprium alicujus est, amplius ejus fieri nequit, ut paulo ante dictum est; cum ex pluribus causis res nostra magis nostra fieri non possit. (*d*)

NOTA. Nec valet legatum, si debitor creditori suo, quod debet, legaverit, nisi plus sit in legato, quam in debito; quia nihil amplius per legatum habet. (*e*)

NOTA. Similiter nullum est legatum fundi, vel domus relictum ab eo, qui nullas ædes, nullum fundum relinquit; propter nimiam incertitudinem: neque enim sciri potest, de qua re testator cogitaverit.

NOTA. Nec etiam valet legatum dotis non receptæ, si simpliciter relinquitur, hoc est, certo tempore non expresso, aut summa hoc modo. *Dotem, quam ab uxore accepi, ei lego*; quia est sine re, et propter incertitudinem rei legatæ, voluntas exitum habére nequit, cum declarari non possit, quid, et quantum debeatur. (*f*)

NOTA. Silentio non est prætereundum, quod quando

(*a*) *Inst. de legat.* §. 8. ibi: Aut spreverit legatum.
(*b*) §. 6. *Inst. de legat.*
(*c*) *Leg. un.* §. 2. *cod. de cad. toll.*
(*d*) §. 10. *Inst. de legat.*
(*e*) §. 14. *Inst. de legat.*
(*f*) §. 15. *Inst. de legat.*

quando teſtator uxori ſuæ, vel creditori ſuo aliquam legat quantitatem; cenſetur, legatum in dotis, ſeu debiti compenſationem factum eſse; est enim dotis debitum voluntarium, niſi exprimatur, quod *ultra* relinquit: Et ſic explorari debet teſtatoris mens, ad lites, et controverſias vitandas. Super hoc vide *Canc.* et *Mantic.* (*a*)

NOTA. Quotiescumque alicui relinquitur uſuſfructus de univerſali hereditate, debet Notarius eſse cautus addere, quod comprehendat, nedum plenum, et integrum uſumfructum; verum etiam augmenta omnia ex ipſo reſultantia; quia dubitatur in jure, ſi augmenta talia tangunt ad uſufructuarium, ſeu ad heredem: Quam quæſtionem tangit, et breviter reſolvit *Cancer.* (*b*)

NOTA. Quilibet Clericus debet Epiſcopo ſuæ Diœceſis, ratione ſuperioritatis, legare aliquam quantitatem, qnæ loco canonicæ portionis ex conſuetudine ſucceſsit; ut docent *AA.* (*c*)

NOTA. In legatis, ſi non intelligitur id, quod legatum eſt, inutile erit legatum; quia, quæ in teſtamento ita ſcripta ſunt, ut intelligi non poſsint, cenſentur, ac ſi ſcripta non eſsent: (*d*) Unde ſequitur, quod inutile erit legatum, ſi quis, nulla quantitate adjecta, mihi leget, quod Titius ei debet, et revera non debet: Aut ſi quod ego Titio debeo, etiam, nulla quantitate adjecta, ei legavero; quia non apparet quantum fuerit legatum. (*e*)

NOTA. Munus Notarii, inter quamplurima, eſt ſecretè monére teſtatorem, quod ſi habet aliqua malè

(*a*) Canc. *par.* 1. *cap.* 9. *n.* 73. *& par.* 3. *cap.* 20. *n.* 309. *cum ſeqq.* Mantic. *de conjecturis ultim. volunt. lib.* 10. *tit.* 2. *n.* 12.
(*b*) Canc. *par.* 3. *cap.* 20 *n.* 124. *& ſeq.*
(*c*) Triſt. *dec.* 58. *n.* 12. Romag. *ad Sinod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 7. *c.* 5. *n.* 16.
(*d*) *Leg.* 73. *§.* 3. *ff. de reg. jur.*
(*e*) *Leg.* 75. *§.* 1. *de legatis* 1.

lè ablata, et injustè adquisita, ea restituat; nam, nedum consilium pro corpore nobis dare incumbit, verum etiam pro anima, ut æternè in pace requiescat: Sic similiter, si aliquid relinquere vult suis cognatis, affinibus, et uxori, (quorum recordatio á Notario justissimè fiet testatori) ac pauperibus, et Sanctis Hospitalibus, ubi omnes protectionem in infirmitatibus, et morbis consequimur: De quorum locorum privilegio, et juribus, nec non de legatis in favorem ipsorum relictis vide *ll.* 32. 33. §. 7. 35. 41. §. 6. 46. *et* 57. *cod. de Ep. et Cler. &c.*

DE FALCIDIA.

§. UNIC.

CUM per Legem falcidiam legata ex parte diminuantur, seu adimantur, si quis plusquam dodrantem omnium bonorum, hoc est, novem uncias totius hereditatis legasset; rectè de illa hic pauca dicenda sunt.

Falcidia quid sit.

FAlcidia est: *Quoddam auxilium, et subsidium concessum heredi, quando legata tres partes ex quatuor hereditatis excedunt.*

Quid per eam cavetur.

Cavétur per hanc legem, ut non plus legari liceat, quam dodrans omnium bonorum, id est, ut, sive unus heres sit institutus, sive plures, apud eum, eosvè pars quarta remaneat, hoc modo: Si 400. legasset testator, nec amplius esset in bonis: Tunc quarta

ta pars ſingulis legatis detrahi debet; ut cui 100. ſint legata, detrahuntur 25; ſi 40. 10., et ſic ſimiliter. (*a*)

Quid de hereditate prius deducendum.

Sedtamen prius deducenda ſunt de hereditate tria: 1. *Æs alienum*: 2; *Funeris impensa*: 3. *Servorum manumissorum pretia*; quia horum cauſa prior, et potior eſt; cum etiam bona non intelligantur; niſi deducto ære alieno, et eo, quod teſtator debeat heredi. (*b*)

Quando ceſſet falcidia.

In novem caſibus ceſsat falcidia, et nequit detrahi de legatis: 1. Quando teſtator *expressè* prohibet in teſtamento, quod non vult falcidiam detrahi: (*c*) Expreſsé, et *non tacitè*; nam tacita prohibitio non ſufficit, quia teſtator præſumitur errore ductus circa quantitatem hereditatis: 2. Quando legitima legatur filio; cum hæc non recipiat diminutionem, et prius detrahenda eſt, tanquam æs alienum: (*d*) 3. Quando dos legatur uxori; quia hæc jam erat aliundè debita et mulier rem ſuam recipere videtur: (*e*) 4. Quando legatur in teſtamento militis; (*f*) cujus ſola voluntas in diſponendo ſpectatur: 5. Quando libertas legatur: (*g*) Quia hæc pro parte competere non poteſt, neque diminui: 6. Quando ad pias cauſas legatur, jure noviſsimo, et detrahuntur legata pia, veluti æs alienum: (*h*) 7. Quando delictum heredis apparet: quia heres cancellavit legatum de teſtamento; videtur indignus dictæ legis beneficio: (*i*) 8. Quando heres non rité fecit inventarium, et tunc tenetur creditoribus, et

(*a*) *Inſt. de lege falcidia in princ.*
(*b*) *Inſt. de lege falcidia §. fin.*
(*c*) *Auth.* Sed cum teſtator, *cod. ad leg. falcid.*
(*d*) *Leg.* 54. *ff. ad leg. falcid.*
(*e*) *Leg.* 81. §. 1. *ff. ad leg. falcid.*
(*f*) *Leg.* 7. *cod. ad leg. falcid.*
(*g*) *Leg.* 34. *ff. ad leg. falcid.*
(*h*) *Auth. Similiter, cod. ad leg. falcid.*
(*i*) *Leg.* 59. *ff. ad leg. falcid.*

legatariis ultra vires hereditarias; quia ex præsumptione juris est, quod heres ocultaverit res hereditatis: (*a*) 9. Quando integra legata per heredem soluta sunt, nisi probaverit, se id per errorem fecisse, eumque facti pœniteat. (*b*)

NOTA. Lex falcidia etiam habet locum in fideicommissis particularibus. (*c*)

DE EXHEREDATIONE, ET PRÆTERITIONE.

TITULUS IV.

ANtequam ad titulum de Heredibus instituendis ingrediamur; hic oportet tractare de exheredatione, et præteritione, cum in praxi ante heredis institutionem fiat.

Exheredatio quid sit. EXheredatio est: *Exclusio ab hereditate, qua lege alicui competebat, testamento facta, ac ordinata.*

Exheredare. Exheredare est: *Eum, qui ad hereditatem nostram lege vocatur, ab eadem expressè excludere, et alienum facere.*

Quid præteritio. Præteritio est: *Cum liberi, neque instituti sunt heredes, neque* (ut oportet) *exheredati, quique in omnibus gradibus sunt omissi.* Præ-

(*a*) *Auth.* Sed cum testator, *cod. ad leg. falcid.*
(*b*) *Leg.* 9. *cod. ad leg. falcid.*
(*c*) *Constit.* Divi Pii, *leg.* 18. *ff. ad leg. falcid.*

Præterire est : *Neque admittere, nec excludere eum, qui ad hereditatem nostram, jure erat successurus; sed silentio omittere.* Præterire.

Circa exheredationem, et præteritionem nota, ea tantum dici, sive intelligi respectu hereditatis alicui à jure debitæ : Et ideo non dicitur, aliquem exheredare, seu præterire extraneum, sed solum filium, aut alium descendentem : Sive etiam è converso, filius, nepos, et alii dicuntur exheredare, sive præterire parentem, avum &c. Quia, videlicet hereditas patrum aliquo jure ad filios, et istorum ad suos parentes spectare dicitur. (*a*)

NOTA. De jure novissimo est (quidquid sit de jure antiquo, de quo, quia sublatum est, neque est multum á nobis curandum) omnes filios ; tam natos, quam posthumos ; tam mares, quam feminas ; tam primi, quam ulterioris gradus debere in testamento patris institui, aut nominatim exheredari ; adeo ut si sint præteriti, testamentum ipso jure sit nullum. Id expressè constituit Imperator JUSTINIANUS : (*b*) Sublata omni juris antiqui differentia : Sicut ea differentia jam etiam sublata erat jure prætorio, quo ad filios emancipatos : (*c*) In testamento autem matris, seu avi materni non debent filii, aut nepotes necessario instituí, sive exheredari ; nam si prætereantur, hoc est, si de eis nulla fiat mentio, habentur pro exheredatis. (*d*)

NOTA. Insuper ab eodem Imperatore JUSTINIANO: (*e*) constitutum est, non licere parentibus liberos exheredare, aut præterire, nisi probentur esse ingrati,

(*a*) *Leg.* 11 *ff. de liber. & posth. Leg.* 15. *ff. de inoff. testam.*
(*b*) §. 5. *Inst. de exhered. liber. leg. fin. cod. de liber. præterit.*
(*c*) §. 3. *Inst. de exhered. liber.*
(*d*) §. Mater 7. *Inst. de exhered. liber.*
(*e*) *Novell.* 115. *cap.* 3. *& Auth.* Non licet, *cod. de liber. præter.*

et causam ingratitudinis nominatim in ipso testamento exprimant. Causæ verò iugratitudinis sunt quatuordecim, quæ in eadem novella constitutione recensentur. (*a*)

NOTA. His consonat jus nostrum municipale; nam quodam usatico (*b*) cavétur, Patrem non posse filium exheredare, nisi exprimat aliquam justam causam; et aliter facta exheredatio est nulla. Præterea Pragmatica Civibus Barchinonæ concessa (*c*) cavétur, non obstanti vitio præteritionis, testamentum alias rite factum, sustineri: sed filiis remanet salvum jus petendi legitimam: Si non sunt justè præteriti, aut exheredati. (*d*)

NOTA. In tota Cathalonia testamentum, in quo pater de filiis mentionem fecit, eis relinquendo aliquid, tam jure institutionis, quam legati sustinetur; etsi non sufficiat ad legitimam: at filius agere potest ad illius supplementum. (*e*)

NOTA. Ad testamenta filiorum constitutum est à dicto Imperatore JUSTINIANO, (*f*) Filios non posse, nisi ex octo causis (quæ etiam in eadem constitutione enumerantur) Parentes suos exheredare. Et per constitutionem Cathaloniæ (*g*) cavetur, testamentum filiorum, sive nepotum non esse nullum, si pater, aut avus in eo sit præteritus: Sedtamen parentibus remanet jus petendi, et consequendi legi-

---

(*a*) *d. Novell.* 115. *cap.* 3.
(*b*) Usat Exheredare, *lib.* 6. *tit.* 3. *de fills, y pares preterits.*
(*c*) *Pragmat. incip.* Debita meditatione, *inserta in* 2. *volum. lib.* 6. *tit.* 1. *de testaments.*
(*d*) Canc. *var.* 1. *cap.* 4. *n.* 39.
(*e*) Canc. *var.* 1. *cap.* 3. *n.* 15. *lib.* 6. *const.* 2. *tit.* 2. *de Pupillars, y altres subsitucions, verf.* E sis vol.
(*f*) *d. Novell.* 115. *cap.* 4.
(*g*) *Constit. unic. d. tit. de fills, y pares preterits.*

legitimam, quæ ipsis competit in bonis filiorum, vel nepotum.

NOTA. Pro coronide: Quod quamvis olim testamentum ex defectu exheredationis, vel preteritionis corruebat, ac irritum erat; fuit autem correctum per Authenticam infrascriptam; (*a*) cujus vigore solum corruit, quo ad institutionem: Cætera autem in testamento scripta, libertates, scilicet, tutela, legata, fideicommissa, et his æqualia, remanent in suis viribus, ac robore. (*b*)

DE HEREDIBUS INSTITUENDIS.

TITULUS V.

CUM post legata, sequi debére institutionem, dictum maneat; hic merito spectat pertractare de Heredibus instituendis, simul cum aliis inde emergentibus.

QUapropter hereditas est: *Successio in universum jus, quod defunctus tempore mortis habuit.* (*c*) Hereditas quid sit.

Successio; scilicet ex testamento, vel ab intestato: Expositio.

(*a*) *Auth. ex caus. cod. de lib. præterit. et exhered.*
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 4. *n.* 52.
(*c*) *Leg.* 24. *ff. de verb. sig. Leg.* 62. *ff. de reg. jur.*

In universum jus; id est, universum patrimonium, et in omnibus bonis: *Quod habuit defunctus tempore mortis*; quia in hereditate solum tempus mortis consideratur: Sed si bona augentur post mortem testatoris, et ante aditam hereditatem; nihilominus ad ipsum heredem spectant, qui in locum testatoris subrogatur. (*a*)

Quotuplex hereditas.

Duplex est hereditas; *Testamentaria*, scilicet, et *Legitima*: (*b*) Hereditas *Testamentaria* est, quæ defertur, et adquiritur ex testamento, sive quæ ex testamento competit: *Legitima* verò, quæ ex lege, idest ab intestato. Et hi duo succedendi modi diversi sunt, nec ex testamento simul, et ab intestato succedere potest unus eidem.

Quomodo dividatur hereditas.

Hereditas, si est testamentaria, dividitur in tot partes, quot testator vult: si autem legitima, dividitur in duodecim uncias, quæ *assis* appellatione continentur. (*c*)

Asis divisio per uncias demonstrari solebat, habebatque apud Romanos propria nomina quibus ejus partes designabantur. Veluti *sextans* quod erat sexta pars: *Triens* quod erat tertia: *Quadrans* quod erat quarta: *Quincuns* quod comprehendebat uncias 5.: *Semis* 6.: *Septunx* 7.: *Bes* 8.: *Dodrans.* 9.: *Dextans* 10.: *Deunx* 11.

Quid sit heredem instituere

Heredem instituere est: *Aliquem post mortem suam in omnibus bonis æque Dominum constituere.*

Expositio

Aliquem; id est habilem, et idoneum: *Post mortem*, et non ante; quia tota vis testamenti, et ipsius effectus incipit á die mortis testatoris: (*d*) *Suam* et non alienam; nam si testator exprimeret: Volo, quod testa-

(*a*) *Inst. de hered. instit. §. 2.*
(*b*) *Inst. Per quas* pers. *§. fin.*
(*c*) *§.* Hereditas 5. *Inst. de hered. instit.*
(*d*) *§.* In extraneis 4. *Inst. de hered. qual. & different.*

teſtamentum habeat vires ſolum poſt mortem Titii, non valéret; quia exequutio tantum conferri poteſt poſt mortem alterius; non autem vis teſtamenti. Intellige tamen, quod talis inſtitutio heredis non valet, pro ut facta eſt: Valet tamen tamquam pura; detracta videlicet temporis, aut diei adjectione, quæ pro ſuper vacua, ſeu pro non adjecta habetur: (*a*) *In omnibus bonis suis*; et non in parte; quia ſi aliquis inſtitutus in bonorum parte eſset, et de reſiduo nihil ſit dictum, ille inſtitutus in parte totum habéret; quippé non debet quis pro parte teſtatus, et pro parte inteſtatus decedere: (*b*) *Æque Dominum constituere*; nam inſtitutus efficitur Dominus, et cenſetur, quod teſtator eum Dominum facit: Et ideo inſtitutus appellatur *heres* quaſi *Dominus*; veterés enim heredes pro Dominis appellabant: (*c*) Dicitur etiam pro herede ſe gerere, idem eſse; ac ſe gerere pro Domino; quod etiam colligi videtur ex lege infraſcripta. (*d*)

Heredis inſtitutio eſt: *Subrogatio in universum jus, quod mortis tempore testator habuit*; veluti: *Titius mihi heres esto.* Heredis inſtitutio quid ſit.

NOTA. Adeo neceſsaria eſt heredis inſtitutio, ut ſine ea omne in teſtamento ſcriptum nihil valeat; quæ quidem inſtitutio, ut caput, atque fundamentum totius teſtamenti intelligitur: (*e*) Imo ea ſola eſt pars ſubſtantialis teſtamenti, et cum ea ſola poteſt teſtamentum ſubſiſtere: Et ideo poteſt quis (ſi vult) teſtamentum facere tribus ſolum verbis; ſic: *Titius heres esto.* (*f*)

Inſti-

(*a*) §. 9. *Inſt. de hered. inſtit. Leg.* 34 *ff. eod. tit.*
(*b*) §. 5. *Inſt. de hered. inſtit. Leg.* 1. §. 4. *Leg.* 9. §. 13. *ff. eod. tit. Leg.* Jus noſtrum 7. *ff. de reg. jur.*
(*c*) §. Item 6. *Inſt. de hered. qual. & different.*
(*d*) *Leg.* 22. *ff. de adq. vel omit. hered.*
(*e*) §. Ante heredis 34. *Inſt. de legat.* §. 2. *Inſt. de fideicom. hered.*
(*f*) *Leg.* 1. §. 3. *ff. de hered. inſtit.*

Quibus verbis fiat.

Institutio fit; aut *verbis directis*: aut *verbis obliquis*. Fit *verbis directis*, hoc modo: *Titius mihi heres esto*; et ista verba sunt casus nostri; *obliquis* verò; ut: *Rogo Cayum hereditatem meam restituere*; de qua hic non agimus; nam potest fieri in codicillis. Quibus autem verbis institutio fiat, parum refert; modo per ea constet de testatoris voluntate, quæ sola in hac re est spectanda. (*a*)

Qui possint heredes instituí, & qui non.

Possunt heredes institui liberi homines, et servi, tam proprii, quam alieni; nempé, omnes illi, qui, aut testamentum facere possunt, aut capere ex testamento; et sic cum servo alieno testamenti factio est, si non ex sua Persona, quia non est Civis Romanus, saltem ex Persona, et capite Domini cui adquirit, quidquid adquirit; ideo institui potest. (*b*) Possunt plures hodie heredes institui, qui olim non poterant: Sedtamen nec hodie possunt heredes institui: 1. Qui sese incestuosis nuptiis polluerunt; et isti nec sobolem suam possunt heredem instituere: (*c*) 2. Liberi naturales, si soli sint, octo uncias, et si adsint legitimi, solum unam unciam ex patris testamento capere possunt; (*d*) 3. Hæretici, Apostatæ; et omnes, qui ortodoxi non sunt: (*e*) 4. Incerta persona olim quidem non poterat; nunc vero potest heres institui, et legatum capere: (*f*) 5. Idem dic de Civitatibus, et Collegiis, ut nunc qui-

---

(*a*) *Leg.* 15. *cod. de testam.*
(*b*) *Princ. tit. instit. de hered. instituend.*
(*c*) *Leg.* 6. *cod. de incest. nup.*
(*d*) *Auth.* Licet *cod. de natural. liber.*
(*e*) *Leg.* 3. *cod. de apost. leg.* 4. *cod. de Har. et* Mantich. *Novell.* 115. *c.* 3. *in fin.*
(*f*) §. 26. *et* 27 *Inst. de legatis.*

quidem posſint etiam heredes inſtitui : (*a*) Non ita ſi hæc Collegia coire non poſsint, ſive ſint illicita. (*b*)

Adverte, quod conjux non poteſt plus relinquere ſecundo conjugi, quam uni ex liberis prioris matrimonii, et quidem cui minimum reliquit. (*c*)

Quot modis fiat inſtitutio.

Fieri poteſt heredis inſtitutio octo modis : 1. *Pure*; ut: *Titius mihi heres esto*; et hoc modo ſtatim á morte teſtatoris defertur hereditas ; 2. *Sub conditione* ; veluti: Titius heres eſto, *Si navis ex Asia venerit* ; ſed ſi eſset impoſsibilis, turpis, vel inhoneſta conditio, non valèret; impoſsibilis enim conditio in inſtitutionibus, et legatis, nec non in fideicommiſsis, et libertatibus pro non ſcripta habetur, et ſublata conditione ; remanet pura inſtitutio, ac purum legatum, ad differentiam contractuum ; ita poſtulante favore ultimarum voluntatum: (*d*) 3. *Ad tempus incertum, vel ex incerto tempore* ; ut: Uxorem meam mihi heredem inſtituo, *quamdiu vixerit* ; *et ea mortua, Titium mihi heredem instituo*; non obſtanti §. 9. *Instit.* (*e*) Qui ſolum loquitur de die certo ; et quia dies incertus habetur pro conditione in teſtamentis: (*f*) 4. *Singulariter*; ut: Titium mihi heredem inſtituo *in illa Domo mea, vel in centum libris* ; et tunc pro herede ſimpliciter, ſive ex aſse inſtituto habetur, ſi ſolus ſit : (*g*) Si tamen ſint duo heredes inſtituti

(*a*) *Leg.* cum Senatus 20. *ff. de reb dub. leg.* 32. *in fin. leg.* 73. §. 1. *leg.* 117. *leg.* 122. *ff. de leg.* 1. *tot. tit. cod. de incert. pers. leg.* 12. *cod. de hered. inſtituen.*

(*b*) *Tit. ff. de Colleg. et corpor. illicit. dict. leg.* 20. *ff. de reb. dub. leg.* 8. *cod. de hered. inſtituen.*

(*c*) *Leg.* Hac edictali 6. *cod. de secund. nup.*

(*d*) §. 9. *et* 10. *inſt. de hered. inſtit.*

(*e*) *d.* §. 9. *inſt. de hered. inſtit.*

(*f*) *Leg.* 75. *ff. de cond. et dem.*

(*g*) *Leg.* 41. *in fine ff. de vulg. et pupill. ſubſt. leg.* 1. §. 4. *leg.* 9 §. 13. *ff. de hered. inſtituen.*

tuti, unus simpliciter, et alius in re certa; prior erit heres, et secundus rem illam certam, jure legati, consequetur: (*a*) 5. *Particulariter, sive in parte*; veluti: Caium mihi heredem instituo *in tertia, vel quarta parte bonorum*; et debet exprimi, quanta sit pars; alias de dimidia intelligeretur; quia appellatione partis indistincté prolatæ dimidia continetur; hoc intellige, cum plures heredes sunt instituti; nam si unus solus sit heres institutus ex parte; v. g. Ex triente, ex semisse &c., habetur pro simpliciter instituto: (*b*) 6. *Universaliter*; ut: Caium mihi heredem instituo *in omnibus bonis meis*: 7. *Pluraliter*; ideſt, quando plures instituuntur, partibus non expresis; et hi fiunt æqualiter heredes, omnesque pro una, et eadem persona habentur, et simul personam repræsentant defuncti, cum sint juris successores: 8. *In capita, et in stirpes*; veluti: Titium, et Caium filios meos *in capita*; et Seium, ac Sempronium nepotes meos *in stirpes* mihi *æqualiter* heredes instituo; *Ita ut tantum habeat quilibet filius, quantum ambo nepotes.*

NOTA. Supra dictum remanet, quod persona incerta regulariter instituí nequit, quia certum esse debet judicium, et consilium disponentis; exempli gratia: Si testator haberet duos nepotes, qui vocantur hoc nomine *Caius*; modo fecit testamentum, et dixit: *Caium nepotem meum mihi heredem instituo*; propter incertitudinem, de quo Caio loquitur, non valet institutio: Ex certis vero Personis aliqua incerta, veluti sub certa demonstratione rectè hodie instituitur; v. g. *Instituo filios meos, illum scilicet, vel illos, quem, seu quos uxor mea nominaverit in testamento, seu ultima voluntate.* (*c*) NO-

(*a*) *Leg.* 13. *cod. de hered. instit.*
(*b*) §. 5. *et.* 6. *instit. de hered. instituen.*
(*c*) §. 25. *instit. de legatis.*

NOTA. Institutio nequit pendere ex alieno arbitrio: (*a*) Quia judicium disponentis erga heredem non foret certum, nisi in casu proximo supradicto: Instituo filium meum, quem uxor mea nominaverit; nam tunc, non institutio, sed nominatio ex alieno arbitrio penderet, quod fieri potest, cum demonstratio sit certa.

NOTA. Conditiones potestativa, casualis, et mixta possunt apponi extraneis heredibus; suis autem apponi nequit (obstante jure communi) nisi potestativa, ne, si deficiat conditio, inveniatur præteritus: Sicque filius, aut debet institui sub conditione potestativa; aut, si instituatur sub casuali, debet sub contraria exheredari; sic enim numquam erit præteritus. (*b*)

NOTA. Si plures institutioni adjiciantur conditiones, et conjunctim adscriptæ sint; ut: *Si Navis ex Asia venerit, et Titius consul fuerit*; tunc omnibus parendum est, quia pro una omnes habentur: Si verò disjunctim, vel alternative; ut: *Si Navis venerit*: aut *Titius consul factus sit*; tunc sufficit alteram impléri ex mente adjicientis, quia altera contentus videtur; nam ubi verba conjuncta non sunt, satis est alterutrum esse factum: (*c*) Et Notarius debet magnoperè explorare testatoris voluntatem, propter multa præjudicia quæ sequi possunt.

NOTA. Exstat dictum, institutionem fieri posse ad tempus incertum, et ex incerto tempore; nam ex certo tempore; aut ad certum tempus nequit fieri; veluti: *Post quinquennium, quam moriar*, vel *ex calendis*

(*a*) *Leg.* 32. & 68. *ff. de hered. instit.*
(*b*) *Leg.* 4. 5. 6. & 80. *ff. de hered. instit. Leg.* 15. & *ult. ff. de cond. instit.*
(*c*) § 11. *Inst. de hered. instit.*

lendis illis, vel *usque ad calendas illas* heres esto: quia diem adjectum haberi pro supervacuo placet, et perinde est, ac si purè heres institutus esset; ne utile per inutile vitietur; vel alia civili ratione: quia nemo pro parte testatus, et pro parte intestatus decedere debet; ad differentiam verò si dies incertus sit adjectus, valet institutio; nam dies incertus conditionem in testamento facit; veluti, *Titius heres esto, cum uxorem duxerit.* (*a*)

NOTA. Conditio heredi apposita per testatorem, ut nullo unquam tempore possit aliquid de hereditate alienare, si simpliciter, et sine causa fiat, id est, quæ non respiciat favorem aliquarum Personarum, habetur pro non adjecta; quia talis prohibitio semper censetur ad alicujus commodum apposita, et sic, tanquam nuda prohibitio, non valet: sed si fiat ad tempus cum adjectione pœnæ; tunc, licet nuda, valebit, sicuti alia præcepta. Et ideo Notarius debet esse valde expertus; nimirum, si prohibitio sit temporalis, pœnam apponat: Si verò perpetua; caveat, ut fiat respectu aliquarum Personarum, vel rei ipsius favore. (*b*)

DE HEREDUM QUALITATE, ET DIFFERENTIA.

TITULUS VI.

Heres quid, et quotuplex sit.

HEres nihil aliud est, quam: *Successor in universum jus, quod defunctus habuit.* Heredes autem aut sunt *Necessarii*; aut *sui*; aut *extranei.*

(*a*) §. 9. *Inst de hered. instit.*

(*b*) *Leg.* 114 §. Divi 14. & 15. *ff. de legat.* 1. *Leg.* 38. §. 4. *Leg.* 93. *ff. de legat.* 3.

Necessarius heres est servus, si à Domino instituatur; per hanc enim institutionem, simul cum hereditate, etiam *ipso jure* consequitur libertatem: (*a*) Et propter inæstimabile beneficium libertatis statim à morte testatoris, et *ipso jure*, velit, aut nolit, protinus heres est; et ideo appellatur *necessarius*, quia videlicet necessé fit heres. Olim enim cum testatores timebant, ne bona sua sufficerent ad satisfaciendum creditoribus; et ideo ne bona sua deberent vendi (quod erat valde ignominiosum) solebant servum suum aliquem heredem facere; et hoc modo, cum postea bona vendebantur, non apparebat, tam vendi bona defuncti, quam servi, qui fuerat factus heres. Et ideo à Jure imposita erat necessitas talibus servis, ut etiam nolentes fierent heredes: 1. Ne testator decederet sine herede: et 2. Ne viderentur bona defuncti vendi. Sedtamen servus ex hac institutione consequebatur tria beneficia; nam: 1. Fiebat liber: 2. Ea, quæ post mortem Domini adquirebat, ipsi reservabantur: 3. Si bona defuncti non sufficerent ad satisfaciendum creditoribus, ea, quæ sibi adquisivisset, non debebant vendi. (*b*) Heres necessarius.

Sui heredes sunt liberi, qui in potestate parentis sunt, et tempore mortis primum locum obtinent in familia: Appellantur autem *sui*, qnasi domestici, et quodammodo, sui ipsius heredes; nam cum filii (adhuc vivente patre) videantur esse jam Domini, sive condomini bonorum patris; ideo, mortuo patre, non videntur successisse in bona alterius, sed in bona, quæ feré jam erant sua: Et ideo, non alterius, sed Sui heredes.

---

§. 1. *Instit. de hered. instituen.*

(*a*) § 1. *Instit. de hered. qualit. et diff.* et § 1. *Inst. qui, et ex quib. caus. man. non poss.*

(*b*)

ex se ipsis heredes sunt: (*a*) Isti autem, tam ex testamento, quam ab intestato heredes sunt, et fiunt, non voluntate sua, sed à lege, et ipso jure statim à morte patris, etiamsi nolint, et si sint furiosi, et sine consensu, etiamsi ignorent mortem patris: (*b*) Et ideo appellantur etiam *sui* *necessarii*: Quod tamen intéllige procedere de rigore Juris Civilis; Jure tamen Prætorio, et ex æquitate, ipsis conceditur, ut possint se abstinére ab herediate paterna: et sic in effectu desinere esse ipsius heredes. (*c*)

Extranei heredes.

Extranei heredes sunt cæteri omnes, qui testatoris juri subjecti non sunt, seu qui, nec sui sunt, nec necessarii. Isti dicuntur etiam heredes *voluntarii*, propterea quod tales sint, et fiant sua voluntate: Nam si volunt esse heredes, possunt adire; si nolunt, possunt repudiare hereditatem, pro ut ipsis benevisum fuerit. Quocirca in ipsis requiritur, ut tribus temporibus habeant testamenti factionem passivam, hoc est, quod possint ex testamento capere, seu capaces esse, ut sint heredes: 1. *Tempore conditi testamenti*; propter regulam catonianam, quæ præscribit: Quod inutile foret, si statim decederet testator, non valeat, etsi diutius vixerit: (*d*) 2. *Requiritur capacitas tempore mortis testatoris*; quia eo tempore hereditas cedit, defertur, seu potest adiri ab herede: Ideo eo tempore debet habère copiam, sive potestatem adeundi, seu debet posse heres esse: (*e*) 3. Requi-

---

(*a*) §. 2. *Inst. de hered. qual. et diff.* :: §. 2. *inst. de hered. quæ ab intest. defer.*

(*b*) §. 3. *Inst. de hered, quæ ab intest. defer.*

(*c*) *d.* §. 2. *in fin. de hered. qual. et diff. leg.* necessariis 57. *ff. de adq. vel omittend. hered.*

(*d*) *Leg.* 1. *et tot. tit. ff. de reg. caton. leg.* 41. §. 2. *ff. de leg.* 1.

(*e*) *Leg.* 52. *ff. de legat.* 2.

Requiritur capacitas tempore adeundæ, seu aditæ hereditatis. (*a*)

DE SUBSTITUTIONIBUS.

TITULUS VII.

Rectus ordo hic postulat tractare de substitutionibus, quæ apponuntur, ne testatores præter suam voluntatem intestati decedant; nam pro casu, quo institutus non possit, aut nolit heres esse, alium, vel alios substituere heredes solent in primi heredis defectum.

Subſtitutio eſt: *Secundi heredis institutio*; vel: *Designatio heredis in secundo, vel ulteriori gradu facta*: (*b*) Et gradus hic non ſignificat ordinem ſcripturæ, aut numerum Perſonarum, ſed ordinem ſucceſsionis. Subſtitutio quid ſit.

Duplex eſt ſubſtitutio; *directa* ſcilicet, et *fideicommissaria*. Subſtitutio *directa* eſt illa, quæ fit verbis directis, et civilibus directè, et immediatè ipſum ſubſtitutum reſpicientibus, per quam capit defuncti hereditatem, nullo mediante. *Fideicommissaria* eſt, quæ Quotuplex ſit.

(*a*) *Leg. 49. §. 1. ff. de hered. institu. et §§. 3. 4. et 6. inst. de hered. qual. et diff.*

(*b*) *Leg. 1. ff. de vulg. et pupill. subst.*

quæ fit verbis precariis, et obliquis, non immediatè ad ſubſtitutum directis; ſed mediante alia Perſona: De quibus occurrunt exempla *in tit. ff. et cod. de vulg. ſubstit.* paſsim, et alibi ſæpè.

Differentia verborum in ſubſtitutionibus.

Differentia verborum in ſubſtitutionibus triplex eſt: 1. Quædam ſunt directa, quæ ſui natura hoc important, ut ille, cui relinquitur, ſua manu, ac propria auctoritate, et abſque ullo miniſterio capiat: Et ſic verba directa ſunt imperativa, quæ alias civilia, et legitima dicuntur, quia talia ſunt, qualia legum civilium verba; veluti: *Heres esto*: *Dominus esto*: *do*: *lego*: *dato*: *facito*: et ſimilia: 2. Quædam fideicommiſsaria, ſeu obliqua, quæ ex ſe id exprimunt, ut is, cui relinquitur, per mediam perſonam, et alterius miniſterio accipiat: Et ſic verba obliqua ſunt verba præcativa, et vulgaria, bonamque, et idoneam ſententiam habentia; veluti: *Rogo*: *mando*: *volo*: *fidei tuæ committo*: *restituat*: *det*: *faciat &c.* 3. Quædam ſunt communia, quæ ad utramque ſignificationem trahi poſsunt; ſcilicet, ſi adjecta ſunt omnibus bonis, directa cenſentur; veluti: *Hereditatem meam Sempronius accipiat*; ſi autem rei certæ adjecta ſunt, fideicommiſsaria, ſeu obliqua judicantur; veluti: *Fundus meus ad Caium perveniat*; Quæ verba communia quamplurima enumerantur; nempè; *Relinquo*: *deputo*: *volo &c. Pervenire*: *pertinére*: *reverti*: *devolvi*: *deferri*: *succedat*: *capiat*: *revertatur. &c.* Pro ut explicat, et exempla ponit *Cancer.* (*a*)

NOTA. Omnis ſubſtitutio fieri poteſt, non ſolum in hereditate, quod eſt frequentius; ſed etiam in legato. (*b*)

NO-

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. *et ſeqq.*
(*b*) *Leg.* 50. *ff. de legat.* 2. *leg.* 6. *cod. de legatis.*

NOTA. Species ſubſtitutionum directarum quinque ſunt: 1. *Vulgaris*: 2. *Pupillaris*: 3. *Exemplaris*: 4. *Breviloqua, ſeu Reciproca*: 5. *Compendiosa.*

DE VULGARI SUBSTITUTIONE.

§. I.

Vulgaris ſubſtitutio illa eſt: *Quæ fit à quolibet de vulgo cuilibet de vulgo verbis negativis tacitè, vel expressè*: (*a*) Quæ etiam *ſimplex* appellatur. (*b*) Vulgaris ſubſtitutio

A quolibet de vulgo; nam quilibet teſtator poteſt eam facere: *Cuilibet de vulgo*; quia cuilibet heredi fieri poteſt: *verbis negativis*; etenim neceſsaria ſunt in ipſa verba negativa; nam hoc modo demonſtratur effectus ſubſtitutionis: *Tacite, vel expresse*; quippe fit duplici modo. Expoſitio.

Appellatur *vulgaris*, quia eſt modus vulgaris, et magis uſitatus ſubſtituendi. Vel quia vulgo, et promiſcué omnibus heredibus à quovis teſtatore fieri poteſt. Quare ſic appellatur

Duplex eſt vulgaris ſubſtitutio; *expressa* ſcilicet; et *tacita*. Vulgaris *expressa*; eſt illa, quæ fit verbis expreſsis nominatim in caſum vulgarem; vel illa, quæ fit per verba negativa expreſsa; veluti: Titius mihi heres eſto. *Si vero heres non erit, quia noluerit, ſeu quia non potuerit*; Caius heres eſto. Quotuplex ſit. Expreſsa.

Ipſa

(*a*) *Inſt. de vulg. ſubſt. in princ.*
(*b*) *Leg. 1. §. 1. ff. hoc. tit.*

Quot modis sumatur expressa.

Ipsa vulgaris expressa sumitur tribus modis: 1 *Generaliter*; quando ex verbis, et sic ex testatoris voluntate colligitur, cum verba hoc non dicunt; significare tamen videntur; veluti: Caium, et Seium filios meos mihi heredes instituo; *et eos ad invicem substituo*; qui modus substituendi potius ad breviloquam, sive reciprocam pertinet substitutionem, de qua statim suo loco agetur: 2. *Specialiter*; quando constituit propriam speciem vulgaris substitutionis expressè; veluti: *Si Titius heres non erit*; Caius heres esto: 3. *Singulariter*; quando unus casus substitutionis vulgaris singulariter exprimitur; ut: Titius heres esto; *Et si Titius heres non erit, quia noluerit*; Caius heres sit; alius verò casus; scilicet: *Vel quia non potuerit* subintelligitur; nam vulgaris in uno casu expressa, trahitur ad alium non expressum. (*a*)

Tacita.

Tacita verò vulgaris, sive subintellecta est: Illa, in qua verba negativa, vel in qua conditio substitutionis non exprimitur; sed intelligi, et continéri dicuntur sub expressa pupillari, vi, et potestate legis presumentis, talem fuisse voluntatem testatoris, veluti, substitutionem vulgarem expressam continére tacitam pupillarem; quia ex oratione Divi Marci, substituens in alterum casum solummodo, in utrumque substituisse intelligitur. (*b*)

Qui possit vulgariter substituere

Possunt substituere vulgariter illi, qui testamentum facere valent.

Quos.

Substitui possunt omnes, qui et heredes instituí, sive qui testamenti factionem cum testatore habent, nedum liberi homines, verum etiam servi, cum quibus ex persona Dominorum testamenti factio est. (*c*)

Item

(*a*) Gomez *var resol.* 1. *cap.* 3. *n.* 10.
(*b*) *Leg.* 4 *ff. de vulg. et pupill. subst.*
(*c*) *Inst. de vulg. subst. in princ.*

Item ſubſtitui ſimiliter poteſt omnibus cujuſcumque conditionis, et ætatis heredibus.

Effectus hujus ſubſtitutionis ſex enumerantur: 1. Quod deficiente herede inſtituto, vel quia non poteſt morte præventus, vel quia non vult adire hereditatem, aut alias irrita facta inſtitutione, fiat locus ſubſtituto, ut per eum voluntas defuncti ſuſtineatur, excluſo herede inſtituti, ad quem hereditas non adita non tranſmittitur, niſi caſibus in jure expreſsis: (*a*) 2. Quod ſubſtitutus in hoc caſu ſuccedat in bona teſtatoris, non autem inſtituti; quia non eſt heres inſtituti, ſed ſolum teſtatoris; ſecus eſt in ſubſtitutione pupillari: (*b*) 3. Quod vulgaris in uno caſu expreſsa, trahitur ad alium caſum non expreſsum; ut: *Si Titius heres non erit, quia noluerit*; intelligitur etiam *si non potuerit*: (*c*) 4. Quod per ſubſtitutionem vulgarem heres de ſuo, et neceſsario fit voluntarius, et poteſt judicio, et voluntate patris ſe abſtinére ab hereditate, et ſervus illam repudiare: (*d*) 5. Quod teſtamentum, ſi deſtituatur primo gradu, à ſecundo vires accipit, id eſt, ſuſtinetur per ſubſtitutum: (*e*) 6. Quod ſubſtitutio vulgaris expreſsa continet tacitam pupillarem, ſi pupillo fiat. (*f*) Effectus hujus ſubſtitutionis.

Quinque modis expirat vulgaris ſubſtitutio: 1. Adita per inſtitutum hereditate; nam ſubſtitutio vulgaris continet juris conditionem *Si heres non erit*, et per aditionem facit ceſsare teſtatoris voluntatem quo ad ſubſtitutionem: 2. Si ſubſtitutus præmoritur inſti- Quot modis expiret

(*a*) *ff. de vulg. et pupill. paſsim.*
(*b*) *Inſt. de pupill. ſubſt. in princ.*
(*c*) Gomez *contra alios. Var. 1. cap. 3. n. 10.* Perez *ad tit. cod. de impub. et al. ſubſt. n. 3.*
(*d*) *Leg.* Jam dubitari 86 *ff. de hered. inſtit.*
(*e*) *Leg. 43. §. 2. ff. de vulg. et pupill. ſubſt.*
(*f*) *Leg. 4. ff. de vulg. et pupill. leg. 4. cod. de impub. et aliis ſubſt.*

tuto, vel ante aditam hereditatem : 3. Si deficit conditio subſtitutioni appoſita, et ipſa deficit ſubſtitutio: 4. Repudiatione facta à ſubſtituto : 5. Eiſdem modis regulariter infirmari contingit ſubſtitutionem, quibus teſtamentum. (*a*)

DE PUPILLARI.

§. II.

Pupillaris ſubſtitutio.

PUpillaris ſubſtitutio eſt illa : *Quæ fit à Patre liberis ſuis impuberibus, quos in potestate habet institutis, vel exheredatis, verbis affirmativis tacitè, vel expressè.* (*b*)

Expoſitio.

Quæ fit à patre ; non autem ab alia perſona extranea ; nam dumtaxat aſcendentes hanc ſubſtitutionem facere poſſunt : *Liberis ſuis* ; non verò extraneis, vel emancipatis, quia non ſunt in poteſtate teſtatoris, et hoc ſolum conceſſum eſt patriæ poteſtati ; (*c*) *Impuberibus* ; nam moribus inſtitutum eſt, ut cum ejus ætatis filii ſint, in qua ipſi ſibi teſtamentum facere non poſſunt, parentes eis faciant : *Quos in potestate habent* ; hoc eſt, quos quis ita in poteſtate habet, ut poſt mortem remaneant ſui juris ; etenim ſi recaſuri eſſent in alterius poteſtatem, non valéret : *Institutis, vel exheredatis* ; quia expedit, quod illi, quibus fit iſta ſubſtitutio, ſint inſtituti, vel cum legitima cauſa exheredati ; alias non valéret, nam corrueret teſtamen-

(*a*) *Inſt. de vulg. ſubſt. § fin. leg. 5. cod. de impub. et al. ſubſt.*
(*b*) *Inſtit de pupill. ſubſtit. in princ.*
(*c*) *Leg. 2. ff. de vulg. et pupill. ſubſt. inſt. hoc tit. §. 9.*

tamentum patris, et per consequens pupillaris substitutio, cum sit quoddam accessorium: (a) *Verbis affirmativis*; sicut enim in vulgari sunt necessaria verba negativa; ita in pupillari affirmativa; quia hoc modo ipsius effectus demonstratur: *Tacitè, vel expressè*; quia etiam fit duplici modo.

Quare sic appelletur.

Appellatur *Pupillaris*, quia confertur in id tempus, quo filius impubes per mortem patris est pupillus; vel quia sit impuberi, qui aliquando etiam Pupillus dicitur. (b)

Quotuplex sit.

Duplex est Pupillaris substitutio; *expressa* scilicet; et *tacita*, sive subintellecta. *Expressa* est illa, quæ fit expressis verbis in casum dumtaxat pupillarem; vel quando apponuntur expresse verba affirmativa; ut: Titium mihi heredem instituo: *Et si ipse heres erit, et in pupillari ætate decesserit*; Caium substituo: Ex quo resultat, quod in *expressa* duo sunt necessaria, nempé: pupillare tempus, et verba affirmativa. (c)

Expressa.

Tacita.

Tacita verò Pupillaris, sive subintellecta est illa, in qua conditio substitutionis non exprimitur; sed tantum intelligi, et continéri dicitur sub expressa vulgari, vi, et potestate legis præsumentis, talem fuisse testatoris voluntatem; nam sicut expressa pupillaris continet tacitè vulgarem substitutionem; ita vice versa tacita pupillaris includitur in vulgari expressa, dummodo sit de liberis, impubes, et in potestate is, cui applicetur. (d)

Qui pots. pupillarit. substituere

Facere potest pupillarem substitutionem pater solummodo filios habens in potestate; quia hæc substitutio, ut prædicitur, est inventa jure patriæ potestatis.

(a) *Inst. hoc tit. §. 4. leg. 1. §. 2. ff. de vulg. et pupill.*
(b) *Leg. 239. ff. de verb. sign.*
(c) *Princ. tit. inst. de pupill. subst.*
(d) *Leg. 4. ff. de vulg. et pupill. subst.*

Quibus.

Fieri poteſt filiis impuberibus in patria poteſtate existentibus; quia nequeunt in tali ætate facere teſtamentum: Etiam non natis, ſive poſthumis (*a*)

Quæ requirantur ad hanc ſubſtitutionem faciendam.

Octo requiruntur ad hanc ſubſtitutionem faciendam: 1. Ut pupillus, cui fit, ſit de liberis teſtatoris, id eſt, legitimis, et naturalibus; 2. Quod ſit impubes; quia iſte teſtari nequit, ideo non rectè ſubſtitueretur puberi per pupillarem; nam in ea ætate eſt, ut poſsit ſibi ipſi teſtamentum condere: 3. Quod ſit in poteſtate teſtatoris, et non recaſurus in alterius poteſtatem. Hinc eſt, quod avus nepoti ex filio ſubſtituere nequit pupillariter, vivo adhuc patre: Sed ex vi conſtitutionis Cathaloniæ, licet filius ſit ſublatus à medio, nequit avus nepoti ſubſtituere pupillariter; quia per matrimonium, (ut in principio iſtius operis eſt dictum) extinguitur patria poteſtas, et conſequenter nepos non naſcitur; neque eſt in avi poteſtate: (*b*) 4. Quod pupillus, cui ſubſtituitur, talis ſit, quod poſt mortem teſtatoris ſui juris fiat: 5. Quod tempore mortis patris ſit in illius poteſtate; quia alias deficeret fundamentum; pupillaris enim ſubſtitutio hoc tanquam pro qualitate requirit: 6. Quod pater ſibi ipſi faciat teſtamentum, deinde pupillo; nam pupillare teſtamentum, pars, et ſequela eſt teſtamenti paterni; ita ut ſi principale deficit, nec pupillare ſubſiſtat; cum enim principalis cauſa non conſiſtat, nec ea, quæ ſequuntur, locum habent: (*c*) 7. Quod pupillus, cui ſubſtituitur, ſit à patre, vel inſtitutus, vel exheredatus: 8. Quod ex teſtamento patris hereditas adeatur, cum, hereditate non

(*a*) *Inſt. hoc tit. § 4.*
(*b*) *Leg. 27. ff. de adop. inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv. §. pen.*
(*c*) *Inſt. hoc tit. §. 5. leg. 178. ff. de reg. jur.*

non adita, nihil valeat, quod in testamento scriptum est. (a)

Effectus hujus substitutionis varii sunt; nam, aut est pupillaris expressa; aut tacita. Si est *Expressa*, triplicem habet effectum: 1. Quod institutus admittitur ad omnia bona testatoris, et ad omnia bona pupilli, sicut si iste testari potuisset, et substitutum in omnibus bonis suis instituisset: (b) 2. Quod excluditur mater pupilli, ita quod, nec querela ei sit salva, cum hic testetur, non tam filius, quam pater, qui omittendo uxorem, pupilli matrem, nihil facit contra officium pietatis; nec non excluditur frater, et quilibet ab inteſtato ad bona pupilli venientes: (c) 3. Quod pupillaris expressa tacitè continet in se vulgarem substitutionem: (d) *Si verò est tacita* comprehensa in vulgari expressa, habet effectum, quod non valet ad excludendam matrem, licet substitutus sit pupilli frater; cum ea oriatur ex præsumptione, quæ in benigniorem partem capienda est: Quæ est magis communis, et recepta opinio (e) Ejus effectus.

Finitur, seu expirat pupillaris substitutio septem modis: 1. Pubertate adveniente; sive substitutio sit tacita, sive expressa; scilicet, masculis quatuordecim, feminis verò duodecim annos complentibus; quia cessat causa, propter quam est introducta, nempè, quia cum impubes, ut dictum est, ob ejus ætatem, sibi ipsi testamentum facere nequeat, facit illud pater utilitatis ipsius pupilli causa: (f) 2. Si is, cui Quot modis expiret.

(a) *Inst. de pupill. subs. per tot. et leg. 2. ff. de vulg. et pupill. substit.*
(b) *Leg. 10. §. 5. ff. de vulg. et pupill. substit.*
(c) *Leg. 8. §. 5. ff. de inoff testam. cap. 1. de testam. lib. 6.*
(d) *Leg. 4. ff. de vulg. et pupill. substit.*
(e) Canc. *var. 1. cap. 1. n. 19.*
(f) *§. 8. Inst. de pupill. substit.*

cui subſtituitur, mortis tempore non fuerit in familia, ſive poteſtate teſtatoris; nam deficit fundamentum, patriæ, videlicet, poteſtatis: (*a*) 3. Non adita hereditate, aut ſublato teſtamento; corruente enim principali, corruit acceſsorium: 4. Deficiente conditione ſubſtitutioni appoſita; quia actus habetur pro non facto: (*b*) 5. Capitis diminutione pupilli maxima, media, vel minima; nam mutatur ſtatus: (*c*) 6. Si malitia ſupplente, pupillus habet prolem; quia deficit finis pupillaris: 7. Si ſubſtitutio ſit facta ad minus tempus, quam pupillare, id eſt, quando teſtator minus tempus pupillo præfixerit, et ſubſtituerit; veluti, ſi intra decennium deceſserit; nam quod juris eſt in toto, quo ad totum, idem juris eſt in parte quo ad partem. (*d*)

Differentia inter vulgarem, et pupillarem.

Differentia inter vulgarem, et pupillarem ſubſtitutiones quadruplex eſt: 1. Quia vulgaris fieri poteſt à quolibet teſtatore, et cuilibet heredi; pupillaris verò á ſolis parentibus generis maſculini, et ſubſtitui dumtaxat liberis impuberibus in poteſtate exiſtentibus: 2. Quippé vulgaris competit Jure communi; Pupillaris autem jure ſingulari: Et licet ſit contra communes juris regulas, quod unus pro alio teſtetur; tamen hoc introductum fuit vi patriæ poteſtatis, et propter ætatem, in qua pupilli ſibi nequeunt teſtamentum condere, ut tunc parentes pro eis teſtamentum faciant: (*e*) 3. Nam per vulgarem ſubſtitutus fit heres patris, nempè, in caſu quo filius non exſtiterit heres, pater providet ſibi de herede: Per pupillarem autem, in caſu, ſcilicet, quo filius exſtiterit heres, et in

(*a*) *Leg.* 41. §. 2. *ff. de vulg. et pupill. ſubſt.*
(*b*) *Leg.* 1. §. 2. *ff. de vulg. et pupill. leg.* 2. §. 1. *leg.* 10. §. 4. *ff. eod. tit.*
(*c*) §. 5. *Inſt. de pupill ſubſt.*
(*d*) *Leg.* 21. *et* 43. §. 1. *ff. de vulg. et pupill. ſubſt.*
(*e*) *Princ. tit. inſt. de pupill. ſubſt.*

in pupillari ætate deceſserit, ſubſtitutus ipſi filio ſit heres; nec non capit bona utriuſque, videlicet, patris, et filii, tanquam una, et indiviſibilis perſona: (a) 4. Quia in vulgari una tantum eſt hereditas, et unum teſtamentum: in pupillari ſunt duæ hereditates, et duo teſtamenta; nimirum, unum Patris, quod principale appellatur, et aliud filii, ſive pupillare. (b)

NOTA. Pupillaris ſubstitutio per Patrem Militem ſuis filiis facta expirat decimo quarto anno, non obstanti, quod in Cathalonia pupillaris ætas eorum duret uſque ad viginti annos; ut habetnr in uſatico infraſcripto: (c) Quia concurrit eadem ratio, tam in militibus, quam in aliis: Nam ſicut pupillaris ſubstitutio istis expirat in ætate quatuordecim annorum, cum ceſset ratio introductionis; ſic ſimiliter dicendum eſt in militibus; quoniam in ipſa ætate quatuordecim annorum poſsunt ſibi ipſi teſtamentum condere, licet per dictum uſaticum in militibus pupillaris ætas duret uſque ad viginti annos; quia quod introductum eſt in eorum favorem, non debet eis eſse damnoſum. (d)

NOTA. In Cathalonia Pater Filio Impuberi pupillariter ſubſtituere nequit in bonis proventis ex linea materna, alium, quam unum ex his, qui conjuncti ſunt dicto pupillo ex parte Matris uſque ad quartum gradum: (e) Sed ſi Pupillus habet alia bona, quam materna; tunc bené ſubſtituere poteſt, quem velit; quia dicta conſtitutio dumtaxat loquitur de bonis Matris Impuberis; et ſic extendi non debet; cum jura municipalia debeant intelligi in propria ſignificatione.

NO-

(a) *Leg. 16. §. 5. ff de vulg. et pupill. ſubſt.*
(b) *§. 2. Inſt. de pupill. ſubſt.*
(c) *Uſat* tutores. *tit. de tudors.*
(d) Canc. *var. 1. cap. 7. n. 10., et ſeqq.*
(e) *Lib. 6. tit. 2. de pupill., y altras ſubſtitucions. conſtit. 3.*

NOTA. Etiam in Cathalonia, si pupillus decedat ab inteſtato, vel ſubſtitutus pupillaris prædecedat, bona dicti pupilli inteſtati, quæ ad eum pervenerunt ex linea materna, pertinent ad proximiores dicto pupillo ex parte Matris, uſque ad quartum gradum, (juxta ordinem Juris Romanorum) ſervata parenti ſuperſtiti legitima. (*a*) Necnon bona ipſius pupilli, quæ ad eum pervenerunt ex linea paterna, similiter pertinent ad proximiores dicti pupilli ex parte Patris, ſervata legitima matri ſuperstiti; quia juxta dict. conſtit. attenditur origo bonorum: Unde dici ſolet, et profluit adagium: *Paterna paternis: Materna maternis.*

NOTA. Pupillaris ſubſtitutio, ut dictum eſt, fieri poteſt Poſthumo, ſive prægnatui; ſubſtitutio enim hæc in favorem pupillorum introducta eſt: Unde, et ad poſthumos, qui in iſtis caſibus pro natis habentur extenditur; et tunc ſubſtitutus ſuccedit pupillariter nato poſthumo, et ſi non naſcitur, ſuccedit per vulgarem tacitam. (*b*)

NOTA. Licet mulier obtineat reſcriptum, ſive privilegium ad habendum filios in poteſtate; tamen nequit illis ſubſtituere pupillariter, cum privilegium ſit ſtrictæ interpretationis; ad differentiam beneficii, quod eſt ampliandum. (*c*) Et ſic, cum mulier ſolum habeat privilegium habendi filios in poteſtate, non debet extendi ad facultatem pro illis teſtandi, cum lex ſolum concedat hoc patri, qui filios habet in poteſtate, et non Matri: Poteſt quidem Mater filio ſuo impu-

---

(*a*) *Conſtit.* 2. Los Impubers *d. tit. de pupillars. &c.*

(*b*) §. 4. *in fin. inſt. de pupill. ſubſt. leg.* 2. *ff. de vulg. et pupill. leg.* 46. *eod. leg. ult. cod. de inſt. et ſubſt.*

(*c*) *Arg. leg.* 43. *ff. de vulg et pupill.*

Impuberi ſubſtituere ; tamen non *pupillariter* ; ſed *vulgariter*. (*a*)

NOTA. In Cathalonia verba communia in pupillari ſubſtitutione habentur pro directis. (*b*) Citata ergo conſtit. *los Impubers* cavet, patrem ſubſtituentem filio pupillariter verbis communibus, perinde haberi, ac ſi loqueretur verbis directis ; quod ad multa utile eſt filiis : de quibus *Canc.* (*c*)

DE EXEMPLARI.

§. III.

EXemplaris ſubſtitutio illa eſt : *Quæ fit à Parente utriuſque ſexus liberis adultis, vel majoribus, inſtitutis, vel exheredatis, furioſis, vel mentecaptis, certis Perſonis ſuo loco ſubſtitutis.* (*d*) Exemplaris ſubſtitutio.

Quæ fit â parente utriusque ſexus ; quia nedum pater, verum etiam et mater, ac quilibet de aſcendentibus poteſt hanc ſubſtitutionem facere, ratione humanitatis ; ad differentiam pupillaris, quæ fit poteſtatis jure : *liberis* ; non veró *extraneis* ; quia ſolum liberis fieri poteſt : *adultis, vel majoribus* ; non autem Impuberibus in patria poteſtate conſtitutis, quia tunc eis pupillariter provideri debet ; potius enim ætati, quam dementiæ conſulendum eſt. Alii tamen contrarium ſentiunt, quod etiam poteſt fieri exemplaris pupillo, et ſi intra pupillare tempus decedat, Expoſitio

(*a*) *Leg.* 33. *ff. de vulg. et pupill. ſubſt.*
(*b*) *d. Conſtit.* Los Impubers.
(*c*) Canc. *var.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. *cum ſeqq.*
(*d*) *De hac ſubſtit. agit.* Juſtin. *in* §. 1. *inſt. de pupill. ſubſt.*

censetur pupillaris, et post ætatem pupillarem manebit exemplaris; quod magis placet, sic etenim in omnem casum cautum est filio, tam scilicet cum Impubes, quam cum demens decedit: (*a*) *institutis, vel exheredatis*; quia omnino institui, vel exheredari cum causa legitima debent: alias non valeret; quia testamentum corrueret propter præteritionem, secundum Jus commune: *furiosis, vel mentecaptis*; nam ratione furoris, vel dementiæ fit ista substitutio: *certis personis suo loco substitutis*; nam prius debent substitui liberi furiosi, aut fratres illius, si quos habet, ut magis proximiores, et his deficientibus extranei. (*b*)

Quare sic appelletur.

Appellatur *exemplaris*; quia fit ad exemplum pupillaris, nam sicuti Pater per pupillarem providet pupillo de herede; ita et per exemplarem furioso.

Ejus forma

Hujus substitutionis formula talis est: Caium filium meum furiosum, vel mentecaptum mihi heredem instituo: *Et si decesserit antequam mente sanus fiat*; Sempronius sit heres.

Qui eam facere possint.

Exemplarem facere possunt parentes utriusque sexus, scilicet, Pater, et Mater, ac quilibet de ascendentibus per lineam, tam masculinam, quam femineam.

NOTA. Olim Pater, qui volebat filio suo puberi mentecapto substituere, debebat hoc specialiter à Principe impetrare: (*c*) Sed Imperator Justinianus omnibus Parentibus idem privilegium concessit. (*d*)

Quibus fieri possit.

Fieri potest liberis adultis, vel majoribus præcipué: Potest fieri etiam Impuberibus, ut dictum est; furio-

---

(*a*) Gomez *var.* 1. *cap.* 6. *n.* 8.
(*b*) §. 1. *Inst. de pupill. subst. et leg.* 9. *cod. de impub. et al. subst.*
(*c*) *Leg.* 43. *ff. de vulg. et pupill. subst.*
(*d*) *Leg.* 9. *cod. de impub. et al. subst.*

furiosis tamen, et mentecaptis, seu et mutis, et surdis simul incapacibus testandi.

Quæ ad eam requirantur.

Ad hanc substitutionem requiruntur sex: 1. Quod, qui eam facit, sit de parentibus: 2. Quod ille, cui fit, sit de liberis: 3. Quod adultus, vel major, aut impubes sit, furiosus tamen, aut mentecaptus, vel mutus, et surdus simul: 4. Quod illam faciens sibi prius testetur; est enim exemplaris pars, et sequela testamenti Patris, aut Matris: 5. Quod substituantur prius liberi; deinde fratres, si quos habet; postremò extranei: 6. Quod is, cui fit, instituatur, vel exheredetur, ne sit occasio, ut testamentum deficiat. Requiritur etiam, quod is, cui fit ista substitutio, talis sit, ut si non haberet ætatis, aut mentis defectum, posset heredem in testamento facere; Ideo nepoti, qui recasurus est in potestatem Patris, non potest talis substitutio fieri, sicut nec pupillaris. Hæc omnia expressa sunt, et continentur *in leg. 9. cod. de Impub. et al. substit.* Unde dessumptus est §. 1 *Inst. de Pupill subst.*

Ejus effectus.

Effectus hujus substitutionis duo sunt: 1. Quod bona Patris, et Filii ad substitutum perveniunt, sicut in pupillari, Matre exclusa à sua legitima, cum hic non filius ipse, sed parens pro eo testetur: (*a*) 2. Quod in exemplari vulgaris tacita continetur; nam si furiosus in furore decesserit, non erit heres, quia non poterit.

Quot modis finiatur.

Tribus modis finitur, seu expirat exemplaris substitutio: 1. Adveniente sanitate; nam cessat causa, per quam exemplaris introducta est: 2. Si Testamentum deficeret, et non valeret, propter causas *in tit. 1. de testamentis* expresas: (*b*) 3. Si ille cui substituitur

(*a*) *Arg. leg. 8. § 5. ff. de inoff. testam. et cap. 1. in fin. de test. in 6.*
(*b*) *§. 5. instit. de pup. subst.*

exemplariter, liberos habuerit, et de eis non fuerit facta mentio; prima enim causa liberorum est. (*a*)

In quibus conveniat eum pupillari.

Conveniunt pupillaris, et exemplaris in tribus: 1. quia sicut parentibus permissum est facere pupillarem, ita et licet facere exemplarem: 2. Nam ambæ, pupillaris scilicet, et exemplaris eumdem efectum habent: 3. Quia sicut pupillaris in testamento fit, similiter exemplaris.

In quibus differat.

In sex verò differunt: 1. Quia pupillaris Impuberi fit; exemplaris vero puberi: 2. Quia pupillaris fit homini sanæ mentis; exemplaris autem furioso, aut dementi, vel muto, et surdo simul: 3. Quia pupillaris potestatis jure à patre dumtaxat fit; exemplaris autem à patre, vel matre, si non transierint ad secunda vota, ratione humanitatis: Hanc tamen limitationem veram non putat *Gomez*: (*b*) 4. Quia per pupillarem substituitur extraneus; per exemplarem verò non, nisi deficientibus liberis furiosi, filiusque fratribus: 5. Quia in pupillari exheredatio fieri potest filio; in exemplari verò non: Contrarium tamen defendit acriter *Vinnius*: (*c*) Nam ante furorem delictum commitere potuit Filius: 6. Quia pupillaris pubertate extinguitur; exemplaris autem recepta sanitate, et nativitate sui heredis.

NOTA. Pater naturalis tantum nequit exemplariter substituere filium, cum ei de bonis patris non debeatur legitima: Mater verò bene potest filio naturali suo substituere per exemplarem; quia debetur ei de bonis matris legitima. (*d*)

DE

(*a*) *Leg. 9. cod. de Impub. et al. subst.*
(*b*) Gomez *var. 1. cap. 6. n. 9.*
(*c*) Vinnius *in Comm. ad §. 1. Inst. de pupill. subst. n. 7.*
(*d*) Perez *in cod. tit. de Impub. et al subst. n. 37. in fin.*

DE BREVILOQUA, SEU RECIPROCA.

§. IV.

Breviloqua seu Reciproca quid sit.

BReviloqua, seu Reciproca subſtitutio eſt: *Illa, quæ comprehendere valet plures ſubſtitutiones invicem, in Perſonis plurium heredum, ſecundum eorum qualitatem.*

NOTA. Hæc non tam eſt nova ſpecies subſtitutionis, quam diverſus subſtituendi modus.

Quomodo fiat.

Fit autem hæc subſtitutio cum teſtator pluribus heredibus inſtitutis, poſtea clausulam addit: *eosque invicem ſubſtituo.*

Qui eam facere poſsit; ipſiusque forma.

Poteſt tamen eam facere quilibet teſtator hoc modo: Caium, et Titium mihi heredes inſtituo: *eosque invicem ſubſtituo.*

Ejus effectus.

Effectus hujus subſtitutionis eſt: ut heredes scripti cenſeantur subſtituti, unus, videlicet, alteri, eo genere subſtitutionis, quæ cadere poteſt inter ipsos.

Quare ſic appelletur.

Appellatur *Breviloqua*, quia brevibus verbis comprehendit, aut saltem eſt apta ad comprehendendum plures, imó omnes alias subſtitutionum species: Melius tamen appellatur *Reciproca*, quia per eam heredes mutuo, vicissim, sive reciproce sunt subſtituti. (a)

DE

(a) *Leg. 4. §. 1. ff. de vulg. et pupill. subſt.* Gomez *var. 1. cap. 8. inſt. de vulg. subſt. §. 1. leg. 37. §. 1 ff. de hered inſtituend.*

DE COMPENDIOSA.

§. V.

Compendiosa quid sit.

COmpendiosa illa est: *Quæ multas complectitur substitutiones, ac tempora.*

NOTA. Hæc etiam, sicut dictum est de Breviloqua, sic Reciproca, non est nova, nec diversa substitutionis species; sed tantum alius modus substituendi.

Quare sic apelletur.

Dicitur *Compendiosa*, quia revera talis est; nam uno compendio, hoc est, sermone brevi, et paucis verbis, alias, et interdum omnes substitutionum species comprehendit.

Differentia inter breviloquam, et compendiosam.

Differentia inter Breviloquam, et Compendiosam est: quia in illa heredes instituti, invicem substituuntur, hoc est, unus alteri, aut plures pluribus: in ista verò hoc necesse non est; sed fit ad hunc finem, ut institutus in omni eventu substitutum habeat: cum enim testator vult dare substitutum heredi instituto, et cavere, quod substitutionis conditio non deficiat, dat ei substitutum pro omni eventu, hoc est per vulgarem, pupillarem, et fideicommissariam substitutiones. Verum quia ad exprimendum has omnes species substitutionum multa verba necessaria sunt; ideo Testatores uti solent verbis compendiosis, nempe, talibus, quæ omnes species comprehendant, uno, aut paucis verbis: et cum Testatores hoc faciunt, dicuntur facere substitutionem *compendiosam*, id est, uno verbo, et compendio omnes substitutiones facere, seu dare substitutum in omni eventu.

Qui possit hâc facere.

Facere potest hanc substitutionem, seu modum, ac formam substituendi quilibet testator in suo testamento, cum differentia tamen, quod si non est Pa-

ter,

ter, non poterit talis subſtitutio comprehendere pupillarem; nam compendiosa, ut dictum eſt, dumtaxat comprehendit illas species, quæ, attenta conditione teſtantis, et heredis, possunt in eos cadere.

Eſt tamen animadvertendum: quod subſtitutiones comprehensæ in compendiosa non dicuntur *tacitæ*, sed *expressæ*; quia non sunt ex sola præsumpta voluntate, veluti cum dicitur, in vulgari expressa contineri tacitam pupillarem, et é contra; sed dicuntur, ac sunt comprehensæ, saltem generaliter in ipsis verbis teſtatoris: et ideo, licet per subſtitutionem pupillarem tacitam comprehensam in vulgari expressa mater à legitima non excludatur; manet tamen exclusa per pupillarem, quæ in compendiosa continetur.

Compendiosa quomodo fiat.

Fit autem hæc subſtitutio, aut cum teſtator utitur verbo significante omnes subſtitutiones; v. g. Titium heredem facio; *eique Caium substituo*: aut cum utitur verbo, per quod designantur ætates, et tempora omnium subſtitutionum, quod plerumque fit per verbum *quandocumque*, vulgó *quant que quant*; hoc modo: Titius heres eſto; *et eo quandocumque decedente*; Sempronius heres eſto: *aut* hereditatem suam poſt mortem reſtituat; *vel* heredem faciat: *seu* hereditatem accipiat; et sic similiter.

Ejus effectus.

Effectus hujus subſtitutionis eſt: quod subſtitutus venit ex vulgari, si evenit conditio, quod inſtitutus heres non sit: venit ex pupillari, si institutus heres fuerit, et intra pupillarem ætatem decesserit: et venit per fideicommissariam poſt mortem heredis inſtituti. In summa venit subſtitutus, ex ea, seu vi illius substitutionis, quæ verificatur: (*a*) Intellige tamen, quod

(*a*) *Leg.* Centurio 15. *ff. de vulg. et pupill. leg.* Precibus *cod. de Impub. et aliis subſtit.* Gomez *var.* 1. *cap.* 7. Canc. *var.* 1. *cap.* 1. *n.* 12. *et ſeqq.*

quod in gravamine de restituendo alteri hereditatem post mortem apposito alicui ex descendentibus, inest tacita conditio, si filios non habuerit; itaquod si filios reliquerit tempore mortis, non tenet, quamvis substitutus sit alter ex dictis descendentibus. (*a*)

NOTA. Notarii horum temporum, unice innixi suis formulariis, in quæ tanquam in verba magistri jurare videntur, concipere solent substitutiones omnes, exprimendo singulos eorum casus, adeo minutatim, ut in substitutione vulgari exprimant separatim casum noluntatis, et impotentiæ (quod certe non est necesse): insuper addunt pupillarem: et postremo fideicommissariam, apposito etiam verbo *quandocumque*, sive, *quant que quant*; et quidem id ipsum verbis plané, et idem repetentes in unoquoque gradu substitutionum: quod quam supervacaneum, imo tædiosum sit, homo non videt. Forsan id omitterent, minusque essent fastidiosi, si probe callerent naturam substitutionum, ut supra est exposita: et certe paucioribus verbis, minusque dubiis idem efficerent, quod nunc prolixa illa casuum enumeratione ad nauseam usque scriptum est, posse quemlibet tribus verbis testari: *Titius heres esto*: et totidem securam substitutionem facere: *Eique Sempronium substituo.* (*b*)

DE

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 2. *n.* 81. *et* 82.
(*b*) *Leg.* 1. §. 3. *ff. de hered. instit.*

DE FIDEICOMMISSIS, ET SUBSTITUTIONE FIDEICOMmissaria.

TITULUS VIII.

POst substitutiones directas, et earum species, ac diversas formas, sequitur, ut agamus de substitutione obliqua, sive Fideicommissaria.

Fideicommissum.

FIdeicommissum est: *Liberalitas, quæ verbis precariis, vel alio quocumque judicio ultimæ voluntatis, ministerio alterius commissa in aliquem confertur*; Veluti, quando quis directò heres instituitur, et ipse verbis precariis à defuncto rogatur, ut hereditatem, vel ejus partem transferat in tertium, id est fideicommissarium.

Quotuplex sit.

Duplex est fideicommissum; *Universale*, scilicet, et *Singulare*; sive *Speciale*. Fideicommissum *Universale* est, quando testator heredem suum rogat, vel ei mandat, ut hereditatem suam totam, vel ejus partem alteri restituat; quæ hoc loco vocatur fideicommissaria hereditas: (*a*) *Singulare* verò est, quando quis rem aliquam singularem alteri restituere rogatur; v. g. hunc vel illum fundum; hanc vel illam domum; summam istam, vel illam, &c. (*b*)

Ejus origo.

Olim multæ Personæ non poterant heredes instituí; et si testator volebat eis hereditatem relinquere, cum

(*a*) *Tot tit. inst. de fideicom. hered.*
(*b*) *Princ. tit. inst. de sing. reb. per fideicom. relic.*

non posset *directè*, id faciebat *obliquè*, hoc modo; videlicet, nominando heredem alium, qui esset capax, et rogando eum, ut hereditatem daret illi, qui non poterat heres instituì: Et quia ille, qui rogatus erat, non cogebatur à Jure id facere, sed à fide ejus hoc pendebat; ideo hic modus relinquendi, et heredes instituendi appellatus fuit *fideicommissum*. Postea *Divus Augustus* cœpit dare interdum fideicommissis vim obligandi: qualem habent nunc etiam, retento *fideicommissi* nomine: (*a*) Et ideo hæc substitutio appellatur *obliqua*, quia fideicommissarius non accipit hereditatem directé à testatore, sed obliquè per manus heredis.

Formula. Hujus substitutionis formula talis est: *Titium mihi heredem instituo; et rogo ipsum, ut hereditatem meam Caio restituat.* (*b*)

Qui illud apponere possint. Fideicommissum apponere possunt omnes illi, quibus testamentum, aut codicillos condere permissum est.

Quibus. Eis apponi potest, qui testamenti factionem habent, idest, qui capere ex testamento possunt, sive heredes instituì: Ab incapaci enim tacita interposita fide Fiscus vindicat.

Quid opus est, ut valeat. Ad hoc, ut fideicommissum valeat, requiritur, quod, si in testamento apponitur, aliquis recto jure heres instituatur, et ejus fidei committatur, ut hereditatem alii restituat; alias inutile est testamentum, in quo nemo est institutus; cum institutio caput, et fundamentum sit totius testamenti: E contra, si in codicillis, cum in illis non fiat institutio heredis. (*c*)

Effec-

(*a*) §. 1. *Inst. de fideicom. hered.*
(*b*) *Vid. similem in* §. 2. *inst. de fideicom. hered.*
(*c*) §. 2. *Inst. de fideicom. hered.*

Effectus fideicommissariæ subſtitutionis duo sunt: 1. Quod in fideicommissaria nunquam continetur vulgaris, nisi expressa sit; fruſtra enim esset provisa subſtitutio; cum fideicommiſsarius ad aditionem inſtitutum cogere valeat: (*a*) 2. Quod heres inſtitutus, et de reſtituendo gravatus, detrahit quartam trebellianicam, ne inutiliter heredis nomen gerat, et si filius teſtatoris eſt, detrahit, ultra quartam, suam legitimam, de Jure, et equitate Canonica, scilicet, iſtam jure naturæ sibi debitam, et illam ex Senatusconsulto Trebelliano. (*b*) Ejus effectus.

Tribus vero modis expirat: 1. Si fideicommissarius præmoritur teſtatori: 2. Si teſtamentum deficit, seu rumpitur: 3. Deficiente conditione apposita; nam actus habetur pro non facto. Quot modis expiret.

NOTA. Fideicommissum fieri poteſt ex certo tempore: ad differentiam heredis inſtitutionis: Ratio diversitatis eſt; quia ex inſtitutione heredis ad certum tempus, vel ex certo tempore facta, sequéretur, quod quis decedere poſset pro parte teſtatus, et pro parte inteſtatus; in fideicommissario verò hoc non sequeretur, cum non sit heres; sed heredis obtineat locum. (*c*)

NOTA. Fideicommissum fit, nedum in teſtamento; verum etiam in codicillis adhuc teſtamento non confirmatis. (*d*)

(*a*) *Leg. 2. §. 2. ff. de vulg. et pupill.*
(*b*) *§. 4. et ſeqq. inſt. de fideicom. hered. cap.* Rainutius *de teſtam.*
(*c*) *Inſt. de fideicom. hered. §. 2. in fin.*
(*d*) *Inſt. de codicill. §. 1. et 2.*

DE QUARTA TREBELLIANICA, ET LEGITIMA.

§. UNIC.

CUM quilibet heres gravatus de hereditate alteri restituenda, institutionis jure, quartam, et legitimam (si sit testatoris liber) detrahere possit; de illis nonnulla dicere opus erit.

Quarta trebellianica quid sit.

QUarta Trebellianica est: *Quædam portio, quæ conceditur per Senatusconsultum trebellianum cuilibet heredi gravato de tota hereditate restituenda.*

Quid concedatur per trebellianicam.

Conceditur per Senatusconsultum Trebellianum, quod heres gravatus de restituenda hereditate, ne inutiliter tale nomen gesserit, possit detrahere quartam de fideicommisso universali, ideſt, de tota hereditate restituenda, prout hodie de consuetudine servatur: Quæ quarta est verè quarta pars totius hereditatis restituendæ; videlicet, ex duodecim unciis, tres, factis detractionibus; de quibus mox. (a)

Quid de hereditate prius deducendum.

Etenim ex toto cumulo hereditatis, sive ex illis duodecim unciis detrahitur: 1. Legitima (si est detrahenda); et hæc est quarta pars, sive tres unciæ: 2. Æs alienum, hoc est totum id, quod testator debet: 3. Impensæ funeris, et ultimæ infirmitatis, quæ sunt instar æris alieni. Et factis istis detractionibus, ex eo, quod supereſt, detrahitur quarta pars, quæ manet penes heredem pro Trebellianica: et, quod supe-

(a) §. 4. *Cum. seqq. instit. de fideicom. hered.*

supereſt, reſtituitur fideicommiſsario, seu illi, cui rogatus eſt heres á testatore hereditatem reſtituere. (a)

Cessat trebellianica quatuor in casibus: 1. Quando teſtator expressè dicit in teſtamento, quod non vult trebellianicam detrahi; etiamsi inſtituti sint liberi primi gradus; nam per conſtitutionem Cathaloniæ: (b) statutum eſt, licère patribus prohibère filiis trebellianicam per verba expressa: 2. Quando heres non conficit inventarium; quod locum habet, nedum in extranéis, verum etiam in filiis, cum militet eadem ratio, et sic idem jus eſt ſtatuendum, et á fortiori jure, cum liberi duas quartas detrahere possint; quod expressé cautum eſt per aliam conſtitutionem. (c) Et pro heredibus extraneis non conficientibus inventarium eſt conſtitutio Cathaloniæ alia: (d) 3. Quando delictum aliquod heredis patet: 4. Quando pia causa succedit directo. (e)

Quãdo cesset quarta trebellianica.

Eſt tamen advertendum: Quod minor dictum inventarium non conficiens, habet reſtitutionem in integrum. (f)

NOTA. Si heres gravatus hereditatem reſtituere, non detraxit trebellianicam, hoc eſt, cum totam hereditatem reſtituit, et hoc fecit favore fideicommissarii; tunc fideicommissarius detrahit quartam: Et idem evenit, quoties heres eſt inſtitutus contemplatione fideicommissarii; alias heres transmittit ad here-

(a) §. Cum autem *Inſt. de leg. falc. leg.* Et sine ſcriptura. 5. *Cod. ad S. C. trebell. leg.* Impenſa 18. *ff. de relig. et sump. funer. leg.* 8 §. Quarta 9. *ff. de inoff. teſt. glos. in cap.* Rainutius *de teſt.* Canc. *var.* 1. *cap.* 2. *n.* 22.

(b) *Conſtit.* 27. *curiar an.* 1599.

(c) *Conſt.* 28. *dict. cur. an.* 1599.

(d) *Conſt.* 1. *tit. de inventari fahedor lib.* 6. *tit.* 7.

(e) Canc. *var.* 1. *cap.* 2. *n.* 12.

(f) Canc. *var.* 1. *cap.* 2. *n.* 6.

heredes etiam extraneos jus, quod habet detrahendi suam quartam. (*a*)

NOTA. Quando fideicommissum est purum; tunc non detrahitur, nisi una quarta pars, et cum vis testamenti convertitur per clausulam codicillarem in causam codicillorum; et sic filius solum habet facultatem detrahendi, aut trebellianicam, aut legitimam; et ei sæpè utilius est detrahere trebellianicam: nam in legitimam imputatur inter vivos habita, veluti, dotes, et donata; sed si est conditionale, duas quartas detrahere potest. (*b*)

Legitima quid sit.

Legitima est: *Portio illa, quæ Jure competit in hereditate ascendentium, aut descendentium*

Quare sic appelletur.

Vocatur *legitima*; quia, quamvis non relinquatur, tamén á jure, sive á lege debetur, filiis nimirum, et descendentibus, jure naturæ: Parentibus verò, et ascendentibus jure positivo.

Portio legitimæ quanta sit.

Hæc portio de Jure communi est diversa, pro diversitate, et numero eorum, quibus debetur. (*c*) Jure verò speciali Cathaloniæ (*d*) Legitima, tam ascendentium, quam descendentium, nullo filiorum numero considerato, semper est quarta pars hereditatis; quæ æquis partibus inter eos dividitur.

Legitima quando, et quomodo debeatur, et quæ prius deducenda sunt.

Legitima non debetur, nisi post mortem Patris: Et cum de ea solvenda agitur, inspiciendum est, quæ bona erant, seu exstabant tempore mortis; de quibus detrahitur prius æs alienum, et funeris impensæ: et ex reliquo, quod supereſt, detrahitur legitima. Verum si bona augeantur, seu minuantur post mortem patris, antequam legitima solvatur,

---

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 2. *n.* 29. *cum seqq.*
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 2. *n.* 26., *et* 141.
(*c*) *Anth.* Novissima *cod. de inoff. testam. leg.* Pater 14. *ff. eod. tit. et ib. Gloss.* Barth. *et DD.*
(*d*) *Const. fin. lib.* 6. *tit.* 5. *de legitim.*

tur, hæc regula tenenda est: *Quo ad quantitatem attenditur tempus mortis: Quod ad qualitatem, seu valorem inspicitur tempus solutionis*; v. g. Cum Pater mortuus est, erat in hereditate unum predium, quod postea augetur in valore, adeo ut cum valéret tempore mortis 100., postea valet 200., solvetur legitima ex 200., quæ cum sit quarta pars, erunt 50., quæ dividentur æqualiter inter omnes filios. (*a*)

NOTA. Pater non tenetur relinquere filio legitimam titulo institutionis: etsi per legatum eam relinquat, valet testamentum: Si verò legatum non sufficiat ad complementum legitimæ, potest filius petere supplementum. (*b*)

NOTA. De legitima non soluta, imo et etiam de ejus supplemento, debentur fructus à die mortis patris. (*c*)

NOTA. A Jure Cathaloniæ heres habet electionem solvendi legitimam in pecunia numerata, vel in rebus hereditariis. (*d*)

NOTA. Quod donatur filio in Capitulis Matrimonialibus, computatur pro legitima, etiamsi dictum non sit; nam alias magna inæqualitas inter filios induceretur, contra concilium legis, quæ suadet, et consulit, ut parentes æqualitatem inter filios servent: Sed si donatum non sufficeret ad integram legitimam, tunc filius agere potest ad supplementum, nisi renun-

---

(*a*) *Leg.* Cum quæritur *6. cod. de inoff. test. ll. 11. 30. et 73. ff. ad leg. falcid. §, 3. et. 4. inst. eod.* Canc *var. 1. cap. 3. per tot.*

(*b*) *Lib. 6. tit. 2. de pupillars, y altras substitucions constit. 2*

(*c*) Canc. *vat. 1. cap. 3. n. 53.*

(*d*) *Dict. Const. fin. tit de legitima.*

nuntiasset cum juramento; nam juramentum habet vim expressi. (*a*)

NOTA. Si Pater apponit gravamen filio instituto, ut non possit detrahere quartam ei competentem jure institutionis, et legitimam jure naturæ; et filius est heres institutus, et adit hereditatem; Videtur tacitè renuntiasse, et tale gravamen approbasse. (*b*)

DE TUTORIBUS.

TITULUS IX.

CUM in praxi post Clausulam universalem institutionis soleat per Parentes filiis suis, qui in pupillari ætate, et potestate ipsorum inveniuntur, de Tutoribus provideri; nonnulla de istis hic pertractare oportet.

Tutela quid sit,

EST igitur tutela: *Vis, ac potestas in capite libero ad tuendum eum; qui per ætatem se ipsum defendere nequit, Jure Civili data, ac permissa.* (*c*)

Expositio

Vis, ac potestas; quæ duo verba pro eodem, hic, et frequenter in Jure accipiuntur: Significant vero facultatem, aut jus pro auctoritate quid faciendi, aut sta-

(*a*) Canc. *var.* 2. *cap.* 8. *n.* 48.
(*b*) Canc. *par.* 1. *cap.* 3. *n.* 34. *cum seqq.*, *et par.* 3. *cap.* 2. *n.* 202. *et seqq.*
(*c*) §. 1. *Instit. de tutelis.*

ſtatuendi, tum in perſona pupilli, tum in rerum pupillarium adminiſtratione: *in capite libero*, ſcilicet, in homine libero; nam cum tutela ſit munus Civile, ſolum homines liberi, et Cives Romani erant ipſius capaces: *Ad tuendum eum, qui per ætatem se ipsum defendere nequit*; quæ verba indicant officium tutoris, quod eſt tuéri primario personam, et in consequentiam etiam bona pupilli, qui ob ætatem hæc ipse non poteſt commode agere: *Jure Civili data, ac permissa*; hoc eſt, Jure Civili introducta.

Quotuplex ſit.

Triplex eſt tutela: 1. *Testamentaria*: 2. *Legitima*: 3. *Dativa*; desumpta à triplici causa efficiente; teſtatore, ſcilicet, lege, ac Judice.

Quid tutela teſtamentaria.

Tutela teſtamentaria eſt: Quæ per parentes liberis suis impuberibus in poteſtate exiſtentibus datur in teſtamento, vel codicillis, aut in qualibet ultima voluntate, de Jure Cathaloniæ; et iſta primum sibi vindicat locum.

Tutéla ad quid fuit introducta, et undè originem habeat.

Verba illa definitionis tutelæ: *ad tuendum eum &c.* satis indicant tutélam inductam esse in favorem pupillorum: Ipsis enim eſt utile posse contrahere: et insuper expedit, ne facilitate sua lædantur: et ideo datus ipsis eſt tutor. Eſt autem tutéla à Jure Civili, non *mero*, sed *mixto*, hoc eſt, cum originem habeat á Jure naturali, formam tamen, et determinationem accepit à Jure Civili; sicut patria poteſtas, nuptiæ, teſtamenta, et alia. (*a*)

Tutor quid ſit.

Tutor eſt: *Ille, qui eam vim, ac potestatem habet, ex qua ipsa res nomen accepit*; vocatúrque tutor, quasi *tuitor*, aut *defensor*. (*b*)

Qui tutores teſtaméto dare poſsint, et quibus,

Paucis verbis hoc declarat Imperator Justinianus;

(*a*) Vinn. *in comm. ſup. Inſt.* §. 1. *de jur. nat. Gent. et civil. n.* 2. *et ſup.* §. 6. *inſt. de Attil. tut.*

(*b*) §. 2. *Inſtit. de tutélis.*

cum ait: *Permissum est itaque parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutores dare.*(a) Itaque, qui dat tutorem, debet esse parens: Is cui datur, debet esse impubes, et in potestate: et debet dari in testamento. Receptum tamen est, ut possit pater dare tutorem posthumo: (b) Potest etiam dare filio emancipato; idque facere potest codicillis testamento confirmatis; talisque datio tutoris sustinetur à Magistratu, qui tutorem datum à patre confirmabit, sine inquisitione, hoc est, quin inquirat in mores tutoris, nec exigat ab eo cautionem, sive satisdationem, pro ut facit in tutoribus dativis. (c) Jure peculiari Cathaloniæ (d) Pater filio tutorem dare potest testamento, codicillis, aut quavis ultima voluntate, quin opus sit Judicis confirmatione; per quam corrigitur dispositio Juris Civilis; *de qua in leg. 2. eod. de confirm. tut.*

Qui dari possint.

Possunt dari tutores testamento: 1. Nedum pater familias; sed etiam filius familias; quia in publicis causis, qualis est tutéla, filiusfamilias habetur pro patre familias; nec attenditur hic patria potestas, (e) quod procedit, si est major viginti quinque annorum: minor enim tutor esse non potest; (f) Jure verò Cathaloniæ (*non obstantibus constit. 1. et 2. de menors de 25. anys*) filius familias in legitima ætate constitutus tutor esse potest: (g) 2. Servus proprius quidem, tam cum libertate, quam sine; quia sine libertate tutor datus,

(a) §. 3. *Inst. de tutelis.*
(b) §. 4. *Inst. de tutelis.*
(c) §. 5. *Inst. de tutelis. leg. 1. §. 2. leg. 3. leg. 6. ff. de confirm. tut. leg. 3 ff. de test. tut.*
(d) *Lib. 5. tit. 4. de tudors constit. 1.*
(e) *Princ. tit. inst. qui test. tut. dari pos. leg. 7. ff. de tutel. leg. 9. ff. de his qui sunt sui, vel al. juris.*
(f) §. 2. *Inst. qui test. tut. dari pos. et §. 13. inst. de excus. tutor.*
(g) Canc. *var. 2. cap. 1. n. 160. cum 2. seqq.*

datus, tacitè libertatem directam accepisse videtur, sine qua nemo tutelam, aut aliud officium publicum exercere potest: (*a*) 3. Licet tutela sit virile munus, et publicum, et ideo de Jure tutrices esse non possint feminæ; (*b*) matri tamen, et aviæ, donec ad secundas nuptias non transeant, et dummodo renuntient beneficio Velleiani, permittitur, ut tutrices esse possint. (*c*)

Qui nequeant.

Dari verò nequeunt: 1. *Femina*; nisi sit, ut est dictum, mater, vel avia: 2. *Servus alienus*; nisi subintellecta conditione: *cum liber erit*; quia in eum nullum jus habet testator: (*d*) 3. *Minor*, ut dictum est supra: 4. *Debitor*, *aut creditor pupilli* tutor olim esse poterat; (*e*) Jure verò novo tutores esse non possunt, nisi debitum sit exiguum; aut testator id non ignoraverit: (*f*) 5. *Cæcus*, qui potest se excusare á suscipienda tutela; susceptam autem potest continuare: (*g*) 6. Generaliter tutores dari non possunt, quicumque rebus suis commodè superesse non possunt. (*h*) Permissum tamen est, eos tutores testamento dare, cum majores, aut sanæ mentis respectivè facti fuerint. (*i*)

Quæ eorum munera.

Officium tutoris testamentarii est: 1. Petere administrationem bonorum sibi decerni per Judicem; sed hoc cessat, si à principio legitimè datus est, vel sit à Patre datus, et non egeat confirmatione:

(*a*) §. 1 *Instit. qui test. tut. dari poss.*
(*b*) *Inst. de legitima patronor. tut. leg.* 16. *et* 18 *ff. de tutel. leg.* 2. *ff. de reg. jur.*
(*c*) *Tot. tit. cod. quando mulier tut. offic.*
(*d*) §. 1. *Inst. qui testam. tutor. dari poss. leg.* 7. *cod. qui dar. tut.*
(*e*) *Leg.* 8 *cod. qui dare tutor, leg.* 7. *cod. de excus. tutor.*
(*f*) *Auth.* Minoris *cod. qui dare tut.* Canc. *var.* 1. *cap.* 7. *n.* 49.
(*g*) *Leg.* 40. *ff. de excus. tut. leg.* 16. *ff. de auth. tut.*
(*h*) *Leg. un. cod. qui morb. se excus.*
(*i*) §. 2. *Inst. qui testam. tut. dari poss.*

2. Tenetur facere inventarium de bonis pupilli, vel pupillorum; alias, ut suspectus, removéri posset: 3. Jurare in posse Ordinarii utilia facere, et inutilia prætermittere: (*a*) 4. Suo loco, et tempore, ideſt, finita tutéla, fideliter reddere computum, et rationem administrationis suæ. (*b*)

NOTA. Licet mater non possit filiis tutorem testamento dare, quia eos non habet in potestate; datus tamen ab ipsa, confirmatur à Judice, si filii sint heredes instituti; quod procedit etiam in aliis, qui tutores velint dare extraneis, quasi tunc, non tam personæ, quam bonis dedisse tutores intelligantur: (*c*) Potest insuper mater, et etiam extraneus nominare filiis administratorem, sive gubernatorem bonorum, quæ ipsis reliquit; ut ex multis docet *Cancer.* (*d*)

NOTA. Testamento tutor dari potest, non solum puré, sed etiam sub conditione: imo etiam ex certo tempore, et usque ad certum tempus, (*e*) medio autem tempore, sive interim, alius tutor à Magistratu dandus est. (*f*)

DE

(*a*) *Dict. const. 1. de tudors.*
(*b*) *§. 7. Inst. de Attil. tut. tot tit. ff. et cod. de adm. tutor.* Canc. *var. 1. cap. 7. à n. 83.*
(*c*) *Leg. 4. ff. de test. tut. leg. 2. et 5. ff. de confirmat. tut.*
(*d*) Canc. *var. 1. cap. 7. n. 4.*
(*e*) *§. 3. Inst. qui testam. tut. dari poss §. 2. et. 5. inst. quib. mod. tut fin. leg. 8. § 1. et 2. ff. de test. tut.*
(*f*) *Leg. 11. ff. de testam. tut.*

DE LEGITIMA AGNATORUM TUTELA.

§. I.

Si nullus Testamento datus sit Tutor; aut Tutor testamento datus, vivo Testatore, decesserit, seu alias *ipso jure* desinat esse Tutor; cautum est, ut sint Tutores Agnati, seu illi, qui ad successionem Impuberis vocantur ratione proximitatis, et appellantur *Tutores legitimi*, quia tales fiunt, non facto hominis, aut voluntate Testatoris, sed à lege. (a) Quando locum habeat legitima agnatorum tutela.

Apud nos vix ullus est usus tutelæ legitimæ; et deficiente Tutore testamentario, datur Pupillo Tutor à Judice, qui propterea *Tutor dativus* appellatur, de quo mox: Hoc intellecto tamen, quod si adsint Agnati, sive proximiores, qui velint esse Tutores, et alias sint capaces, potius istis, quam extraneis Judex tutelam Impuberis decernit. Ideo videamus *de tutela dativa*. Quid de ea apud nos.

DE TUTELA DATIVA.

§. II.

Tutela dativa est: *Quæ à Judice, vel Magistratu datur, testamentaria, vel legitima Tutela deficientibus.* Quid tutela dativa.

Tuto-

(a) *Tit. inst. de legitima agnator. tutela cum seqq.*

Tutores dativi à quibus dētur, et quibus.

Tutores dativos assignare possunt omnes Magistratus, et Judices Ordinarii ex speciali legis permissione: eis, scilicet, pupillis, quibus non est provisum de Tutore testamentario, vel legitimo, et debent esse in potestate Judicis Ordinarii providentis sibi de Tutore.

Qui esse possint.

Tutores dativi esse possunt omnes illi, qui non prohibentur à lege.

Officium tutoris dativi.

Officium Tutoris dativi est: 1. Quod administrationem sibi datam accipiat à Judice: 2. Quod Inventarium conficiat, alias ut suspectus removetur: 3. Quod juret utilia pupillo facere, et inutilia prætermittere: 4. Quod reddat rationem administrationis suæ, finita tutela: 5. Quod debeat cautionem præstare.

Quot modis tutela finiatur.

Novem modis tutela finitur: 1. *Morte*, tam Tutoris, quam Pupilli; quia omnia jura personalia, qualis est tutela, cum persona solvuntur: 2. *Adveniente pubertate*, nempè, si masculus sit quatuordecim annorum; si vero femina duodecim; quia in tali ætate usum rationis habere incipiunt, et de rebus suis disponere valent, ac personam suam regere; quapropter alieno arbitrio subjacere non debent: Sed in Cathalonia non procedit in filiis militum, quorum pupillaris ætas durat usque ad viginti annos: (*a*) 3. *Adrogatione*; quia adrogatus transit in familiam, et potestatem adrogantis, et nequit quis esse in tutela, et patria potestate, cum tutela cadat in caput liberum: 4. *Deportatione*; si tutor propter delictum commissum in Insulam deportetur; quia tutela est Juris Civilis, et ideo nequit esse alibi, quam in capite libero, et Cive Romano: 5. *Servitute*; quia tutela, non servorum, sed liberorum hominum est propria: 6. *Captivitate*; quia captus ab hostibus, dum non revertitur, liberum caput non habet: 7. *Even-*

(*a*) *Usat.* Tutores, *tit. de tudors.*

Eventu, seu existentia conditionis, vel temporis; nam tutela conditionalis, lapsu temporis, vel conditionis eventu finitur: 8. *Capitis diminutione*; Intellige, quod in pupillo etiam minima perimit omnem tutelam, eo quod illum facit alieni juris, transferendo pupillum per adrogationem in potestatem adrogantis; sed in tutore solum maxima, et media capitis diminutio perimit tutelam: 9. *Si tutor removetur à Judice*, ut suspectus, vel excusatur ex justis causis. (*a*)

Excusatio est: *Legitimæ causæ allegatio justa, qua quis à Tutela liberari intendit.* Excusatio quid sit.

Causæ excusationum sexdecim sunt: 1. *Numerus liberorum*; hoc est, trium Romæ; quatuor in Italia; et in Provinciis quinque liberorum superstitum, cum æquum non sit, patrem opem extraneis impendere, et suos relinquere: (*b*) Hodie tamen excusatur, non solum à tutela, sed etiam ab aliis oneribus, atque muneribus, non quidem patrimonialibus, sed personalibus, Pater duodecim filiorum: (*c*) 2. *Administratio rerum Fisci*; quamdiu quis res Fisci administrat; quia Procurator Fisci (qui Thesaurarius vocatur) munus gerit personale, et publicum, nec æqum est, ut ab ejus sollicitudine, ac vigilantia per tutelam avocetur: Huc pertinent, et referri possunt etiam, qui rem privatam Principis administrant: (*d*) Exactores tributorum: (*e*) Coloni patrimoniales, ceterique, quibus Princeps curam alicujus rei injunxit: (*f*) 3. *Absentia Reipublicæ causa*, quæ excusat in favorem Reipublicæ, cujus utilitas impediretur per Ejus causæ.

munus

(*a*) *Tit. inst. quib. mod. tutela finitur per tot.*
(*b*) *Tit. cod. qui num. liber. se excus.*
(*c*) *Leg. 24. cod. de Decurion. lib. 10. leg. 5. §. 2. ff. de jure immunit.*
(*d*) *Leg. 41. ff. de excusat.*
(*e*) *Leg. 10. cod. de excusat.*
(*f*) *Leg. 13. cod. qui dare tutor. leg. 22. et 30 ff. de excusat.*

munus tutelæ: (a) 4. *Potestas conjuncta cum Dignitate*; quia majorem honorem gerunt ea condecorati: 5. *Lis tutoris cum pupillo*, quæ sit de omnibus bonis; alias non excusat: Hodie tamen sufficit quælibet lis; quia debitor, aut creditor Tutor esse non potest, ut supra notatum est. 6. *Numerus tutelarum*; quia tutor non posset commodè exercére munus suum; si videlicet habeat quis tria onera tutelæ non affectatæ; ita tamen, ut tutela plurium fratrum, pro una computetur: (b) 7. *Paupertas*, non quælibet, sed tanta, ut Tutor se, et familiam suam alere non possit; si quis videlicet imparem se oneri injuncto possit docere: 8. *Adversa valetudo*; hoc est, infirmitas impeditiva; nam qui non potest interesse suis negotiis, nec etiam alienis poterit: (c) 9. *Imperitia litterarum*; veluti, in rustico, et litterarum ignaro, si cum simplicitate adjuncta sit; quia si sunt rustici sagaces licet litterarum ignari, excusatione carent: 10. *Injuria, seu testatoris malevolentia*; quando testator facit tutorem, ut ipse laboribus, ac sumptibus vexetur: 11. *Inimicitiæ capitales*, quas tutor cum pupilli patre habuit, cum plerumque accidat, ut inimicitias consequatur nocendi voluntas: 12. *Controversia status*, seu lis de libertate, ingenuitate, aut pupillorum patre mota; quia solet oriri capitalis inimicitia: 13. *Ætas major septuaginta annis*; quia senectus, tamquam morbus perpetuus, et insanabilis per se gravis est, quæ ex lege volentem excusat: (d) 14. *Ætas minor viginti quinque annis*; quia incivile est, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, et sub alieno auxilio reguntur, aliorum tutelam subire; licet

(a) *Tit. cod. si tut. vel. curat. reipub. caus. aberit.*
(b) *Tit. cod. qui numero tutelarum.*
(c) *Leg. un cod. qui morb. se excus.*
(d) *Leg. 3. ff. de jure immun. tit. cod. qui ætate se excus.*

licet hi non tam excuſentur, quam à Jure prohibeantur eſse Tutores, ut ſuperius notatum eſt: 15. Militia; nam Milites, nec volentes ad tutelam admittuntur, ne per hoc reſpublica detrimentum ſentiat: (a) 16. Profeſsio artium liberalium; quia earum profeſſores aliis negotiis intendere non poſsunt. Hæ, et aliæ excuſationum cauſæ latius exponuntur *in tit. Inſtit. ff. et cod. de excuſation.* ubi vide: et advertas, quod cauſa excuſationis debet proponi infra quinquaginta dies numerandos ab eo tempore, quo quis cognoverit, ſe Tutorem eſse datum. (b)

NOTA. Mater debet filio non habenti Tutorem, intra annum petere, ei dari; alias privaretur ſucceſsione filii, quæ sibi competit Jure communi, ſi Impubes deceſsit; non verò ſi Pubes, quia ſi talis ſit, non privaretur: (c) Et non ſufficit, quod Mater de facto adminiſtret, ut Tutrix, quia eo modo non ſatis pupillo conſulitur, cum actiones movere, et alia exercere non poſsit, quæ poſset, ſi decreta eſset Tutrix: privatur etiam Mater ob non petitum Tutorem intra annum legitima, quæ sibi competit in bonis filii, non verò legatis, et ſubſtitutione fideicommiſsaria á viro sibi facta, quia tunc non ſuccedit pupillo, ſed teſtatori. (d) Poſsunt præterea, ſed non coguntur Tutores petere cognati, amici parentum, amita, creditor, et ſimiles. (e)

NOTA. Si Mater ſit Tutrix filiorum, et transit ad ſ cunda vota, repellitur à tutela; et eſt ratio, quia amplius de ea lex non confidit. (f)

(a) §. 14. *Inſt. de excuſat.*
(b) §. 16. *Inſt. de excuſat.*
(c) *Leg.* 5. §. Si Mater, *et* §. *pen. ff. ad Tertyll. Leg.* Matres, *cod. da S.C.Tert.*
(d) Canc. *var.* 1. *cap.* 7. *n.* 53. *cum ſeqq.*
(e) *Leg.* 5. 7. *et* 10. *cod. qui petant tutor.*
(f) *Auth.* Sacramentum, *cod. quando mulier tut. offic.*

NOTA. Mater, si transit ad secundas nuptias, non petito tutore, gravius secundum Jus punitur, id est, privatur, nedum successione filii, sed etiam et jure substitutionis sibi obvenientis ex filii parte, et omnibus legatis, et fideicommissis sibi à viro relictis, et etiam donationibus mortis causa; nisi Contutorem habeat mater; quia tunc sufficit, ut rationem tutelæ reddat. (*a*)

NOTA. Tutor, nec testamentarius, nec legitimus, nec dativus dari potest certæ rei, vel causæ; quia tutor Personæ datur, non rei, aut liti, et tutela est potestas in capite libero; res autem, et patrimonium in consequentiam veniunt. (*b*)

NOTA. Quilibet tutorum habet officium insolidum, nisi à testatore dispositum sit, ut unus sine alio nihil facere possit; quia tunc est servanda voluntas: aut à Judice administratio dividatur pro pupilli utilitate: (*c*) Insuper mortuo uno ex tutoribus, licet testamentariis, debet alius ejus loco subrogari; si superstites non sufficiant.

NOTA. Tutela Dativa nequit dari, nisi purè; quia datio tutoris facta à Magistratu est actus legitimus, et iste non recipit diem, neque conditionem: ad differentiam tutelæ testamentariæ, quæ ut dictum est, potest dari sub conditione, ex certo tempore, et usque ad certum tempus; ratio pendet ex voluntate defuncti, quæ strictè servanda est. (*d*)

NOTA. In tutela appellatio filiorum non prorrigitur ad nepotes: secus tamen procedit in materia ultimarum voluntatum; tunc enim filiorum nomine ad nepotes extenditur: ratio est, quia in tutelis solum atten-

(*a*) *Leg.* Omnem 6. *cod. ad Tertyll. Leg.* 1. *et Auth.* Eisdem *cod. de secund. nup.*
(*b*) §. 4. *Inst. Qui testam. tut. dari poss.*
(*c*) *Leg.* 3. §. 6. *Leg.* 24. *ff. de adm. tut.*: *adde tit. cod. de divid. tut.*
(*d*) *Leg.* 6. §. 1. *ff. de tutel. Leg.* 77. *ff. de reg. jur.*

attenditur ſonus verborum, hoc eſt certum animi judicium; In ultimis vero voluntatibus ſola affectio, vel voluntas teſtatoris præſumpta ſpectatur: (a) nisi ſubſtitutio sit reſtricta ad filios nominatos, non simpliciter, ſed ſub nomine proprio. (b)

Et qui amplius de tutela ſcire peroptet, recurrere poteſt *ad* Cancer *part.* 1. *cap.* 7. *et alios*, qui diffusé hanc materiam tractant, cum pro noſtro inſtituto prædicta ſufficiant.

DE CURATORIBUS.

TITULUS X.

CUM regulariter, finita tutela, aſsignari ſoleant puberibus curatores, qui illorum negotia administrent, quia in tali ætate fragile, et infirmum est consilium, et multis captionibus ſuppoſitum; ſequitur, ut de Curatoribus quidquam dicatur.

CUra eſt: *Potestas in caput liberum ad tuendum, ac administrandum negotia, vel bona sua, donec ipse per se possit.* Cura quid ſit.

Hujusmodi definitionis explicatio, cum sit valdè clara, omittitur.

Duplex eſt cura: *Legitima* ſcilicet, et *Dativa*; nulla Quotuplex ſit.

(a) *Leg.* 6. *et* 15. *ff. de teſtam. tut. Leg.* 84. 201. *et* 220. *ff. de verb. ſignif.*

(b) Canc. *var.* 1. *cap.* 5. *n.* 54.

la testamentaria, saltem directa. Cura *Legitima* est, quæ competit Agnatis, et Cognatis adultorum secundum ordinem succedendi erga minores, furiosos, vel prodigos: (*a*) *Dativa* est illa, quæ datur ab ordinario Judice, à quo regulariter omnes curatores dantur, sicut supra dictum est de tutela legitima. (*b*)

NOTA. Testamento curator non recté datur, quia puberes, quibus curator datur, ipsi, si velint, res suas gerere, ac administrare jam possunt: Sed si pater, vel mater curatorem dederint; eum sine inquisitione Prætor confirmat. (*c*)

Quid sit. curator.

Curator est: *ille, qui datur à Judice, vel â lege liberis puberibus, interdum invitis, necnon majoribus viginti quinque annis, causæ, rei, ventrivè, bonis absentis, et indefensis, et operibus publicis, aliquando idonea satisdatione, et semper juratoria cautione præstanda.*

Expositio

Ille non verò illa; nam mulier curatrix esse nequit, nisi mater, vel avia sit, cum ab officiis publicis, ut est cura, mulier repellatur, sicut supra de tutela dictum est: *qui datur à Judice, vel à lege*; nam omnes curatores dantur à Judice, nisi furioso, et prodigo, quibus dantur à lege: *liberis puberibus*; quia regulariter adultis dantur curatores, nempè, masculis majoribus quatuordecim annis, et feminis duodecim annis, et utrisque usque ad vigintiquinque annos: Interdum autem et pupilli curatores accipiunt; ut si tutor non sit idoneus, aut si ad tempus se excuset: (*d*) *interdum invitis*; quia invito puberi ad lites datur cura-

(*a*) §. 3. *Inst. de curat.*
(*b*) *Inst. de curat.* §. 1.
(*c*) §. 1. *Inst. de curat.*
(*d*) §. 5. *Inst. de curat.*

curator, ne judicium reddatur eluſorium : (*a*) similiter, si debitor velit minori ſolvere, (*b*) ad securitatem videlicet debitoris : (*c*) *Nec non majoribus viginti quinque annis* ; quia nedum puberibus, ſed etiam majoribus datur curator ; veluti furioſo, mentecapto, muto, et ſurdo, prodigo, et perpetuo morbo laboranti : (*d*) *Causæ* ; quia si pubes habet cauſam, seu litem cum ſuo curatore, aut pupillus cum ſuo tutore, olim alius dabatur tutor : nunc autem curator in ejus locum conſtituitur; qui peracto judicio desinit eſse curator : (*e*) Nisi sint plures tutores ; nam tunc altero auctore, cum altero agi poteſt : (*f*) *Rei* ; quia nedum generaliter ad omnia curator dari poteſt ; ſed etiam ſpecialiter ad unam rem : ad diferentiam dationis tutoris ; nam iſte datur personæ, et ille rei : (*g*) *ventrivè* ; nam ventri datur curator, ſcilicet, quando mulier eſt pregnans, vel dicit, ſe eſse, ne diſsipet bona mariti, ſeu verius filii, quem in utero gerit : (*h*) *bonis absentis, et indefensis* ; nam quando quis eſt abſens, et tenetur mihi in centum, facio ipſum citari, quo non veniente, Judex videns non eſse præſentem, juſta de cauſa dat ei curatorem, ut pro obſente ſtet in lite : (*i*) *Et operibus publicis* ; nam quando quoddam opus-

---

(*a*) §. 2. *Inſt. de curat. Leg.* 2. *cod. qui leg. perſ. ſtan. in jud. Leg.* [illegible] *ff. de re jud.*
(*b*) *Leg.* 7. §. 2. *ff. de minor.*
(*c*) §. 2. *et* 3. *Inſt. quib. alien. lic.*
(*d*) *Inſt. de curat.* §. 3. *et* 4.
(*e*) §. 3. *Inſt. de auctor. tut.*
(*f*) *Leg.* 24. *ff. de teſtam. tutel. Leg.* 1. *cod. de in lit. dand. tut.*
(*g*) §. 4. *Inſt. qui teſt. tut. dar. poſſ.* §. 2. *Inſt. de curat.*
(*h*) *Leg.* 20. *ff. de tutor. et curat. dat. Leg.* 1. § 17. *cum ſeqq. Leg.* 5. §. 1. *ff. de ventr. in poſſ. mitt.*
(*i*) *Leg.* Debitor 13. *ff. de neg. geſt. Leg.* 1. *in fin. ff. de mun. et hon. Leg.* Idem privilegium 22. §. Sed ſi bonis 1. *ff. de reb. auth. Jud. poſsid. Leg.* 1. *et tot tit. ff. de curat. bon. dand.*

opus publicum fit super eo datur curator, ut solicitet, et curet, quod illud opus fiat, et compleatur: *aliquando idonea satisdatione*; quia quilibet curator generalis satisdare tenetur de reddenda administrationis ratione: *et semper juratoria cautione præstanda*; nam quilibet curator debet jurare utilia adulti facere, et inutilia prætermittere: (*a*) De diversitate, et officio curatorum vide *leg. inter* 48. *ff. adm. et per. tut.*

Qui possit curatores dare.

Possunt dare curatores omnes Magistratus, vel Judices ordinarii habentes jurisdictionem super adulto; et si pater, vel mater curatorem dederit in testamento filio suo puberi; absque inquisitione confirmari debet à Judice. (*b*)

Quibus.

Potest dari curator puberibus, nedum masculis, verum etiam feminis, usque ad vigintiquinque annos completos, nec non majoribus; veluti, furioso, qui suis rebus superesse nequit, cum furioso nulla sit voluntas, nullusque consensus: *Item* prodigo; quia, licet consensum quemdam habeat; verum ad bona, quæ sibi adquirit, furioso solet comparari: *Item* mentecapto, muto, et surdo, ac perpetuo morbo laboranti; quia inepti sunt rebus suis administrandis. (*c*) *Interdum* etiam pupillo in casibus §. 6. *Instit. de Curat.* expressis.

Qui curatores esse.

Possunt esse curatores illi, qui tutores dativi esse possunt. Undè sequitur, quod mulier, nisi sit mater, vel avia; furiosus, mentecaptus, mutus, surdus, prodigus, minor, et alii, qui aliquod juris obstaculum habent, curatores esse nequeunt: Item vir nequit esse curator uxoris, ne maritus indulgentia uxoris

(*a*) *Auth.* Quod nunc, *cod. de curat. furios.*
(*b*) §. 1. *Inst. de curat. Leg. un. cod. ubi petant tut.*
(*c*) *Tot tit. Inst. de curat.*

ris fretus malè versetur in curatione bonorum receptorum. (*a*)

Finitur cura, ceſsante causa, ob quam fuit data; nimirum: Si ad litem, finita lite: Si ad unam rem, finita re: et sic de cæteris. Et si generalis eſt curator, finitur cura eisdem modis, quibus dictum eſt de tutéla. Quomodo finiatur cura.

Curator excusatur à cura eisdem causis, quibus tutor se excusare poteſt à tutéla; pro ut in præcedenti tit. *De Tutoribus* eſt dictum: Et etiam excusatio eſt proponenda intra quinquaginta dies. Tamen qui alicujus tutélam geſsit, non cogitur eſse, seu fieri ipsius curator. (*b*) Quibus de causis curator excuſetur.

Officium curatoris generalis eſt: *Primò* quod faciat inventarium de bonis adulti; alias removetur ut suspectus: *Item*, quod promittat, et juret utilia adulti facere, et inutilia prætermittere: *Item*, quod reddat rationem suæ adminiſtrationis finita cura: *Item*, quod satisdet cum idoneis fidejuſsoribus, si sine inquiſitione datur. (*c*) Officium curatoris generalis.

Differunt inter se tutor, et curator in quinque: 1. Tutor datur impuberi tantum: curator verò puberi; nisi quando pupillus intendit habére litem cum suo tutore, vel quando tutor eſt infamis, vel quando datur ex tempore, et aliis casibus; quia tunc etiam datur curator impuberi: (*d*) 2. Tutor datur in teſtamento, et alia qualibet ultima voluntate: Curator vero, si datus eſt à patre in teſtamento, confirmari debet à Judice: 3. Tutor certæ rei, vel causæ dari nequit: Curator autem optimè poteſt; quia tutor prima- In quibus differant tutor, et curator.

(*a*) *Leg.* 14. *ff. de curat. furioſ.* §. 19. *Inſt. de excuſ. tut.*
(*b*) §. 18. *Inſt. de excuſ. tut.*
(*c*) *Tit. Inſt. ff. et cod. de ſuſpec. tutor. et curat. et de ſatisd. tut. vel curat.*
(*d*) § 5. *Inſt. de curat.*

primario datur Personæ, licet secundario detur rei; ad differentiam curatoris: 4. Tutor datur invito puberi: curator non, nisi ad lites: 5. Tutor alius est testamentarius, alius legitimus, aliusque dativus: sed curator dumtaxat est dativus; nisi datus furioso, et prodigo: qui tunc est legitimus.

NOTA. In Cathalonia filiis militum non datur curator nisi ad lites, nisi essent prodigi, mentecapti &c. (*a*) Ratio est, quia isti post suam pupillarem ætatem, hoc est, viginti annos, majores reputantur.

NOTA. Curator solum dari potest pure: non autem in diem, neque sub conditione; quia est actus legitimus.

NOTA.

Juxta ordinem qui servatur in praxi, hic incumbebat tractare de clausula finali, seu codicillari, et revocatoria; ac de illis, qui possunt esse testes in testamento: Sed cum in initio istius secundæ partis jam dictum sit de uno, et alio; hoc loco omittitur.

DE

(*a*) Cane. *var.* 1. *cap.* 7. *n.* 12.

DE INVENTARIO.

TITULUS XI.

CUM præceptum, et injunctum sit illis, qui rei alienæ administrationem, tutelam atque curam habent, quod cito citius Inventarium, sive repertorium bonorum conficiant, ut evitetur doli macula, et fraudis suspicio: recto ordine sequitur, de eo pertractare.

INventarium est: *Bonorum omnium publicè facta descriptio, à tutore, curatore, vel herede confecta, solemnitate Juris debita concurrente.* Inventarium quid sit.

Bonorum omnium; quia omnia bona quæ in hereditate inveniuntur, tam propria ipsius defuncti, quam aliena debent in inventario describi: *publicè facta descriptio*; nam omnia debent in inventario à publica persona, id est, tabellione, continuari: *à tutore*; quia tutor, sive testamentarius, sive legitimus, sive dativus cogitur facere inventarium: *curatore*; quia curator interdum cogitur inventarium facere, scilicet, quando est generalis ad negotia, vel quando datur bonis minoris, absentis, seu indefensis, aut ventri: *vel herede confecta*; nam heres cogitur inventarium conficere in duobus casibus; nempe, quando rogatus est hereditatem alteri restituere; et quando vult gaudére beneficiis concessis inventarium conficientibus: *Solemnitate juris debita concurrente*; nam multæ solemnitates in inventario poni debent jure communi. Expositio.

Quot capita cõtineat

Tria capita continet inventarium 1. Proœmii: 2 Descriptionis bonorum: 3. Clausulæ finalis.

Qui illud facere teneantur.

De necessitate tenentur inventarium facere: 1. Tutor, sive testamentarius, sive legitimus, sive dativus: (*a*) Sed testator ei remittere potest inventarii confectionem: tamen per illam remissionem non liberatur à reddenda ratione eorum, quæ ad suas manus pervenerunt, vel quæ dolo desiit possidére, licet expressè eum liberet, quia talis liberatio non remittit dolum, sed negligentiam, etiamsi testator expresserit, ne de dolo teneatur; quia præberet ansam delinquendi: (*b*) 2. Curator datus ventri, vel generalis ad negotia, seu bonis minoris, absentis, et indefensis: (*c*) 3. Heres rogatus hereditatem alteri restituere, vel si vult beneficia consequi: (*d*) 4. Vidua pro juribus conservandis, et ratione dotis sibi competenti, vigore Const. Cathaloniæ *hac nostra* incipientis: 5. Prælatus Ecclesiæ de bonis in ea inventis, et specialiter de mobilibus; quia sunt rerum Ecclesiæ procuratores, et administratores perpetui à jure, et veluti tutores: (*e*) 6. Omnes, qui administrationem habent. (*f*)

De quibus rebus.

Debet confici inventarium de omnibus bonis, sive mobilibus, sive immobilibus, pecuniis, auro, argento, nominibus debitorum, juribus, et actionibus, et omnibus aliis, quæ in hereditate defuncti inveniuntur, tam, quæ ipsius sunt, quam alterius, ne prorsus occultari, seu deperdi valeant. (*g*) Requi-

---

(*a*) *Leg.* 7. *et* 57 *ff. de adm. et peric. tut.*

(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 7. *á n.* 85.

(*c*) *Leg.* 24. *cod. de adm. tut. et curat. leg. fin. cod. arb. tut.*

(*d*) *Leg. fin. cod. de jure deliber.*

(*e*) *Can.* Si privatum 28. *cau.* 12. *quæs.* 1. Vallens. *ad. tit. Decretal. de reb. Eccl. n.* 2. Engel *ibid. n.* 2: *adde leg.* 32. *cod. de Episc et cler.*

(*f*) *Leg.* orphanotrophos 32. *cod. de Episc. et cler. late* Escobar *de ratiocin. cap.* 9. *multa etiam utilia in hac materia congessit noster* Canc. *var.* 3. *cap.* 2. *per tot.*

(*g*) *Leg.* 24. *cod. de adm. tut.*

Requiruntur in inventarii confectione de jure communi multæ ſolemnitates, nempè, præſentia Judicis, citatio creditorum, legatariorum, et fideicommiſſariorum: Sed in hac Provincia Cathaloniæ ſufficit, inventarium confectum eſſe coram Notario, et Teſtibus per communem practicam, non obſtante conſtitutione infra citata. (*a*) Quæ ſolemnitates in eo requirantur.

Debet confici inventarium *à tutore, vel curatore,* quam citius poſsint, et ante confectionem inventarii nequeunt adminiſtrare; alias, ut ſuſpecti, removentur: (*b*) *Ab herede* intra triginta dies ad incipiendum, et ſexaginta amplius ad perficiendum; quod tempus currit à die non delatæ hereditatis, ſed aditæ: (*c*) *A vidua* demum in præſenti Principatu intra duos menſes poſt mortem Mariti, incipiendo illud intra unum, et perficiendo intra alium menſem; juxta citatam conſtitutionem Cathaloniæ *hac noſtra*: Satis auten erit, ſi perficiat illud intra duos menſes, licet intra primum non inceperit; quod etiam procedit in herede, dummodo intra tres menſes ſuum inventarium perficiat. (*d*) Intra quod tempus faciendum.

NOTA. Tutor, ſeu curator inventarium non conficiens poteſt tamquam ſuſpectus removeri, et incurrit pœnam amiſsionis legati sibi relicti à teſtatore, vel crediti, si aliquod habeat ſuper pupilli bonis; nam tutor, ſeu curator inventarium non conficiens præſumitur in dolo, et juris præſumptione ſatisfactus.

NOTA. Heres inventarium non conficiens tenetur creditoribus, et legatariis ultra vires hereditarias; quia ex præſumptione Juris, et de Jure præſumitur talis

(*a*) Canc *var.* 3. *cap.* 2. *n.* 66. *conſt.* 1. *lib.* 6. *tit.* 7. *de invent fah.*
(*b*) *Leg fin. cod. arbit. tut. fanit etiam noſt. conſt.* 1. *lib.* 5. *tit.* 4. *de tudors.*
(*c*) *Leg fin. cod. de jure deliber.*
(*d*) Canc. *var.* 3. *cap.* 2. *à n.* 15.

lis hereditas solvendo ; et si non sit, est ex eo, quod heres ocultaverit, et subripuerit res hereditatis, et sic vult lex ; quod teneatur de suo, et insolidum : (*a*) Item amittit trebellianicam, et falcidiam, maximè in præsenti Cathaloniæ Principatu, ex quadam constitutione : (*b*) ubi de filiis etiam id exprimitur.

NOTA. Vigore alterius constitutionis (*c*) Vidua non conficiens inventarium intra dictos duos menses privatur victu, et vestitu sibi dando in anno luctus per heredes viri, et similiter privatur commodo faciendi suos fructus bonorum viri post annum luctus, licet in capitulis matrimonialibus actum sit de faciendo fructus suos : nota tamen, quod dicti duo menses ad faciendum inventarium incipiunt currere viduæ post novem dies à tempore scientiæ mortis Mariti : et etiam, quod si vidua est minor, potest restitui in integrum ad faciendum inventarium, et tunc evitat pœnas dictæ constitutionis. Super his vide *Caner.* (*d*) Si inquam tempore confectionis inventarii fuerit impedita per heredem, seu alium, faciet de hoc formare instrumentum per tabellionem cum protestatione, quo constet de suis diligentiis, et sic gaudebit dicto privilegio ; quia non debet sibi imputari, si non confecit inventarium. (*e*)

NOTA. Nullatenus consulendum est Uxori à viro suo in tutricem assignatæ, ut in inventarii confectione tutorio nomine utatur, quia esset sibi valde præjudiciale, et damnosum ; nam abdicaretur jure faciendi fructus suos vigore tenutæ, et aliis juribus sibi

---

(*a*) *Leg. fin. cod. de jure deliber.*
(*b*) *Constit.* 28 per evitar *curiar.* an. 1599.
(*c*) *Constit. hac nostra, quæ est* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. *difolt lo matrimoni.*
(*d*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 26. *et* 30.
(*e*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 31.

bi in marítí bonis competentibus ; nisi expreſsè proteſtaretur, ſe nolle in illis præjudicari ; vide quæ latè, et doctè ait *Cancer.* (*a*)

DE ADITIONE, ET REPUDIATIONE HEREDITATIS.

TITULUS XII.

CUM ille, qui vult, vel non vult heres eſse ; si extraneus eſt, id eſt, extra poteſtatem teſtatoris, adit, vel repudiat hereditatem ; si verò ſuus, hoc eſt, filius teſtatoris in poteſtate patria conſtitutus ſe immiscet, ſeu abſtinet : Hic de Aditione, et Repudiatione agendum erit.

Aditio, et repudiatio

ADitio hereditatis eſt : *Quidam actus, qui solo animo declaratur, seu demonstratur.* Repudiatio verò ; *Hereditatem sibi ab extraneo delatam nolle habere.* Adire autem, et repudiare pertinet ad extraneum heredem : si inquam is qui vult heres eſſe, eſt de filiis, et in poteſtate, non dicitur *adire*, ſed *immiscère se* hereditati ; et si heres eſſe non vult, non dicitur *repudiare*, ſed *abstinere se* ab hereditate : quia hæc verba magis apta ſunt ad denotandum hereditatem patris jam quodam modo fuiſſe propriam filiorum. (*b*)

Duo-

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 43. *cum. ſeqq.*
(*b*) *§.* 2. *Inſt. de hered. qual. et diff.*

Quot modis quis fiat heres.

Duobus autem modis quis fit heres; videlicet, *aut* adeundo hereditatem: *aut* gerendo se pro herede. *Adire* hereditatem est declarare, seu dicere clarè, se velle esse heredem: *Pro herede se gerere* est uti, seu tractare res hereditarias, tamquam suas, quando videlicet quis scit, non solum se heredem esse, sed etiam eas res esse hereditarias. (*a*)

NOTA. De Jure communi hereditas semel adita repudiari non potest, et semel repudiata adiri nequit, nisi heres sit minor viginti quinque annorum, quia tunc juvatur beneficio restitutionis in integrum, cum etiam minori in lucro restituatur: (*b*) Sed in Civitate Barcinonæ Cives, et habitatores illius possunt aditam hereditatem repudiare, absque tamen diminutione hereditatis, nisi habeant justam causam retentionis. (*c*)

NOTA. In Cathalonia filius familias potest adire hereditatem absque Patris consensu, nam adire non est contrahere: sed quasi contrahere; nec non valet repudiare donationem sibi factam, quia licet per constitutiones (*d*) filius familias nequeat contractus ullos obligatorios facere sine patris consensu expresso, tamen per repudiationem ad nihil se obligat, neque damnum aliquod sentit, cum ante acceptationem non sit ei jus quæsitum; (*e*) sed est advertendum, quod si in repudiatione fuit læsus, quia fortè utilis erat donatio, potest implorare beneficium restitutionis in integrum, cum minori, ut paulo ante est dictum, etiam in lucro restituatur. (*f*)

Si

(*a*) §. 6. *Inst. de hered. qual. et diff.*
(*b*) §. 5. *Inst. de hered. qual. et diff.*
(*c*) *Cap.* 3. *tit.* 13. *consuet. Barc. recogno. proceres.*
(*d*) *Const. Cath.* 1 *et.* 2. *lib.* 2 *tit.* 11. *de menors de* 25. *anys &c.*
(*e*) Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *n.* 81. *et* 128.
(*f*) *Leg.* 7. §. 6. *et* 7. *ff. de minorib.* 25. *an.*

NOTA. Si quis est heres institutus, et repudiat hereditatem, et non est aliquis substitutus, aut conjunctus, omnia de testamento corruunt, et nihil ex his, quæ scripta sunt, valet: Sed in præsenti Civitate Barcinonæ, licet ex testamento non adeatur hereditas, vel adita repudietur, valent omnia, quæ per testatorem sunt relicta. (*a*)

NOTA De Jure heres tamdiu potest hereditatem adire, donec eam repudiet: sed si sint, qui urgeant heredem pro animi sui declaratione; v. g. Creditores, substituti, legatarii &c. Tunc præscribitur heredi certum tempus, intra quod deliberet, an malit hereditatem adire, eamvè repudiare; quod tempus datur à Judice juxta circunstantias, et moderatum: (*b*) Imperator JUSTINIANUS constituit, ut hoc tempus, si daretur à Judice, esset novem mensium; si à Principe, anni unius: (*c*) Si intra hoc tempus non adierit heres, habetur hereditas pro repudiata.

NOTA. Infans nequit adire sine tutoris auctoritate; et furiosus, nisi curatore auctore; quia isti nequeunt habère animum deliberandi. (*d*)

NOTA. Adire, repudiare, et immiscére, ac abstinére nequit fieri per Procuratorem; quia erant actus legitimi: (*e*) Sed hanc Juris Civilis scrupulositatem mores hodierni aspernantur.

NO-

(*a*) *Pragm.* 1. *lib.* 6. *tit.* 1. *de testament. in volum.* 2. *vers.* statuimus etiam Canc. *var* 1. *cap.* 4. *n.* 67.
(*b*) *Leg.* 9. *cod. de jure deliber.*
(*c*) *Leg. ult.* §. 13. *cod. de jur. delib.*
(*d*) *Leg. ult.* § 3. *et seq. cod. de cur. fur. leg.* 49. *ff. de adq. hered. leg.* 9. § 3. *ff. ad auth. int.* § 1. *inst. eod. tit. ll.* 5. *et* 18. *cod. de jur. delib.*
(*e*) *Leg.* 90. *ff. de adq. hered.*

NOTA. Aditio, et repudiatio solum fieri possunt purè, et in totum; non autem in diem, per partes, vel sub conditione, quia est actus legitimus. (*a*)

APPENDIX
DE SUCCESSIONIBUS
AB INTESTATO.

HEreditas nobis adquiritur, sive defertur; aut ab homine, testamento videlicet; aut à lege, nempè, ab intestato: (*b*) Hinc sequitur, quod heres, alius est testamentarius, alius legitimus: sed quoniam, quamdiu locus est, aut esse potest heredi testamentario, numquam venire potest heres ab intestato: (*c*) Ideo prius actum est de successione ex testamento: Nunc verò supereſt, ut agamus de successione ab intestato, *juxta §. fin. Inst. per quas pers.*

Intestatus autem decedit, qui, aut omninò testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id, quod fecerat, ruptum, irritumque factum est, aut si ex eo nemo heres exstiterit: (*d*) Porrò succedentium ab intestato tres sunt ordines, *juxta Novell. Justin.* 118. Cui non est derogatum per nostrum Jus municipale; videlicet: *Liberorum*: *Parentum*: *Lateralium.*

DE

(*a*) *Leg.* eum qui 51. §. 2. *ff. adq. vel omitt. hered. leg.* 77. *ff. de reg. jur.*
(*b*) *Leg.* 1. *et seqq. ff. de hered petit.*
(*c*) *Leg.* quamdiu 39. *ff. de adq. hered. leg.* 89. *ff. de reg. jur.*
(*d*) *Princ. tit. inst. de hered. quæ ab intest.*

DE SUCCESSIONE LIBERORUM.

§. I.

AD ſucceſsionem ab inteſtato primo loco, et ante omnes alios vocantur liberi, sive deſcendentes omnes, nulla facta differentia inter mares, et feminas: et tam primi, quam ſecundi, aut ulterioris gradus. Si ſoli sint filii, æqualiter omnes ſuccedunt. Si adsint filii, et nepotes, hi ſuccedunt *in ſtirpes*; illi veró *in capita*: hoc eſt, nepotes v. g. ex uno filio tantum accipient, quantum eorum pater, si viveret: quod quidem æqualiter inter dictos nepotes dividitur: (*a*) Reliqui veró filii æqualem unuſquiſque partem feret. Quod si ſoli sint nepotes ex pluribus filiis, hereditas dividetur in tot partes, quot erant filii: et hæc pars dividetur æqualiter inter omnes nepotes ex illo filio, aut filia; neque enim in hac ſucceſsione fit differentia ſexus, ut jam dictum eſt.

NOTA. In Cathalonia, si filius, vel filia intraverit in Religionem abſque patris voluntate, privatur hereditate, et etiam legitima. (*b*)

NOTA. Etiam in Cathalonia (*c*) filius, vel filia minor vigintiquinque annorum nubens abſque expreſso conſenſu patris, aut curatorum, vel proximiorum, privatur ſucceſsione paterna, et materna; ne indigne nubat; de quorum validitate, ac intelligentia vide *Cancer.* (*d*)

(*a*) §. 6. *Inſt. de hered. quæ ab inteſt. defer.*

(*b*) *Conſt.* 1. *lib.* 1. *tit.* 6. *dels qui entran en Religio, &c. in vol.* 2.

(*c*) *Conſt.* 2. *et* 3. *lib.* 5. *tit.* 1. *de Spoſalles, y Matrimonis; & conſt.* 1. *lib.* 5. *tit. eod. in* 2. *volum.*

(*d*) Canc. *var.* 1. *cap.* 24. *n.* 3. *cum ſeqq. nonnulla etiam in part.* 3. *cap.* 11. *n.* 1. *et in multis aliis locis.*

DE SUCCESSIONE PARENTUM.

§. II.

LIberis non exstantibus, vocantur ad succesſionem inteſtati parentes ipsius proximiores, exclusis remotioribus. Quare primo vocantur pater, et mater ſoli: (*a*) Hoc addito, quod in bonis, quæ filius habuit à patre, ſolus Pater; et similiter in bonis, quæ habuit à matre, hæc ſola succedat: In reliquis verò bonis ambo æqualiter succedunt: (*b*) Non exiſtentibus autem patre, et matre, vocantur simili modo alii aſcendentes proximiores, factis æquis partibus inter ipſos.

Si tamen inteſtatus reliquit, preter parentes, etiam fratres, ſororeſvé *utrinque conjunctos*, iſti omnes vocantur, et ſuccedunt *in Capita*; hoc eſt, fiunt tot æquales partes, quot ſunt, qui ſuccedunt. Dixi *utrinque conjunctos*; nam si fratres sint tantum conſanguinei, aut uterini reſpectu defuncti, iſti non admittuntur ad illius ſucceſsionem simul cum parentibus: Ex authentica *Defuncto*: (*c*) Ex qua in ultimis verbis deſſumitur etiam, parentes per transitum ad ſecundas nuptias amittere hanc ſucceſsionem: Sedtamen non amittunt omnino; ſed hoc dumtaxat, quod contenti uſufructu durante vita proprietas bonorum revertitur ad filios prioris matrimonii. (*d*)

DE

(*a*) *Leg.* Quod ſcitis 3. *cod. de bon. quæ liber. Auth.* Defuncto, *cod. ad Tertyll.*
(*b*) *d. Leg.* Quod ſciti s.
(*c*) *Auth.* Defuncto, *cod. ad Tertyll.*
(*d*) *Leg.* Feminæ 3. *et Auth. ex teſtam. cod. de ſecund. nup.*

DE SUCCESSIONE LATERALIUM.

§. III.

SI defunctus, neque liberos reliquerit, neque parentes, succedunt proximiores in gradu, omnes videlicet ejusdem gradus, et soli, exclusis remotioribus; excepto, quod cum fratribus admittuntur fratrum filii (defuncto patre), qui succedunt *in stirpes*, sive *jure repræsentationis*; hoc est omnes simul tantum accipient, quantum ipsorum pater, si viveret: Licet, si soli sint fratrum filii, tunc successio fiat inter omnes *in capita*, hoc est, æqualiter inter omnes dividenda. (*a*)

Hæc successio defertur cognatis suo ordine, ut est dictum, usque ad decimum gradum inclusive de quorum computatione vide *Instit.* (*b*) Ultra autem decimum gradum non extenditur; sed tunc uxor admittitur ad successionem viri, et vir ad uxoris successionem: (*c*) Quod si, neque vir neque uxor supersint, succedit fiscus. (*d*) Excipe tamen, nisi defunctus fuerit alicujus collegii non reprobati; nam tunc Collegæ præferuntur Fisco in successione: (*e*) Excipe etiam Clericum, ad cujus successionem (*respectu bonorum patrimonialium*) si nulli exstent cognati, vocatur Ecclesia, in qua Beneficium obtinuit, veluti

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 5. *n.* 16. & 37.
(*b*) *Inst. tit. de grad. cogn.*
(*c*) *Leg.* 1. *cod. Unde vir, et ux.* Canc. *var.* 1. *cap.* 5. *n.* 38.
(*d*) *Leg.* 1. *ff. de jur. Fisc. Leg.* 1. *et* 4. *cod. de bon. vacant. lib.* 10.
(*e*) *Leg.* 1. *et* 3. *cod. de hered. decur.*

quædam spiritualis uxor: (*a*) Quod si nec beneficium habuit, succedit Fiscus Episcopalis: (*b*) Dixi *respectu bonorum patrimonialium*; nam de bonis respectu Ecclesiæ adquisitis, Clericus testari non potest; sed in eis succedit Ecclesia: (*c*) Licet consuetudo aliter obtineat. (*d*)

Illud in hac materia nota, Jure affinitatis neminem succedere ab intestato. (*e*)

CAPUT II.

DE CODICILLIS.

CUM nedum ex testamento; verum etiam ex codicillis (qui sunt species ultimæ voluntatis minus solemnis) nobis adquiratur, sequitur ut de eis pertractemus.

Codicilli quid sint.

COdicilli sunt: *Quædam brevis dispositio ultimæ voluntatis, sine heredis institutione.*

Expositio

Quædam brevis dispositio; quia in codicillis nulla ordinationis solemnitas desideratur: (*f*) Ad differentiam testamenti, in quo plures solemnitates requiruntur:

(*a*) *Cap.* 1. *de succes. ab intest. Can.* Quicumque 2. *caus.* 12. *q.* 3.
(*b*) Engel. *ad tit. Decretal. de succes. ab intest. §.* 2.
(*c*) *Cap.* 1. *et* 9. *de pecul. Cler. cap.* 7. *et* 12. *de test.*
(*d*) Covarr. *ad cap.* 7. *de test. n.* 23. *et seq.* Cortiada *decis.* 125. *n.* 15. *et seqq.* Ripoll *var. cap.* 13. *n.* 179. *et seq.* Barb. *de off. et pot. Episc. p.* 3. *alleg.* 114. *n.* 6.
(*e*) *Leg.* Vitrico 3. *Leg.* Affinitatis 7. *cod. comm. de succes.*
(*f*) *Inst. hoc tit. §. ult.*

tur: *ultimæ voluntatis*: nam codicilli morte confirmantur, sicut testamentum: *Sine heredis institutione*; scilicet, directa; etenim per codicillos directè quis instituí nequit, ne confundatur jus testamenti, et codicillorum. (*a*)

Species codicillorum duo sunt; nempé: *In scriptis*, qui dicuntur clausi: et *sine scriptis*, id est, nuncupativi. *In scriptis* codicilli sunt illi, in quibus codicillans ultimam voluntatem suam in scripturam redigit; deinde subscriptiones testium ofert ad corroborandum: *sine scriptis* sunt illi, in quibus coram testibus codicillans nuncupat suam voluntatem; ut supra dictum est *in Cap. I. istius secundæ partis.* Species codicillorum.

Possunt codicillari omnes illi, qui possunt testari, seu testamentum facere. (*b*) Qui poss. codicillari

Codicilli fuerunt inventi quatuor de causis 1. Propter dispositionem unius rei: 2. Propter dispositionem plurium rerum: 3. Ut aliquid addatur testamento: 4. Ut aliquid de eo diminuatur. (*c*) Ad quid fuerunt inventi.

Codicillari quis potest quatuor temporibus: 1. Ante testamentum factum: 2. Post testamentum factum: et tam in uno, quam in alio casu codicilli sequuntur jus testamenti; nam sunt pars, et appendix testamenti, ex quo vires capiunt, sive præcedant, sive subsequantur: (*d*) 3. Nullo condito testamento: Sed et intestatus quis decedens fideicommittere codicillis potest, id est, rogare heredes legitimos, ut præstent fideicommissa, vel legata codicillis relicta; in quo casu per se vicem habent testamenti: (*e*) 4. Post testamentum, et codicillos conditos, in quo casu codi- Quando quis potest codicillari.

(*a*) *Inst. hoc tit. §. 2.*
(*b*) *Leg. 6. §. pen. Leg. 8. §. 2. ff. de jur. codicill. Leg. 1. §. 2. ff. de leg. 3.*
(*c*) *Princ. tit. Inst. hoc tit.*
(*d*) *§. 1. Inst. hoc tit.*
(*e*) *d. §. 1. Inst. hoc tit.*

codicilli secundi sequuntur jus testamenti, ut paulo ante est dictum.

Codicilli quot capita contineant.

Codicilli, si sint conditi ante testamentum, quatuor capita regulariter continent: 1. Proœmii, in quo fit mentio de sobrietate codicillantis: 2. Legatorum: 3. Institutionis per indirectum, hoc est, per fideicommissum: 4. Clausulæ finalis. Si verò sunt conditi post testamentum, continent regulariter alia quatuor capita; 1. Proœmii, in quo, nedum continetur sobrietas codicillantis, verum etiam testamenti conditi narratio: 2. Ademptionis legatorum, sive mutationis: 3. Confirmationis cæterorum de testamento: 4. Clausulæ finalis.

Quot modis infirmentur.

Duobus modis codicilli infirmantur: *Uno* videlicet, quando mens defuncti aliis codicillis contrariis declaratur; nam ea, quæ postea geruntur, prioribus derogant, si contraria sunt: (*a*) *Altero* verò, quando testamentum infirmatur, ita et codicilli; quia sunt pars testamenti, et vires ex illo capiunt; corruente enim principali, id est testamento, destruitur accessorium, scilicet, codicilli. (*b*)

Testamẽtum, et codicilli in quibus conven.

Conveniunt testamentum, et codicilli in sex: 1. Quia, qui possunt testari; etiam codicillari possunt: 2. Nam sicut in testamento relinquuntur commissarii, sive exequutores; ita et codicillis: 3. Quippe sicut legata relinquuntur in testamento; pariter in codicillis: 4. Quia sicut testamentum morte confirmatur; ita codicilli: 5. Nam testamentum, et codicilli eodem modo aperiuntur: 6. Quia ambo fieri possunt in scriptis, et nuncupativè.

In quibus differant.

Differunt verò in octo: 1. Quia in testamento utraque heredis institutio universalis, scilicet directa, et fidei-

(*a*) *Leg. 6. §. 2. ff. de jure. codicill. in fin. Leg. 3. cod. hoc tit*
(*b*) *Leg. 178. ff. de reg. jur.*

fideicommiſsaria fieri poteſt : in codicillis verò ſolum fideicommiſsaria; ne jura teſtamenti, et codicillorum confundantur, id eſt, ne vis, et poteſtas una sit, et idem poſsint codicilli, quod teſtamentum : 2. Nam in teſtamento fit directa ſubſtitutio : in codicillis autem non, cum ſubſtitutio sit ſecundi heredis inſtitutio : 3. Quippè in teſtamento directè hereditas adimi, et dari poteſt : in codicillis autem non, ne jura utriuſque confundantur; qua de cauſa, nec inſtitutio facta in teſtamento revocari poteſt in codicillis, ſed per fideicommiſsum dari, et adimi poteſt in codicillis ; et poteſt adimi hereditas in teſtamento, quia ſolummodo declarat teſtator, cui debet heres hereditatem reſtituere, quæ declaratio non mutat, nec impedit heredis inſtitutionem : (*a*) 4. Quia in codicillis nequit adjici conditio heredi, qui purè in teſtamento ſcriptus eſt, ne contingeret adimi hereditatem in conditionis defectu : in teſtamento autem poteſt : 5. Nam in teſtamento exheredatio fieri poteſt : in codicillis verò non : (*b*) 6. Quia in teſtamento teſtes debent eſse rogati ore teſtatoris: in codicillis non : 7. Quippé nemo poteſt decedere duobus teſtamentis validis : Sed optimè poteſt cum multis codicillis ; ratio, quia in teſtamento univerſa hereditas, quæ eſt una ; codicillis res ſingulæ, quæ ſunt plures, relinquuntur : 8. Nam in teſtamento multæ ſolemnitates requiruntur ; in codicillis autem non.

NOTA. Licet dictum sit, quod *directè* hereditas in codicillis dari nequit : attamen, si relicta eſt directé ſuſtinetur verbis obliquis, et venientes ab inteſtato cen-

(*a*) *Leg. 2. cod. hoc tit. ; et ibi Gloſ.*
(*b*) *§. 2. Inſt. hoc tit.*

censentur, quasi rogati hereditatem restituere heredi instituto. (*a*)

NOTA. Quamvis de jure communi non valeat dari tutor in codicillis, nisi subsequatur testamentum, in quo confirmetur: tamen de Jure Cathaloniæ; *ut in Tit. IX. De Tutoribus* manet dictum, potest dari, tam in testamento, quam in codicillis, et qualibet ultima voluntate.

NOTA. Aliqui sentiunt, substitutiones posse per codicillos revocari, excepta exemplari, si sunt substituti, qui à jure institui debent, ne testamentum corruat ex præteritionis defectu; sed contraria opinio est tutior; nam institutio, et substitutio, dareque, et adimere paria sunt. (*b*)

CAPUT III.

DE DONATIONE CAUSA MORTIS.

Donatio causa mortis quid sit.

DOnatio causa mortis est: *Quæ propter mortis suspicionem fit*; nam si in ea non exprimatur mortis causa, vel alterius instantis periculi, seu futuri consideratio, vel metus, non esset donatio causa mortis; licet foret facta ab homine ægroto; nam suspicio, vel cogitatio mortis est causa hujus donationis: alias enim, non tam mortis causa, quam moriens donasse intelligitur. (*c*)

(*a*) *Vide plura in tit. Inst. ff. et cod. de codicill.*
(*b*) Fusar *de subst. q.* 160. *n.* 6.
(*c*) *Leg.* 42. *in fin. ff. de mort. caus. donat.*

Species hujus donationis tres sunt: 1. Cum quis nullo presentis periculi metu conterritus, sed sola mortalitatis cogitatione donat: 2. Cum quis metu mortis, aut præsentis, vel futuri periculi ita donat, ut statim res occupantis fiat, hoc est, quod incontinenti habeat effectum: 3. Si quis periculo mortis non dat, ut statim fiat occupantis, sed tunc demum, cum mors insequuta fuerit, quo casu sub conditione pendet donatio. (*a*) Ejus species

De substantia istius donationis tria sunt: 1. Res donata: 2. Causa mortis, vel alterius periculi: 3. Consensus, et præsentia utriusque, donatoris, scilicet, et donatarii; (*b*) cum donatio causa mortis, quo ad solemnitatem, et formam æquiparetur contractibus inter vivos factis, quamvis quo ad efficaciam, et effectum sit ultima voluntas. Quæ sint de substantia.

Fit autem tribus modis: 1. *Pollicitatione*; quæ est: *Solius offerentis promissio*: 2. *Stipulatione*: 3. *Traditione*; et licet propter hoc donatio causa mortis videatur esse contractus: tamen est species ultimæ voluntatis. Quot modis fiat.

Possunt donare causa mortis omnes illi, qui testamentum facere valent. Qui possit donare causa mortis.

Hoc tamen fallit in filio familias, qui non potest testari, sed potest causa mortis donare, cum patris tamen consensu *in ipso actu*, vel *ante* expresse, et nominatim præstando, nam aliter non valéret; et requiritur talis consensus ad solemnitatem, et validitatem dictæ donationis: (*c*) *Dixi* in ipso actu, vel ante; nam si ex intervallo post donationem factam per filium sequitur patris consensus, non corroboratur Excipe.

(*a*) §. 1. *Inst. de donat. leg.* 2. *cum seqq. ff. de mort. caus. don.*
(*b*) Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *n.* 65.
(*c*) *Leg.* 25. §. 1. *ff. de mort. caus. donat. et novell.* 117. §. 1. *et* 2.

donatio, nisi legitimè appareat, filium perseverare in eadem donatione; eo quia, si filius non perseveraret, non esset super quo, voluntas patris versaretur.

Quibus possit donari, et quæ res.

Potest causa mortis donari omnibus illis, cum quibus testamenti factio est, nempé, qui heredes instituí, aut scribi queunt: Et omnes res, quæ possunt legari, etiam causa mortis valent donari.

Quot modis dissolvatur ista donatio.

Tribus modis dissolvitur hæc donatio: 1. Si donator ab ægritudine convaluerit, aut aliud vitæ periculum evaserit; quia cessat causa donationis: 2. Si donatorem pœnituerit donationis; nam ista donatio est species ultimæ voluntatis, quæ ambulatoria est usque ad ultimum vitæ extremum: 3. Si prius decesserit is, cui donatum est; quippe ea, quæ relinquuntur in ultima voluntate, non debentur, si præmoritur is, cui bona sunt relicta. (*a*)

In quibus cõveniat cũ legatis.

In tribus convenit donatio causa mortis cum legatis: 1. Quia qui legare possunt; etiam causa mortis donare, excepto filio familias; nam potest causa mortis donare, et non legare, cum legatum solum fieri possit in testamento, et codicillis: 2. Nam illis, quibus legari potest; etiam licet causa mortis donari: 3. Quia res, quæ legari queunt; etiam causa mortis possunt donari.

In quibus differant.

Differunt autem in sex: 1. Quia filius familias legare nequit, eo quia non potest testari; sed donationem causa mortis facere potest: 2. Nam si alicui causa mortis quidquam relictum est, et ipsi est alius in eo substitutus; ille, cui relictum est, debet promittere substituto, quod conditione eveniente; id, in quo substitutus est, dabitur ei, et interim ea re fruetur arbitrio boni viri; quod non est in legato: 3.

Quippe

(*a*) §1 *Inst. de donat.*

Quippe legatum traditur ab herede ; donatio autem plerumque à defuncto : 4. Nam donatio facta in annos singulos censetur una ; sed legata plura ; ratio differentiæ est , quia donatio ad annos singulos , sive annua est perpetua , et ad heredes transit ; legatum vero morte legatarii finitur : Et etiam , quia legatum primo anno est purum ; sequentibus conditionale , cui inest hæc tacita conditio , si vivat legatarius , quod non est in hac donatione : sed hæc potius est differentia inter legata , et contractus ; de qua copiose *Cancer* : (*a*) 5. Quippé , si quis accusat testamentum falsum , et subcumbit , perdit legatum ; nam cum negat dispositionem testamentariam , videtur indignus ex eo posse capere ; non autem in donatione causa mortis : (*b*) 6. Quia in legato tria tempora considerantur ; tempus relicti legati , mortis , et acceptationis ; in donatione verò non.

NOTA Si filius familias vult donare patri suo, requiritur auctoritas , et decretum Judicis ; et non sufficit , quod det ipsi patri , ne iste sit sibi auctor in causa propria , et ne , mediante sua auctoritate , adquirat ex bonis illius , cui auctoritatem præstat. (*c*)

NOTA. Licet filius emancipatus minor , de Jure Cathaloniæ , nequeat contractus obligatorios facere sine consensu patris , tamen potest causa mortis donare ; quia per talem donationem certum est, filium in nihilo se obligare , cum donatio causa mortis , quantum ad efficaciam , et effectus , sit ultima voluntas. (*d*)

(*a*) Canc. *var.* 3. *cap.* 20. *n.* 31. *et seqq. leg.* 34 *et* 35. §. 7. *ff. h. tit.*
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 6. *n.* 21. *et.* 22.
(*c*) Canc. *var* 2. *cap.* 1. *n.* 72. *et seqq.*
(*d*) Canc. *var.* 2. *cap.* 1. *n.* 63. *et seqq.*

NOTA. Donatio causa mortis confirmatur morte, sicut cæteræ ultimæ voluntates; et sic in donatione per filium facta, non requiritur mors patris; sed sufficit mors ipsius filii. (*a*)

NOTA. Quod licet donatio simplex, et inter vivos facta inter virum, et uxorem á Jure sit prohibita; non tamen donatio causa mortis, imò permittitur, et valet; nisi apponatur cautela inter ipsos, quod sit irrevocabilis; quia tunc videretur facere fraudem *legis* 43. *ff. hoc tit.*; et de hac mortis causa donatione agitur in §. 1. *Inst. de Donation.*; *& in tit. ff. & cod. de mort. cau. don.*

TER-

(*a*) §. 1. *Inst. de donation.*

TERTIA, ET ULTIMA PARS.

CAPUT UNIC.

DE JUDICIIS.

JUdicium est: *Actus legitimus trium Personarum, actoris scilicet, rei, et Judicis.* Judicium quid sit. Expositio

Actus legitimus; apponitur ad denotandum, quod Judicia sunt introducta à Jure Civili: *Trium Personarum &c.* Nam in Judicio, tam Civili, quam Criminali sunt necessariæ, ad minus, tres Personæ; nempè, actor, qui agat; reus, qui se defendat; et Judex, qui de causa cognoscat: et si dictæ tres personæ deficerent, Judicium esset nullius momenti.

Duplex est Judicium; scilicet, *Civile*, et *Criminale*. Judicium *Civile* est illud, in quo agitur de re sibi debita, et ad interesse privatum. *Criminale* verò illud, in quo agitur de criminibus puniendis. Utrumque tendit eo, ut secundum jus unicuique pro facti qualitate justitia tribuatur. Quotuplex Judicium.

Justitia est: *Constans, et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens*, (a) idest, habitus, quo perpetuo, et firmo Judicio voluntas facile, et promptè fertur ad tribuendum cuique suum; quod est officium hominis justi, et ipsius Justitiæ opus. Quid Justitia.

Du-

(a) *Princ. tit. inst. de just. et. jur.*

Duplex est Justitia ; nempè, *Distributiva*, et *Commutativa*· Justitia *distributiva* respicit, quod quisque meretur, sive sit pœna, sive sit præmium, sive honor, sive onus : *Commutativa*, quod cujusque proprium est, respicit.

Quid Jus. Jus est : *Ars æqui boni* ; (*a*) et cognitio hujus artis *Jurisprudentia* nominatur ; nam Justitia sine prudentia esse non potest, cum examinare quid justum, vel quid injustum sit, non mediocris sit prudentiæ.

Jurisprudentia. Jurisprudentia est : *Divinarum, ac humanarum rerum notitia, justi, atque injusti scientia.* (*b*)

Præcepta Juris. Præcepta Juris tria sunt : 1. *Honestè vivere* : 2. *Alterum non lædere* : 3. *Jus suum unicuique tribuere* (*c*) *Honestè vivere* est temperatè, verecundè, et cum virtute vivere ; nam unusquisque ad rationis, atque honestatis normam se privatim componere debet, et non solum, quod liceat, sed quod honestum sit, tenetur inspicere. *Alterum non lædere* ad famam, et salutem alienam spectat, ut quis non faciat alteri, quod ipse pati ab altero nolit : *Jus suum unicuique tribuere*, ad contractus refertur, in quibus servanda est æqualitas.

DE

(*a*) *Leg.* 1. *ff. de just. et jur.*
(*b*) §. 1. *Inst. de just. et jur.*
(*c*) §. 3. *Inst. de just. et jur.*

De Judice.

CUM supra dictum sit, quod in Judicio, tam Civili, quam Criminali tres Personæ, ad minus, requiruntur, actor, reus, et Judex: Et cum iste sit dignior; merito de ipso hic prius agendum videtur.

JUdex igitur est: *Ille, cui data, vel delegata est Jurisdictio, et Juris obstaculum non habet.* Quid Judex.

Judices esse possunt omnes illi, quibus data, vel delegata est jurisdictio, hoc est, potestas de publico introducta; dummodo non habeant juris obstaculum. Qui Judices esse possunt.

Judices autem esse prohibentur: 1. *A natura*, ut mutus, surdus, perpetuo furiosus, et impubes, quia judicio carent: (*a*) Minor, dummodo excedat annos 18. Judex, et arbiter esse potest: (*b*) Cæcus etiam Judex esse non prohibetur: (*c*) 2. *A lege*, et *consuetudine* prohibentur esse Judices, femina, infamis, servus, hæreticus, criminosus, et similes: (*d*) Filius familias, et qui in potestate est, Judex esse potest; (*e*) non tamen in causa patris, nec pater in causa filii; et nemo in causa propria. (*f*) Qui nequeunt.

Judex

(*a*) *Leg.* 12. §. 2. *ff. de judic.*
(*b*) *Leg.* 57. *ff. de re jud. leg.* 41. *ff. de recep. arb. cap.* 41. *de off. jud. del.*
(*c*) *Leg.* 6. *ff. de judic.*
(*d*) *Leg.* 12. *ff. de jud. leg.* 2. *ff. de Senator. cap.* 10. *de off. jud. ord. cap.* 13 §. Credentes *de hæred.* Can. 4. *caus.* 24 *q.* 1. *vid. D. D. ad tit. decretal de off. jud.*
(*e*) *Leg.* 12. §. *fin et leg.* 15. *ff. de jud.*
(*f*) *Leg* 10. *ff. de jurisd. leg. un. cod. ne quis in sua caus.*

Unde dicatur Judex, & quid sit. Jurisdict.

Judex à jurisdictione dicitur. Est autem jurisdictio: *Publica potestas cognoscendi, et judicandi de causis.* Quæ definitio est satis clara; Et solum nota, quod dicitur *potestas publica*, quia solus privatorum consensus Judicem facere non potest. (*a*)

Imperium quid, & quotuplex sit.

Alia Judicis potestas vocatur *Imperium*; et est: *Potestas jubendi, coercendi, et exequendi*: Estque duplex; videlicet: *merum*, quod etiam appellatur *jus gladii*, sive facultas animadvertendi in facinorosos, aut eos puniendi: (*b*) et aliud est *mixtum*, et in effectu nihil aliud est, quam ipsa jurisdictio plena, seu cum his, quæ necessaria sunt ad ipsam exequendam; (*c*) et dicitur *mixtum*, quia præter Imperium, habet etiam jurisdictionem.

NOTA. Practici aliis terminis idem significant, non enim faciunt differentiam inter jurisdictionem, et Imperium; sed omnem Judicis, sive magistratus potestatem vocant jurisdictionem: et dicunt alios habère jurisdictionem *altam*, hoc est, Imperium merum, seu jus gladii, jus puniendi, castigandi, aut jurisdictionem criminalem: alios verò jurisdictionem *bassam*, sive civilem, simplicem, et Imperium mixtum; vide *Cancer*, (*d*) qui agit etiam de jurisdictione *simplici*, quæ proprié jurisdictio non est, et consistit in potestate coercendi modicè; v. g. imponendi pœnas leves, ut bannum quinque solidorum, et similes; qualem habent Ædiles, et Decuriones: et de Jure Civili competebat magistratibus municipalibus. (*e*)

Quotuplex sit Jurisd.

Dividitur primo jurisdictio in *voluntariam*: et *contentio-*

(*a*) *Leg.* 3. *cod. de jurisd.*
(*b*) *Leg.* 3. *ff de jurisd.*
(*c*) *Leg.* 3. *ff. de jurisd. leg.* 2. *eod. leg. fin. ff. de off. ejus cui mand. est. jurisd.*
(*d*) Canc. *var.* 2. *cap.* 2. *n.* 45. *cum seqq*, *Signanterq. n.* 67.
(*e*) *Leg.* 12 *ff de jurisd.*

sam. Jurisdictio *voluntaria* est, quæ tantum inter volentes exercetur; et ad eam pertinent adoptio, manumissio, emancipatio, tutoris datio, decretum in alienatione prædii minoris, insinuatio donationis, legitimatio, et similia. (*a*) *Contentiosa* est, quæ solum exercetur in judicio inter invitos, et contendentes causa cognitione. (*b*)

Alia divisio.

Præterea dividitur in *ordinariam*: et *delegatam*. Jurisdictio *ordinaria* est, quæ competit ratione magistratus, et officio est annexa. *Delegata*, quæ etiam *mandata* dicitur, est, quæ competit alicui ex commissione; et sic beneficio, et mandato alterius: (*c*) Qui primam habet jurisdictionem, appellatur, et est *Judex Ordinarius*; qui verò secundam, *Delegatus*: Inter quos, præter alias, hæ sunt differentiæ, quod ordinarius potest eam alteri committere, et sententiam suam exequi; non ita delegatus, nisi fortè sit Principis. (*d*)

De Actore, et Reo.

DE Judice jam inspectum cum sit; restat, ut de Actore, et Reo agamus.

Actor quis sit.

ACTOR est: *Ille, qui agit*: seu, *qui in judicio actionem intentat, vel proponit contra alium.*

Reus.

Reus verò est: *Ille qui se defendit ab actione contra se proposita per actorem.*

(*a*) *Leg. 2. ff. de off. Procons. leg. 1. ff. de jurisd. §. 2. Inst. de libert. §. 4. inst. quib. ex caus.*

(*b*) *d. Leg. 2. Leg. fin. ff. de jurisd.*

(*c*) *Leg. 5. et 6. ff. de jurisd.*

(*d*) *Leg. 5. ff. de jurisd. leg. unic. cod. qui pro sua jurisd. leg. 15. ff. de re jud. cap. 3. et 28. de off. Jud. deleg. leg. 5. cod. de Jud.*

Qui nequeant Judicio intereſſe.

Non possunt Judicio interesse: *Primò* servus; nam de Jure Civili pro mortuo reputabatur nisi in aliquibus casibus, scilicet, ratione alimentorum relictorum, seu libertatis sibi relictæ; ob favorem utrique, causæ datum, seu quando volebat defendere posseſsionem Domini sui absentis: (*a*) *Item* filius familias, qui absque patris consensu *regulariter* non potest stare in Judicio: (*b*) et aliter institutum judicium reputatur nullum: (*c*) Dixi *regulariter*; nam in aliquibus judiciis est persona habilis, etiam sine consensu patris, ut si est reus: (*d*) Præterea in causis spiritualibus, et beneficialibus: (*e*) In castrensibus, et quasi: (*f*) Et denique, quando non agit nomine suo, sed alieno; potest enim id facere absque patris consensu: (*g*) *Item* furiosus, vel mentecaptus; nam carent sensu, et intellectu, ideo nullum negotium contrahere possunt; sed remedium est, quod à Judice assignetur eis curator: (*h*) *Item* minor vigintiquinque annis *regulariter* non potest in judicio interesse, nisi cum curatoris auctoritate; nam inviti adolescentes coguntur ad lites curatorem accipere, ne judicium reddatur eluſorium: (*i*) Cum tutore autem, seu curatore potest in judicio stare: (*k*) Imò in aliquibus causis etiam sine curatore; ut in causis possessorii: (*l*) In causis beneficialibus, spiritualibus, et ma-

(*a*) *Ll. 6. et 7. cod. de Jud.*
(*b*) *Cap. 3. in fin. de Jud. in 6.*
(*c*) *Leg. 8. in princ. cod. de bon. quæ lib.*
(*d*) *Ll. 9. 13. et 39. ff. de oblig.*
(*e*) *Cap. 3. de Jud. in 6.*
(*f*) *Leg. 4. ff. de Jud.*
(*g*) *Cap. 5. §. 1. de procur. in 6.*
(*h*) *Leg. 1. cod. de cur. furios.*
(*i*) §. Item 2. *inſt. de curat.*
(*k*) *Leg. 2. cod. qui leg. pers. ſtand.*
(*l*) *Leg. fin. cod. qui leg. pers.*

matrimonialibus, dummodo sit major quatuordecim annis: (*a*) *Item* Monachus, et quilibet regularis professus nequit in judicio interesse, nisi cum consensu sui superioris: (*b*) Quia sui juris non est; et nec velle, nec nolle habet: (*c*) *Item* excommunicatus et bannitus non possunt in judicio stare agendo; sed bené possunt venire ad defensionem, et citari: (*d*) *Item* gestor negotiorum; cum distinctione; nam, aut est de conjunctis, ut pater, aut extraneus. Si de conjunctis est, potest in judicio interesse agendo: Si verò de extraneis, non potest judicio interesse, sed solum venire ad defensionem; quia nemo potest actionem alterius intentare sine mandato, nisi de conjunctis sit (*e*) *Denique* mulieres, neque enim expedit, neque cogi possunt comparère *personaliter* in judicio. (*f*)

Ordo Judicialis.

Acta Civilium Judiciorum, seu ordo, qui servatur in judicio sequens est: *Primo*, quod actor adeat Judicem competentem: *Item* quod citetur reus ad judicium, et proclametur ejus defensio: *Item*, quod offeratur libellus judici, et per hunc ei, qui ad judicium vocatur: *Item*, quod recusetur Judex forsan suspectus; quia periculosum est, et tristes sortiri solet eventus sub Judice litigare suspecto: *Item*, quod satisdetur á reis suspectis, et caveatur à Procuratoribus de ratum habendo, et ab aliis, qui pro aliis agunt, vel eos defendunt: *Item*, quod conteſtetur lis: *Item* libello oblato, juretur de calumnia; statuantur termini ad probandum; fiant positiones, et responsiones; producantur attestationes testium, et proba-

(*a*) *Cap.* 3. *de Jud. in* 6. *cap.* ex parte 19. *de rest. spol.*
(*b*) Can. Monachi 35 *caus.* 16. *q.* 1.
(*c*) *Cap.* si Religiosus 27. *de elec. in* 6.
(*d*) *Cap.* 7. *de Jud. cap.* 5. *de excep. cap.* 1. *de rescrip. in* 6.
(*e*) *Tit. inst. de iis, per quos agere possumus.*
(*f*) *Cap.* 2. *de Jud. in* 6. *leg. fin. cod. de recep. arb.*

tiones; edantur instrumenta in causa; ferantur sententiæ interloquutoria, et diffinitiva; appelletur à sententia, si qua partium sentiat se gravatam; et tandem exequutioni mandetur sententia: de quibus omnibus breviter per ordinem tractabitur, cum in materia judiciorum nihil certum Notariis describi possit, experientia docente, non servari in omnibus Tribunalibus unum, eumdemque stilum.

Actor quid debeat facere.

Actor debet adire Judicem competentem, id est, habentem jurisdictionem ordinariam, vel delegatam in foro rei; nam actor forum rei, et non reus actoris forum sequi debet. (*a*)

De Rei Citatione.

Rei citatio

REI citacio est: *Ipsum vocare, ut veniat in jus coram Judice responsurus*; Est enim citatio rei necessaria, ut merita causarum partium assertione pandantur.

Quot modis fiat.

Duobus modis fit citatio; videlicet: *Per nuntium*; et *per edictum*. Citatio *per nuntium* fit, cum Judex mittit nuntium, viatorem, seu apparitorem, per quem reo, aut verbo, aut in scriptis significare facit, ut certo die in Judicio compareat, exprimendo causam. (*b*) *Per edictum*; id est, per proclamam, sive per edictum in loco publico affixum: et fit solum, quando, aut reus est incertus, aut non potest aliter citari. (*c*)

Qui possit citare.

Citare, seu vocare in jus possunt illi, qui in judicio interesse agendo possunt: Ideoque omnes citare possunt, qui non comprehenduntur sub eis, quos diximus supra in judicio activè intervenire non posse.

Cita-

(*a*) *Leg. 2. et. 5. cod. de jurisd. cap. 5. et. 8. x. de for. comp.*
(*b*) *Juxta cap. 2. de dilat.*
(*c*) *Juxta clem. 1. de Jud.*

Citari verò posſunt omnes, qui in judicio intereſse ſe defendendo poſſunt. Qui citari poſſint.

NOTA. Tam actor quam reus poſſunt in judicio per Procuratorem exiſtere; nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. (a)

De Libelli Oblatione.

LIbellus eſt: *Parvus liber, ſeu modica, aut brevis ſcriptura intentionem actoris continens, cauſam agendi denotans, et futuræ litis ſpeciem demonſtrans*; Et licet libellus appelletur *parvus liber*; nihilominus continet totam actoris intentionem, id eſt, quod actor intendit; et demonſtratur per libellum lis futura. Libellus.

Offerri debet libellus, poſtquam reus eſt citatus, et antequam lis conteſtetur; nam ante rei citationem, et poſt litis conteſtationem libellus offerri non debet; et offertur per actorem Judici, et per hunc reo, vel ejus procuratori, vel alio comparenti pro ipſo reo citato. Hodie habetur libellus pro oblato, á die, quo litteræ citatoriæ reproducuntur in proceſſu; siquidem in illis inſeritur prima petitio, sive introductoria. Quâdo, per quem, et cui offerri debeat libellus.

Datur libellus duabus de causis: 1. Ut conſtare poſſit, qua de re agatur: 2. Ut reus deliberet, an velit contendere, aut cedere. Ad quid detur libellus.

Sex ſunt neceſsaria in quolibet libello: 1. Quod nomen actoris determinatum, et declaratum sit; sive agat nomine ſuo, sive alieno; nam ſemper concipitur libellus in agentis perſona: 2. Quod appareat determinatum rei citati nomen: 3. Quod exprimatur, Quæ in eo requirantur.

(a) *Inſtit. de iis, per quos agere poſſumus.*

tur res, quæ petitur, benè declarata: 4. Quod apponatur causa; sive sit venditionis, sive locationis &c. 5. Quod videatur, qua actione agitur sive ex empto, sive ex vendito, locato, conducto &c. Sed hoc, de consuetudine, regulariter non servatur; quia per causam demonstratur actio, cum difficile esset procuratoribus explorare actionem actori competentem: 6. Quod constet conclusio; sed sufficit concludere in libello, salvo jure addendi, vel minuendi, quæ omnia probare intendit actor omni meliori modo, et via, qua melius de jure poterit.

NOTA. In præsenti Cathaloniæ Principatu totus processus est libellus, quo ad additionem, seu detractionem; non autem quo ad mutationem actionis. (*a*)

De Judicis Recusatione.

Qui possit Judices recusare.

POssunt Judicem recusare reus conventus, sive suo nomine, sive alieno; veluti tutor, curator, procurator, vel sindicus: Alii autem dicunt, quod actor etiam potest recusare Judicem; nam periculosum est sub Judice litigare suspecto: Alii verò dicunt quod non, si Judex est delegatus ad postulationem actoris, cui est datus Judex in specie, et non in genere; nam ipsi actori debet imputari.

Qui recusari possint.

Recusari potest Judex delegatus, vel subdelegatus sive in causa temporali, sive spirituali, exprimendo suspicionis causam; ut quia Judex est inimicus reo, vel quia sit adversæ parti affinitate conjunctus; quod debet reus probare: Ordinarius autem Judex non recusatur, cum jurisdictionem ordinariam habeat super

(*a*) Peguera *in prax. rub.* 8.: *et* Ripoll *in add. ubi de his omnib. requisit.*

per reo; quod intellige de Jure Civili. (*a*) Jure verò Canonico, et Municipali, potest quilibet Judex, tam delegatus, quam ordinarius, ut suspectus, recusari: (*b*) Causæ verò suspicionis sunt proponendæ coram ipso Judice; et decidendæ sunt coram arbitris à partibus electis. (*c*)

Recusatio quo tempore sit facienda.

Facienda est Judicis recusatio, antequam lis contestetur, intra terminum à lege præfixum, sive in principio litis, sicut alia impedientia litis ingressum: (*d*) Nam si ea non proponeretur statim, videretur pars ei renuntiasse; et consensisse in Judicem: nisi post litem contestatam emergat de novo causa suspicionis; aut ea tunc primum sciatur. (*e*)

Ejus effectus.

Virtus, et effectus Judicis recusationis est: Quod Judex non habet amplius potestatem contra reum, et nequit amplius in causa de eo cognoscere; nam potestas, et auctoritas ejus, quam habebat, extincta fuit, ac suspensa. (*f*)

De Exceptionibus.

Exceptio.

EXceptio est: *Actionis exclusio*: Solet frequentius actioni opponi ad excludendum id, quod in intentionem, vel condemnationem deductum est; ita quod desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam. (*g*)

Quotuplex sit.

Triplex est exceptio: 1. Declinatoria fori, seu Judicii

(*a*) *Leg.* 16. *et* 18. *cum Auth. Si* vero, *cod. de Jud.*
(*b*) *Cap.* 4. *de For. comp. cap.* 61. *de appell.*
(*c*) *CC.* 1. 2. 8. *et* 10. *tit. de recusacio de tots Juiges, lib.* 3. *Const. Cath.*
(*d*) *Leg. fin. cod. de excep.* Peguera *in prax. rub.* 9.
(*e*) *Cap.* Pastoralis 4. *de excep.*
(*f*) *Glos. in Can.* Quoties 15. *caus.* 2. *q.* 6.
(*g*) *Inst. de excep. in princ.*

dicii: 2. Dilatoria solutionis: 3. Peremptoria. *Declinatoria Judicii* est illa, per quam Judicis audientia recusatur; ut si te convenio coram Judice incompetenti, et tu opponis exceptionem fori declinatoriam; quod solet fieri ante litis contestationem: *Dilatoria solutionis* est, quæ ad tempus nocet, et temporis dilationem tribuit; ut si est pactum conventum, ne intra certum tempus ageretur, veluti intra quadriennium; impeditur actori rem exequi intra dictum tempus, et reus habet exceptionem dilatoriam, quæ est opponenda ante litis contestationem, vel cum ipsa contestatione: *Peremptoria* est, quæ semper agentibus obstat, et semper rem, de qua agitur perimit; qualis est exceptio pacti de non petendo ad imperpetuum, doli mali, non numeratæ pecuniæ, rei judicatæ, juris jurandi, et transactionis; quæ etiam opponi potest ante litem contestatam, vel cum ipsa contestatione, et etiam aliquoties post latam sententiam. (*a*)

De Satisdationibus, quæ in Judicio præstantur.

Satisdatio quid sits

SAtisdatio est: *Securitatis cum fidejussoribus præstatio* nam ille, qui petit satisdationem de rato, petit sibi dari bonos, ratos, et idoneos fidejussores.

Cautio.

Cautio est: *Securitatis solis verbis præstatio*; nam, qui promittunt cavère, solum promittunt securum facere nudis verbis.

Qui debeat præstare securitatem.

Securitatem præstare tenetur aliquoties actor reo, sed regulariter reus actori: aliquoties procurator actoris reo; è contra. Et in quibus casibus ad id teneantur,

(*a*) *Inst. de excep.*

tur, videri poterit præcipuè *Tit. Instit. de satisdationibus*; Cum hoc magis scire spectet ad Juris Consultos, quam ad Tabelliones.

De Litis Contestatione.

Litis contestatio quomodo fiat.

LItis contestatio, seu litis, sive judicii efformatio fit, cum proposita actione ab actore, reus eidem respondendo negat in libello contenta: et ideo dicitur fieri per affirmationem unius, hoc est, actoris; et per negationem alterius, hoc est, rei, nam regulariter ita formantur judicia, videlicet, affirmante actore, et reo negante eandem rem: et cum hoc factum est, dicitur lis jam *contestata*, hoc est, jam tunc incipit esse formata lis. Antiquitus hæc contestatio erat omninó necessaria, adeo ut ea omissa, processus, et sententia essent nulla: (*a*) Postmodum cœpit ommitti in judiciis summariis, dummodo aliundè constaret de meritis causæ: (*b*) Et per nostram Cathaloniæ constitutionem effectum est, ut non requiratur expressa litis contestatio, sed sufficiat tacita, quæ inducitur per dictam const.: (*c*) Qua cavetur litem haberi pro contestata per primum actum post libelli oblationem; quæ, ut dictum est, fit reproductione litterarum in processu. (*d*)

NOTA. Si per reum contestetur lis coram Judice incompetenti, id est, qui non habet super eo jurisdictionem; videtur illam prorrogare, et sic tenetur judicio stare post litis contestationem.

(*a*) *Leg.* 1. *et auth.* offeratur *cod. de litis cont. cap. un x. eod. tit.*
(*b*) *Clem.* 2. *de verb. signif.*
(*c*) *Const.* 1. *tit.* 13. *de dilacions lib.* 3.
(*d*) Peguera, *et quos ipse citat ex nostris in prax. rub.* 11.

De Sacramento, idest, Juramento calumniæ.

Juramentū calumniæ quid sit.

JUramentum Calumniæ est; *Cum quis bona fide, et non calumniandi animo velle agere, vel desistere jurat*; Nam qui jurat de calumnia, debet fidelitèr, justè, et non calumniosè agere, vel se defendere.

Hujus Sacramenti capitula continentur in sequentibus Carminibus.

Illud juretur, quod Lis sibi justa videtur;
Nil promittetur, ut falsa sententia detur;
Et si quæretur verum; non inficietur;
Ut Lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Qui posſ. de calumnia jurare

Posſunt de calumnia jurare omnes, qui in judicio activè, vel passivè stare posſunt.

Calumnia quid sit.

Calumnia est: *Injusta petitio, vel responsio*; veluti fallacia, quæ est falsificationis nota; ut quando quis injustè aliquem calumniatur.

Calumniator.

Calumniator verò est: *Ille, qui in falso crimine scienter intercedit.*

NOTA In causa spirituali non juratur de calumnia: (*a*) Quod tamen correctum est *per* BONIFACIUM VIII. *in cap.* 1. §. *fin de juram. calumn. in* 6. Ideo nunc in omnibus causis juratur de calumnia: Consonat etiam Jus nostrum municipale *in Usat. et Constit.* 1. *de Jurament. de calumnia*: *adde tit. cod. de Jurejur. prop. calum.*

NOTA. Sacramentum calumniæ præstatur oblato libello, et dilatione concessa: Saltem lite contestata.

DE

(*a*) *Cap.* 2. *de Juram. Calum.*

De Dilationibus, seu terminis in Judicio dandis.

Dilatio est: *Justum temporis intervallum, quod litigantibus conceditur ad aliquem actum judicialem commodius exercendum.* Dilatio.

Dilationes autem; aliæ sunt *citatoriæ*: quæ reis dantur ad comparendum in judicio, atque in ipsis litteris, juxta Curiæ stilum exprimi solent: aliæ sunt *deliberatoriæ*, quæ olim dabantur reis citatis, ut interim possent ipsi deliberare, an sibi expediret litigare, seu potius liti cedere: Sed hodie non sunt in usu; nam cum in litteris citatoriis jam inseratur petitio actoris, et insuper petitio semper contineat motiva, seu fundamenta actionis intentatæ; ideo visis litteris, jam potest reus deliberare, et sola dilatione citatoria contentus esse: Aliæ denique sunt *probatoriæ*; de quibus hic est sermo; et sunt, quæ conceduntur actoribus ad probandam suam intentionem, et reis ad eam repellendam. Species dilationum.

Has dilationes concedere spectat ad Judicem; qui, attentis circunstantiis negotii, loci, temporis, et personarum; unam, aut plures; breviorem, aut longiorem concedit: (a) Imó post primam posse etiam à Judice concedi ex causa, secundam, et tertiam dilationem, et nonnumquam etiam quartam, quam vocant *juratoriam*, propterea quod eam præcedere debet juramentum, quod non animo differendi, sed Justitiam suam manifestandi eam pars petat; traditur *in Auth.* At qui semel, *Cod. de prob. cap.* 15. *et* 55. *x. de testibus:* Qui concedere possit dilationes.

(a) *Cap.* 1. *de dilat. leg.* 1. *cod. eod. leg.* 7. *ff. de feriis.*

NOTA. Olim per constitutiones Cathaloniæ, de quibus latè *Peguera*, (*a*) certi dies erant constituti, seu dati, tam actori quam reo ad probandum: Verum hodie omnes hæ dilationes sunt arbitrariæ, hoc est, positæ in arbitrio Judicis, qui eas, pro ut ipsi justum videtur, concedit. (*b*)

De Interrogationibus, et Responsionibus, quæ fiunt post litem contestatam.

INterdum ab actore, sive reo offeruntur articuli, aut positiones, super quibus postulatur, ut adversarius respondeat personaliter; hoc enim modo, si confitetur, relevatur ab onere probandi, cum confessio partis dicatur *probatio probata*, et sit instar sententiæ: (*c*) Et pars cogi potest à Judice, ut respondeat positionibus, (*d*) dummodo contineant merum factum, et tale, de quo possit pars habère notitiam: antequam autem respondeat personaliter, præstare tenetur juramentum de veritate dicenda: et postea responsiones faciet per verba *credo*; aut, *non credo*, juxta stilum: De his, et alis in hac materia vide *Peguera*. (*e*)

Confessio quid sit.

Confessio est: *Certa, et clara asseveratio ejus, de quo quæritur in Jure, coram legitimo Judice facta*; Nam si obscurè, aut de alia re, de qua non fuit interro-

(*a*) Peg. *in praxi rub.* 14.
(*b*) *Cap.* 7. *Reg. prag.* vulgò *Nueva planta* Philip. V. *an* 1716.
(*c*) *Leg.* 1. *ff. de confes. leg. nn. cod. eod.*
(*d*) *Cap.* 1. *et* 2. *de confes. in* 6.
(*e*) Peg. *in prax. rub.* 13. *n.* 15. *et seqq.*

terrogatus, et coram illegitimo Judice declararet, ad nihil prodesset confessio: (*a*) Valèret tamen tanquam confessio extrajudicialis. (*b*)

Quæ requirantur ut confessio præjudicet.

Multa sunt necessaria, ut confessio noceat, et præjudicet confitenti; ut sunt, quæ his duobus versibus continentur.

Major, Sponte, Sciens, contra se, ubi jus sit, et hostis.

Nec natura, reique favor, non jusve repugnet.

Explicatio versuum.

Hoc est: qui confitetur, debet esse *major*: debet confiteri *spontè*, non coactus: debet esse *sciens*, seu habére scientiam rei, de qua interrogatur, seu quam confitetur: Confessio debet esse *contra se*; nam pro se non probat: *Ubi Jus*; hoc est, in Jure, seu coram Judice: *Et hostis*; hoc est, presente adversario: *Nec natura* &c. Ideſt, quod neque sit contra naturam, nec contra jus, aut causam favorabilem. (*c*)

De Probationibus.

Probatio.

PRobatio est: *Rei dubiæ per argumenta, vel per fidem legitimam Judici facta ostentio*; Probatio enim fieri debet de re dubia, quia indubia non indiget probatione, et fit aliquatenus per argumenta, vel fidem legitimam Judici, qui debet cognoscere, et pronuntiare.

Species probationum.

Species probationum quinque sunt; nam quandoque fit *per testes*: quandoque *per instrumenta*: quandoque *per præsumptionem*: quandoque *per tormenta*: et demum *per confessionem adversarii*, quæ est plena

(*a*) *Cap. 4. de Jud.*
(*b*) Engel. *ad tit. de confes. n. 14.*
(*c*) *Glos. ad leg. un cod. de confes.*

na probatio; nam in jure melior probatio non eſt, quam adverſarii confeſsio, exceptis casibus ſupra expreſsis.

Onus probandi cui incumbat.

Regulariter incumbit onus probandi actori; quia certa eſt juris regula, quod: *Actore non probante, reus est absolvendus*: (*a*) Præterea quia ſemper onus probandi incumbit ei, qui aliquid affirmat, cum negatio, *quatenus negatio est*, probari non poſsit: (*b*) Quod si ille, qui affirmat, habeat præſumtionem juris pro ſe, rejicit onus probandi in adverſarium: (*c*) Dixi negationem probari non poſse, *quatenus negatio est*; nam si, præter negationem, contineat tacitè, vel indirectè aliquam afirmationem, hæc probanda erit; v. g. Si dico, Titium non potuiſse teſtari, tacitè affirmo ei obſtare aliquod inpedimentum, quod debeo probare. (*d*)

NOTA. Probatio debet fieri, lite conteſtata, et dilationibus datis; quia ad effectum probationis conceditur dilatio. (*e*)

De Testibus.

Officium producentis teſtes, ac teſtis officium.

TEstes producentis officium eſt: Quod faciat teſtes citari; nam teſtis ſponte ſe offerens, pro ſuſpecto habetur: (*f*) Teſtis verò citati officium eſt, quod debet præſtare juramentum de veritate dicenda, nulla mixta falsitate, tam pro una parte, quam pro alia, remoto odio, amore, timore, prece, vel pretio,

(*a*) *Leg. 4. cod. de eden.*
(*b*) *Leg. 8. et 23. cod. de prob.*
(*c*) *Leg. 2. cod. de prob. cap. 2. de reſt. ſpol. in 6.*
(*d*) *Leg. 5. ff de probat.*
(*e*) *Tit. decretal. ut lite non conteſt.*
(*f*) Peguera *in prax rub. 18. n. 3.*

tio, lucro, vel damno; id est, quod nihil speret pro dicto suo. (a)

Possunt testes esse omnes, qui non habent aliquod Juris impedimentum. Qui poss. testes esse.

Habent autem Juris impedimentum: Precipuè impubes; nam nequit juramentum prestare: (b) Hoc intellige, tam in Civilibus, quam in Criminalibus causis, et tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus: (c) Sed pubes benè potest declarare in causis Civilibus, et testis esse in contractibus, ultimis voluntatibus, &c. Sed in criminibus causis debet esse major viginti annorum; quia ob gravitatem materiæ, major requiritur deliberatio, et firmior cognitio; sed in aliquibus casibus testis esse, interrogari, et torqueri potest, dummodo sit doli capax: (d) *Item* Servus, dum est in servitute: Patronus contra Servum: Incarceratus: infamis; quia consideratur affectus, si non subsequeretur effectus: Condemnatus de falso testimonio; quia qui semel est malus, semper malus præsumitur: Hæreticus, qui non credit in Sanctam Catholicam Fidem: Pater pro filio; et è contra; propter præsumptam affectionem, nisi in casibus in jure expressis: Domesticus, propter suspicionem; nisi in causa homicidii, seu furti in domo Domini commissi: Exequutores negotiorum; ut tutores, curatores, procuratores, et alii; etiam propter suspicionem: Advocatus in eadem causa; ut evadant nomen corrupti testis: Socius ejusdem criminis: (e) Feminæ, spectato Jure Civili, testes esse Qui nequeant.

poss-

(a) *Leg.* 9. *cod. de testib. cap.* 5. *eod. tit. usatic.* Quoniam 4. *tit de testimonis.*

(b) *Can.* 14. *et* 15 *caus.* 22. *quæst* 5. *leg.* 4. *ff. de in litem jur.*

(c) *Leg.* 3 §. 5. *leg.* 19. *ff. de testib.* §. 6. *inst. de testam.*

(d) *Leg.* 20. *ff. de testibus.*

(e) *Leg.* 3. 9 10. 13. 25. *et passim ff. de testib. leg.* 21. *cod. de hæreticis adde usatic.* Pater. 9. *tit. de testimonis.*

posſunt in causis, tum Civilibus, tum Criminalibus: (*a*) Excepto tamen teſtamento: (*b*) De Jure tamen Canonico, quidquid sit, an posſint eſse teſtes in minimis, et Causis Civilibus; tamen teſtes eſse non posſunt in criminalibus, et arduis: (*c*) Et generaliter tene; posſe eſse teſtes, omnes, qui à lege prohibiti non ſunt. (*d*)

NOTA. Duo ſpecialia de Jure Cathaloniæ: 1. Quod nemo, sive maſculus, sive femina poteſt eſse teſtis, nisi compleverit quatuordecim annos: (*e*) 2. Quod ſuper uno articulo in Civilibus causis, non posſunt recipi plus, quam decem teſtes. (*f*)

NOTA.

Propositum ordinem inſequendo, de Inſtrumentis *incumbebat hic pertractare: ſed cum in proœmio hujus operis de eis dictum sit; ad ſententiam deveniendum erit.*

De Sententiis.

Sententia. EST igitur ſententia: *Quodcumque judicantis præceptum, non naturæ, non Juri, non bonis moribus contrarium*; nam Judex debet pronuntiare ſecundum

(*a*) *Leg.* 18. *ff. de teſtibus.*
(*b*) §. 6. *inſtit. de teſtam.*
(*c*) *Cap.* 3. *de teſtib. cap.* 2. *de Jud. in* 6. *Can.* ex eo 2. *caus.* 15. *q.* 3. *Can.* Mulierem 17. *caus.* 33. *q.* 5. *cap.* Forus 10. *de verb. ſign.*
(*d*) *Leg.* 1. *ff. de teſtibus.*
(*e*) *Uſat.* nullus homo *lib.* 3. *tit.* 15. *de teſtimonis.*
(*f*) *Conſtit.* 1. *dict. tit. de teſtimonis.*

dum naturam, et bonos mores: alias ſententia eſset nullius momenti. (*a*)

Duplex eſt ſententia: *Interloquutoria* ſcilicet: et *Definitiva*. Sententia *Interloquutoria* eſt, quæ ſuper incidenti aliquo, ſeu quæſtione emergenti fertur; ut puta: Si dilatio expiravit, vel non: Si proceſsus sit comunicandus, vel non &c. *Definitiva* eſt illa, quæ controversiis finem Judicis pronuntiatione imponit; quod, vel condemnatione, vel abſolutione contingit, quia definitiva decidit principale negotium, et fertur, lite conteſtata, ac Judex, qui eam tulit, revocare ipſam non poteſt, quia sive benè, sive malè, functus eſt ſuo officio: Secus in ſententia interloquutoria, quam ipſe Judex mutare non prohibetur. (*b*) Quotuplex sit.

In forma cujuslibet ſententiæ varia ſunt requisita; quorum, *alia* pertinent ad ſolemnitatem; *alia* ad juſtitiam ipsius. *Primi generis* ſunt: 1. Quod feratur in ſcriptis; (*c*) excepto certo caſu: (*d*) 2. Quod feratur à Judice non ſtante, ſed ſedente pro tribunali: et de die, non de nocte: (*e*) 3; Quod in ordinario loco Judicii, et partibus præſentibus, nisi contumaciter ſe abſentent: (*f*) 4. Quod exprimantur motiva, aut non; (*g*) et similia: in quibus tamen potius ſtilus Curiæ, et mos regionis eſt attendendus, quam Jus ſcriptum. *Secundi generis* ſunt: 1. Quod ſententia sit conformis Quæ requirantur in illius forma.

(*a*) *Princ. tit. inſt. de off. Jud.*
(*b*) *Leg. 55. ff. de re jud. leg. 2. cod. de ſent. ex peric. recit. Can. 6. caus. 6. q. 4. cap. 9. de off. Jud. deleg. leg. 14. ff. de re jud.*
(*c*) *Leg. 1. et. 3. cod. de ſent. ex peric. recit.*
(*d*) *Cap. fin. x. de ſent. in 6.*
(*e*) *d. Cap. fin. cap. 24. de off. Jud. deleg.*
(*f*) *Tit. cod. quomod. et quand. Jud.*
(*g*) *Cap. 16. de re jud. Can. 9. dis. 21.*

formis libello; (*a*) 2. Quod sit certa; (*b*) 3. Quod non feratur sub conditione; (*c*) quo pertinet, quod sententia necessario condemnationem, vel absolutionem exprimere debet; (*d*) 4. Quod contra leges lata non sit. (*e*)

NOTA. Ultra prædicta debent apponi publicationes; nam alias sententia nullum operaretur effectum. (*f*)

De Appellationibus, quæ interponuntur, si qua partium se sentit gravatam à sententia.

Appellatio quid sit.

APpellatio est: *Sententiæ ab inferiori Judice latæ per invocationem majoris Judicis, prætextu erroris, vel iniquitatis, primæ sententiæ facta recisio, vel provocatio*; Nam quando quis appellat, vocat majorem Judicem, ratione erroris, vel iniquitatis, sententiæ contra se per minorem Judicem latæ: et dum pendet appellatio, suspenditur sententiæ exequutio: si quoad utrumque effectum admittitur.

A qua sententia, et intra quod tempus appelletur.

Appellatur de Jure Civili à sententia definita, non autem interloquutoria: (*g*) Secus de Jure Canonico; nam ab omni sententia, et gravamine appellatur (*h*) tempus verò ad appellandum sunt decem dies, qui cur-

(*a*) *Leg. fin. cod. de fidei comm. libert. leg.* 18. *ff. comm. divid. cap.* 24. *de accusat. Clem.* 2. *de verb. signif.*
(*b*) §. Curare 32. *instit. de action. tit cod. de senten. quæ sine certa quant.*
(*c*) *Leg.* 1. §. 5. *ff. quando apell. Can.* 29. *caus.* 2. *q.* 6.
(*d*) *Leg.* 3. *cod. de sent. et. interl. omn. Jud.*
(*e*) *Princ. tit. Inst. de off. Jud. cap.* 1. *de sent.*
(*f*) *Tit. cod de sent. ex peric. recit.*
(*g*) *Leg.* 2. *cod. de Episc. aud. leg.* 7. *quor. appell. non recip.*
(*h*) *Cap.* 11. 12. 59. *de appell.*

currunt à die recitationis, publicationis, et scientiæ (*a*), quibus concordat jus noſtrum municipale. (*b*)

Effectus appellationis eſt; Quod, pendente appellatione nihil debet innovari, nec aliquid novi fieri, nec debet procedi in cauſa principali. (*c*) Appellationis effectus

De Exequutione rei Judicatæ.

Lata Sententia debet ipſa execuutioni mandari; cujus præcepta pauca hic delibare ſufficiet.

EXequutio itaque ſententiæ eſt: *Quidam actus, per quem ſententiæ latæ vigor producitur ad effectum*; et fit exequutio à Judice ordinario, vel Deputato ad exequutiones. Exequutio rei judicatæ quid ſit.

Sententia exequutioni mandatur, elapſo tamen tempore ad appellandum præfixo. Quo temp. exequutio mandetur.

Virtus, et effectus exequutionis eſt: Quod præbet ſententiæ vigorem, cum alias nullm habeat, niſi per exequutionem rei judicatæ; et incontinenti, exequutione facta, transfertur dominium in accipientem. Effectus exequutionis.

De ritu, modo, et forma, ac ordine ſervando in exequutionibus ſententiarum *vide noſtrum* Peguera *in praxi Reg. Aud. rub.* 29. *et famoſam leg. à Divo Pio* 15. *ff de re jud.*

(*a*) *Auth.* hodie *cod. de appell. cap.* 15. *de ſent. et re jud. cap.* 8. *de appell. in* 6.
(*b*) *Conſtit.* 4 *lib.* 7 *tit.* 6. *de appellacions.*
(*c*) *Leg. un. ff. nihil innov. appell. pend.*

TRACTATUS DE LAUDEMIIS FATICIS, ET AMORTISATIONIBUS.

CUM Laudemiorum materia obscura videri soleat Artis Notariæ Tyronibus; de iis tractare studui breviori modo, et clariori, quo potero, ut quilibet sine magno labore maturius ad eorum cognitionem perduci possit: Ac prius hic transcribendam esse censui sententiam arbitralem inter Dominum Regem Jacobum II. et Vener. Episcopum Valentinum promulgatam pridie Kalendas Novembris 1310. quæ est in volum. 2. Constit. Cath. lib. 4. tit. 12. cap. 1. tamquam fundamentum in hac Civitate Barchinonæ, et ejus hortis, et vineto super laudemiorum solutione.

SENTENTIA ARBITRALIS.

CUM inter Vener. Episcopum, et Capitulum Ecclesiæ Barchinonæ, et reliquas Personas Ecclesiasticas habentes censualia, seu possessiones in Civitate Barchinonæ, et ejus suburbiis, ac in Hortis, et Vineto ejusdem, ex una parte; et Universitatem venerabilium Civium Barch. ex altera, instigante humani generis inimico, qui à principio suæ ruinæ conatur rescindere unitatem, atque charitatem multipliciter

pliciter vulnerare, et sanctorum operum dulcedinem invidiæ felle inficere; et multis modis humanum genus evertere, et turbare; gravis, et periculosa esset discordia susitata, et diutius agitata super quantitate laudemii provenientis, et provenire debentis de venditionibus, et aliis alienationibus honorum, et censualium, seu possessionum qui, et quæ tenentur ab Ecclesia, seu prædictis Ecclesiasticis Personis in prædicta Civitate, et ejus suburbiis, et in hortis, et vineto prædictis; præfatis Personis Ecclesiasticis asserentibus, tertiam partem totius pretii prædictarum venditionum, seu alienationum, ubi emphyteota immediatus vendebat, seu alienabat; ubi verò inferior, seu mediatus, quartam prædictæ tertiæ partis sibi debéri pro laudemio, ex consuetudine tanto tempore observata, quod in contrarium hominum memoria non extabat: Prædictis Civibus hæc negantibus, et asserentibus se non tenéri dare, nisi decimam partem prædicti pretii, juxta privilegium, seu statutum dignæ recordationis Domini Regis Petri: Tandem, Rege pacifico ordinante, prædictæ partes cupientes inter se habére pacem, quæ est vinculum charitatis, et litium dispendia evitare, ad exortationem Reverendi Domini Patris Petri, miseratione Divina, Episcopi Prænestini, ad hoc easdem partes de conscientia summi Pontificis exhortantis, compromisserunt concorditer sub hac forma.

In Nomine Domini Nostri Jesu-Christi: Amen, &c.

Nos verò Jacobus Rex prædictus, considerantes regalis benevolentiæ fore proprium subjectorum commoda procurare, et eorum periculis obviare, cum in eorum quiescamus quiete, et foveamur in pace, et simul cum dicto, et Vener. Episcopo Valentino perquisivimus multos modos, et vias, per quas possemus prædictas partes in pace, et concordia renovare;

vare; demum, Divina favente clementia, diversis tractatibus habitis, convenimus nos, et dictus Episcopus concorditer in unam sententiam, ut sequitur. Undè Nos Jacobus Rex præfatus, et R. Episcopus Valentinus dicimus concorditer, et singulariter pronuntiamus pro bono pacis, et concordiæ sub pœna in dicto compromisso adjecta.

Quod de venditionibus, et aliis alienationibus, de quibus recipi laudemium consuevit, honorum, et censualium, seu possessionum qui, et quæ tenentur ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis Personis in dicta Civitate, et ejus suburbiis eidem Civitati proximis, et immediatè contiguis dent, et dare teneantur emphyteotæ, qui prædictas venditiones, seu alienationes facient de his, quæ tenent ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis Personis immediatè, Septimam partem totius pretii, quod revera inde habebitur pro dicto laudemio, et non ultra: Ubi verò emphyteotæ inferiores post immediatum vendiderint, seu alienaverint; tali alienatione, de qua laudemium recipi consuevit, prædictos honores, censualia, seu possessiones in prædicta Civitate, et suburbiis, seu jus sibi competens in eisdem, detur Personis Ecclesiasticis, à quibus dicti honores, censualia, seu possessiones tenentur, tertia pars septimæ partis totius pretii, quod revera inde habebitur, et non ultra.

Quando verò fient venditiones supradictæ, et alienationes extra prædictam Civitatem, et ejus suburbia proxima, et non immediatè contigua; de honoribus, seu possessionibus, qui, et quæ tenentur ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis Personis in hortis, seu vineto ipsius Civitatis, per illum seu illos qui prædicta tenent ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis Personis immediatè, detur ipsis Personis Ecclesiasticis quinta pars totius pretii, quod revera inde habebitur, et

non

non ultra : Si verò dictæ venditiones, seu alienationes fient per emphyteotas inferiores post immediatum in supradictis hortis, et vineto, detur ipsis Personis Ecclesiasticis, à quibus prædicta, quæ vendentur, seu alienabuntur, tenentur, tertia pars quintæ partis totius pretii, quod revera inde habebitur; et non ultra.

Hortos autem, et vinetum extendi declaramus, quantum ptotenduntur limites Ecclesiarum Parochialium dictæ Civitatis, et ejus suburbii, et Parochiæ Sancti Martini de Provensals; et Parochiæ de Sarriano, et Parochiæ de Sans, et non ultra.

De aliis verò hortis, et vineto, qui, et quod infra limites dictarum Ecclesiarum Parochialium minimè includuntur, detur laudemium pro dictis venditionibus, et alienationibus, ut est fieri consuetum, præsenti nostra sententia, seu declaratione in aliquo non obstante.

Adjicientes in præsenti nostra sententia, et declaratione, quod in instrumentis alienationum noviter faciendis, ad tollendum omne dubium, exprimatur quantitas laudemii, quæ debet dari Personis Ecclesiasticis pro dictis venditionibus, et alienationibus juxta dictam nostram pronuntiationem, et declarationem.

In præsenti autem sententia, vel declaratione non intelligimus rusticos, et alios, qui non sunt cives dictæ Civitatis, habentes possessiones in dictis hortis, et vineto; imo inde eosdem excludimus, et excipimus; declarantes, quod dicti rustici, et alii, qui non sunt Cives dictæ Civitatis, habentes possessiones in dictis hortis, et vineto, solvant laudemium, pro ut est fieri consuetum.

Declarantes nihilominus, quod non liceat dictis emphyteotis inducere in possessionem emptores bonorum,

norum, censualium, seu possessionum, qui, et quæ tenentur ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis Personis, nisi prius data fatica triginta dierum, infra quos sit licitum retinère dictis Personis Ecclesiasticis, ubi non est emphyteota medius, vel alteri concedere, etiam ubi est medius emphyteota, rem, quæ ab ipsis tenetur, pro pretio, quod revera à volentibus ad dictam emptionem accedere, inveniretur; et qui contrafecerit, solvat laudemium duplicatum.

Prædictam verò sententiam, seu pronuntiationem non solum extendi volumus ad futura; sed etiam ad venditiones, seu alienationes, de quibus laudemium recipi consuevit, factas de prædictis honoribus, censualibus, seu possessionibus, tam in prædictis Civitate, et suburbiis, quam in hortis, et vineto Parochiarum prædictarum, tempore prædictæ discordiæ suscitatæ seu ante, super quibus non est cum Personis Ecclesiasticis compositum, seu conventum; et in quarum venditionum, seu alienationum instrumentis eædem Personæ Ecclesiasticæ non firmarunt, ita quod dicti emphyteotæ solvant, et solvere teneantur laudemium pro dictis alienationibus jam factis, secundum modum superius expressatum, et Personæ Ecclesiasticæ firment, et firmare teneantur alienationes prædictas: Nec per præsentem sententiam, seu pronuntiationem intendimus pactionalibus instrumentis, in quibus certa quantitas laudemii est expressa, aliquod præjudicium generare, imo ea volumus in suo robore perdurari.

De stabilimentis autem quæ fient de honoribus, et censualibus, qui, et quæ tenentur ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis Personis, tam in Civitate, et suburbiis, quam in hortis, et vinèto dictarum Parochialium; dicimus, et pronuntiamus sub dicta pœna, quod detur Personis Ecclesiasticis, à quibus ipsi honores, censualia

ſualia, ſeu poſſeſſiones tenentur, quarta pars illius quantitatis, quæ emphyteotæ ſtabilienti dabitur pro intrata.

Hanc autem pronuntiationem, sive declarationem pronuntiamus ſub pœna in compromiſſo contenta: Retinémus autem nobis, quod si in præſenti pronuntiatione, ſeu ſententia aliqua dubitatio oriretur, vel eſſet neceſſaria aliqua declaratio, vel interpretatio; quod poſſemus dictam dubitationem, ſententiam, et pronuntiationem declarare quandocumque nobis benevisum fuerit, vel fuerimus à partibus, vel ab earum altera requisiti.

Lata, & lecta, &c.

Laudemium eſt: *Illa pars pretii, vel æſtimationis rei, quæ ad aliam personam transfertur, debita, et ſolvenda Domino directo, juxta Regionis consuetudinem, ratione firmæ, laudamenti, seu subscriptionis alienationis feudi, seu emphyteusis.* Laudemiũ quid ſit.

Illa pars pretii, vel æſtimationis rei; ad denotandum, quod laudemium, nedum debetur ex alienatione facta titulo oneroſo, ſed etiam titulo lucrativo: *Quæ ad aliam personam transfertur*; quia ad hoc ut laudemium debeatur, et exigendum veniat, requiritur realis, et actualis traditio, et non ſufficit ficta traditio, quæ fit per precarium, ſeu clauſulam simplicis conſtituti, cum in rebus feudalibus, et emphyteuticariis actualis poſſeſſio, et detentatio, cum sint quid facti, non transferantur per modum fictum, quale eſt conſtitutum: (a) *Debita, et ſolvenda Domino directo*; nam ei debetur laudemium prætextu calami, firmæ, et ſubscriptionis, sive laudationis, quam facit novo emphyteutæ: *Juxta Regionis consuetudinem*; nam ſuper laudemiorum ſolutione ſervandus eſt mos, Expoſitio.

Tt et

(a) Peguera *in rep. cap.* item ne ſuper *præl.* 3. *num.* 8.

et consuetudo uniuscujusque Regionis, pactis deficientibus; quia consuetudo potest detrahere, aut addere solemnitati Juris Communis, et Municipalis. (*a*)

Unde dicatur. Vocatur autem *Laudemium*; quia Dominus utilis, sive emphyteuta, ãtequam alienet rem, debet vẽditionem significare, aut denuntiare Domino directo (*b*), quod, cum quis facit, dicitur in jure, *Dominum laudare.* (*c*) Sicque laudemium est pars illa pecuniæ, sive pretii, quæ Domino debetur ex laudatione, aut occasione laudationis, sive denuntiationis ipsi factæ de re transferenda. (*d*)

Genera bonorum. Tria sunt genera bonorum; nam alia sunt *alodialia*: alia *feudalia*: alia *emphyteuticaria.*

Alodialia. Bona *alodialia* sunt illa bona, quæ à nemine tenentur, nec recognoscunt superiorem, ita quod ex eis nulli debeantur servitutes personales, aut pecuniariæ.

Alodium. *Alodium* est hereditas, quam quisque illam habens, vendere, aut donare, vel alio quolibet titulo in quemlibet transferre potest; et sic dicitur sua proprietas, ut de illa disponere possit, nullius licentia requisita.

Dominus alodialis. Dominus alodialis est Dominus supremus neminem in ipsa re recognoscens in dominio.

Unde dicatur. Dicitur autem Dominus *alodialis*, et bona sua *alodialia* à particula *ab*, sive *abs*, et verbo *laudare*; quia pro ipsorum adquisitione Dominus non debet alium laudare, sive nominare, aut alteri adquisitionem significare. (*e*)

Feu-

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 28.
(*b*) *Leg.* 3. *cod. de jure emph.*
(*c*) *Leg.* 7. *cod. de eviction.*
(*d*) Font. *decis.* 281. *n.* 11. Peg. *in rep. cap.* Item ne super laud. *præl.* 3.
(*e*) Engel. *ad tit. de feud. n.* 12. De his bonis agitur. *in lib.* 2. *feud. tit.* 54.

Feudalia, et *emphyteuticaria* bona sunt illa, quæ ab alio quis tenet, et in eis superiorem recognoscit, et ea alienare non potest, sine licentia, et consensu Domini superioris, et alodialis, á quo tenetur, et cui recognoscitur. Bona feudalia, et emphyteuticaria.

NOTA. In Cathalonia feudum, sine Domini consensu, obligari, et alienari potest, et valet alienatio; ita, et taliter, quod revocari nequit. (*a*) Sed punitur vasallus aliquibus pœnis, quas notat *Canc.*(*b*)

Feudatarius est: *Ille, qui rem immobilem accipit ad præstandum servitium Domino, à quo rem obtinuit.* Feudatar. quid sit.

Emphyteuta est: *Ille, qui rem immobilem accipit sub certo canone.* Emphiteuta

Duplex est differentia bonorum emphiteuticalium in Civitate Barchinonæ, ac in ejus hortis, et vineto; nam quædam sunt de alodio *Ecclesiæ*, sive *Ecclesiastico*; et quædam de alodio *Laici*, seu *Laicali*; pro ut habetur in Sententia Arbitrali supra inserta. (*c*) Differ. bon. Emphyt. in Civit. Barchinon. hort. et vin.

Alodium *Ecclesiæ* est illud, cujus verus Dominus est Ecclesia, seu Laicus Ecclesiam, aut piam causam repræsentans. Alodium Ecclesiæ.

Alodium *Laici* est illud, cujus verus Dominus est Laicus, sive Ecclesia, aut pia causa Laicum repræsentans. Alodium laici.

Ad hoc ut cognoscatur si alodium est Ecclesiasticum, aut Laicum, inspicitur Dominus directus; et si ex suo origine est Ecclesiæ, aut causæ piæ, alodium est Ecclesiasticum: Sed si ab initio est Laici, tunc alodium Laicum est. Cognitio alodiorũ.

NOTA. Licèt Ecclesia succedat Laico, et Laicus Ecclesiæ post prolationem Sententiæ Arbitralis, proprietas non mutat suam naturam in laudemiorum

(*a*) *Constit. Cath.* Item ne super laud., *quæ est. 2. tit. de dret Emphy.*
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 5., *et seqq.*
(*c*) Sols. *præl.* 1. *n.* 8.

solutione ; quia tunc unus in locum alterius subrogatur, et subrogatus sapit, et habet naturam illius, in cujus locum subrogatur : Unde si Ecclesia succedit Laico post dictam Sententiam, debet recipere laudemium, ut Laicus recipere debet; et similiter, si Laicus Ecclesiæ succedit post dictam Sententiam, laudemium percipiet, ut Ecclesia. (*a*)

Numerus Dominorū in prædiis.

Tam de Jure Communi, quam Cathaloniæ Principatus in quolibet prædio solum potest esse unus Dominus ; excepto in Civitate Barchinonæ, et ejus hortis, et vineto, ubi per usantiam scriptam possunt dari quatuor Domini, nempè, unus directus, et tres medii. (*b*)

Species prædiorū.

Duæ sunt species prædiorum ; nam alia sunt *Urbana*, et alia *Rustica*. *Urbana* dicuntur omnia ædificia habitandi causa facta : *Rustica*, omnia ædificia, non habitandi, sed fructuum reponendorum gratia constructa ; prout supra *in Prima Parte*, *Cap. I. §. de Servitutibus* dictum est.

Ex quibus contractibus laudemium debeatur.

Debetur laudemium, tam de Jure Communi, quam Principatus Cathaloniæ *regulariter* ex omnibus contractibus alienationum : et ex omnibus actibus, ex quibus dominium de uno in alium transfertur, sive titulo *oneroso*, sive *lucrativo* ; nisi quando prædium feudale, seu emphyteuticale titulo lucrativo transit de patre in filium, nepotem, aut alium descendendentem per rectam lineam ; nam tunc non debetur laudemium, cum inter eos non fiat alienatio, sed dominii continuatio. (*c*)

Tituli onerosi.

Tituli *onerosi* sunt : *venditio*, *permutatio*, *insolutumdatio*, *feudum*, *emphyteusis*, et similes, in quibus pecunia, aut aliud pro re datur, vel onus aliquod injun-

(*a*) Sols. *Cell.* 1. *n.* 8. *cum seqq.*
(*b*) Sols. *præl* 2. *n.* 12.
(*c*) Peg. *in rep. cap.* Item ne super laud. *vers.* 1. *à n.* 73.

injungitur adquirenti : *Lucrativi* verò tituli sunt : *donatio*, *legatum*, *heredis institutio*, *substitutio*, *vinculum*, *fideicommissum*, *successio ab intestato*, et similes, quando pro re nihil prorsus datur, neque ex ea onus resultat. Lucrativi.

In Civitate Barchinonæ, et ejus hortis, et vineto, tam Cives, quam forenses, de omnibus contractibus alienationum, ex quibus dominium de uno in alium transfertur titulo oneroso, debent solvere laudemium, ut est expressum in præinserta Sententia Arbitrali. Cives Barchinonæ et forenses solvũt laudemiũ pro titulo oneroso. &c.

Cives, tam in Civitate, quam in ejus hortis, et vineto pro titulis lucrativis non solvunt laudemium, per privilegium Civibus Barchinonæ præcisè concessum, ut non solvant laudemia pro titulis lucrativis in Civitate, nec in ejus hortis, et vineto. (*a*) Pari passu ambulant Forenses, et Rustici cum Civibus in honoribus, et possessionibus quas habent intus Civitatem Barchinonæ, si per ipsos alienentur titulo lucrativo : E contra verò in illis, quas habent in hortis, et vineto, etsi titulo lucrativo alienentur : Ratio potissimum deducitur ex supradicta Sententia Arbitrali; quia cum expressè adstrinxerit Forenses, et Rusticos ad laudemii solutionem ex alienationibus per eos factis de possessionibus existentibus in hortis, et vineto; censentur tacitè exclusi à tali solutione de honoribus sitis intus Civitatem eodem titulo per dictos Forenses distractis, cum inclusio unius sit exclusio alterius, et è contra. Cives Barchinone nõ solvũt laudemiũ pro titulo lucrativo &c. Item forenses de alienatiõe prædiorum intra urbem.

Cives sunt illi, qui intra ambitus murorum Civitatis inhabitant, seu habent suum domicilium : et ultra adverte, quod quicumque Forensis, qui steterit Barcinone per unum annum, et unum diem, habetur pro Cive. (*b*) Cives qui sint.

Rus-

(*a*) *Recognov. Proc. cap.* 1.
(*b*) *Recog. Proc. cap.* 53.

Qui rustici, et forenses.

Rustici, et Forenses sunt illi, qui demorantur extra muros Civitatis, licet habitent in dictis hortis, et vineto; quia non solvunt onera Civitatis, nec officiis, ac honoribus gaudent.

NOTA. De consuetudine illi, qui commorantur in hortis, et vineto Barchinonæ, tractantur uti Cives in laudemiorum solutione.

Hortorum, et vineti extensio.

Horti, et vinetum extenduntur ad limites Ecclesiarum Parochialium Barchinonæ; necnon Sancti Martini de Provensals, Sancti Vincentii de Sarrià, et Sanctæ Mariæ de Sans, et non ultra; pro ut continetur in supra inserta Sententia Arbitrali.

NOTA. Licèt in dicta Sententia fiat mentio suburbiorum Civitatis; nunc verò, cum non existant, quia intra Civitatem clauduntur per constructionem novorum murorum; nihil de suburbiis venit dicendum.

Quantitas solvēda pro laudemio.

De Jure Communi quinquagesima pars pretii, vel valoris rei, quæ ad aliam personam transfertur, sive sit emphyteuticaria, sive feudalis, pro laudemio solvi debet, cum aliud cautum non reperiatur in feudis. (*a*)

In feudi alienatione

Si feudum titulo oneroso alienetur, de Jure Cathaloniæ, tertia pars pretii, (ideo appellatur *tertium*) seu æstimationis rei, quæ ad aliam personam transfertur debet solvi; (*b*) si verò titulo lucrativo, decima pars pretii, seu æstimationis rei, exceptis dumtaxat patre, et matre, ac descendentibus, quia isti laudemium non exsolvunt. (*c*)

In translatione rei emphyteuticæ.

Si res emphyteutica alienetur titulo oneroso, etiam debetur tertia pars pretii, seu æstimationis rei, tam de intrata, quam de censu; (*d*) si verò titulo lucrativo, medium tertium, et medium laudemium,

hoc

(*a*) *Leg. 3. cod. de jur. emph.*
(*b*) *Const. 2. tit. de dret emph.*
(*c*) *d. Const. 2.*
(*d*) Sols. *cell. 9. n. 10. et pass. per tot.*

hoc est, quatuor solidi, et quatuor denarii pro qualibet libra totius rei valoris. (*a*)

In translatione rei per rect. li. nil solvitur

Si res feudalis, et emphyteutica quocumque titulo lucrativo transit de patre in filium, nepotem, aut alium descendentem, vel de filio in patrem, avum, aut alium ascendentem per rectam lineam, non debetur laudemium, cum inter eos non fiat alienatio, sed dominii continuatio; filii enim, vivo patre, quodam modo Domini existimantur; quia ex juris fictione una, et eadem persona patris, et filii reputatur. (*b*)

Neque de fratre in fratem judicio Patris testat.

Nec debetur laudemium, quando feudum, seu emphyteusis transit de fratre in fratrem judicio patris testatoris, scilicet per substitutionem, vinculum, aut fideicommissum; quia tunc succedit patri suo, et non fatri. (*c*)

Medium tertium, et medium laudemiũ quid sint.

Medium tertium est medietas directi tertii, nempe tres solidi, et quatuor denarii pro libra; et medium laudemium est medietas directi laudemii, nimirum, unus solidus pro libra.

Quid solvatur Barchinonæ de alodis Ecclesiæ.

In Civitate Barchinonæ de alodiis Ecclesiæ, quæ venduntur, vel alio titulo oneroso alienantur, septima pars pretii, seu æstimationis rei de prædiis urbanis pro laudemio venit solvenda; et quinta pars de prædiis rusticis, licet alienatio fiat per forenses; quia isti gaudent Civium privilegio in Civitate Barchinonæ, et tractantur uti Cives, vigore supra insertæ Sententiæ Arbitralis: Hoc tamen intellige, si solus est Dominus directus; nam si adsunt Domini medii, unus, aut plures, solvitur ipsi directo tertium septimi, vel tertium quinti tantum, prout inferius in divisione laudemiorum videbitur.

In

(*a*) Canc. *var* 1. *cap.* 11. *num.* 72.
(*b*) Sols. *quæst.* 1. *n.* 2.
(*c*) Sols. *Quæst.* 1. *n.* 8.

Quid in hortis, et vineto.

In hortis autem, et vineto pro ipsis Ecclesiæ alodiis est solvenda quinta pars totius pretii, seu rei æstimationis, si solus est directus; et tertium quinti, si medii unus, aut plures sunt: Hoc tamen intellige, tam de prædiis rusticis, quam urbanis, dummodo alienatio fiat per Cives Barchinonæ, cum in territorio stricto, hoc est, hortis, et vineto, forenses expresse excludantur per relatam Sententiam, et sic recurrendo ad antiquissimam consuetudinem generalem, quæ erat in Cathalonia, et præcipuè in Civitate Barchinonæ, ejusque hortis, et vineto, forenses debent exsolvere tertium simplex.

Discrimen nullum inter prædia urbana, et rustica in hortis, et vineto.

Ratio non faciendæ differentiæ inter prædia urbana, et rustica in hortis, et vineto est; quia regulariter urbana prædia constituuntur in dictis hortis, et vineto inter plura prædia rustica, et ad eorum ornamentum, et sic debent cedere illi, cujus ornamenti gratia fiunt: Sed si prædia urbana nullam inhærentiam haberent cum prædiis rusticis; tunc solveretur septimum, et clausula quinti alteraretur in septimi clausulam, et è contra. (*a*)

NOTA.

Quid solvatur de habilimentis rei Ecclesiæ Barchinonæ.

De stabilimentis prædiorum in Civitate Barchinonæ sitorum, quæ sunt de alodio Ecclesiæ, venit solvenda quarta pars de intrata solummodo, et non de censu cum dominio, sive prædium sit rusticum, sive urbanum, licèt sit factum stabilimentum per forenses, cum isti, ut manet dictum, in Civitate gaudeant privilegio Civium juxta tenorem dictæ Sententiæ Arbitralis; hoc tamen intellige, si solus est directus; si verò sunt medii unus, aut plures, solvitur ipsi directo quarta pars quartæ partis tantum.

Quid in hortis, et vineto.

In Hortis verò, et vineto etiam quarta pars intratæ dumtaxat (non autem de censu cum dominatione) est solvenda, quando directus Dominus Ecclesiaſ-

(*a*) Sols. *cell.* 1. *n.* 44.

fiasticus solus adest; et quarta pars quartæ partis, quando sunt medii unus, vel plures, tam de prædiis rusticis, quam urbanis, dummodo stabilimentum fiat per Cives Barchinonæ: Si autem fiat per forenses, solvitur, vigore dictæ antiquissimæ consuetudinis, tertium simplex, tam de intrata, quam de censu, cum excludantur rustici juxta dictam Sententiam.

Numerus Dominorum Barchinonæ, et in hortis, ac vineto.

Tres possunt esse Domini medii, tam in Civitate Barchinonæ, quam in ejus hortis, et vineto, cum dominatione, sive in nuda perceptione, et de censu, qui imponitur in nuda perceptione post directum, sive ab alio post complementum Dominorum debetur laudemium; juxta mentem *Constit. 5. tit. de Dret Emphyteutich.*

Pœna venditoris possessionem tradentis ante fatiscam.

Si venditor inducit emptorem in possessionem rei, quæ tenetur ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis Personis in Civitate, et hortis, ac vineto ante datam faticam triginta dierum (infra quos est licitum, et permissum Domino alodiali sibi eam retinére, si emphyteuta medius non adsit, aut alteri concedere, prout infra *Tract. de Faticis* videbimus) cadit, juxta Sententiam Arbitralem supra insertam, in pœnam laudemii duplicati.

Rustici quid solvant pro laudem. ex tit. lucrat. in hort. et vin.

Rustici pro titulo lucrativo de prædiis Ecclesiæ, quæ adquirunt in hortis, et vineto, solvere debent medium tertium, et medium laudemium; cum rustici, ut dictum est, expresè excludantur in territorio stricto, hoc est, in hortis, et vineto, et non gaudeant privilegio Civium, non solvendi laudemia in dicto loco de titulis lucrativis; et sic remanentes forenses in antiqua consuetudine, debent solvere dictum medium tertium, et medium laudemium. (*a*)

(*a*) Ripoll. *var. cap. 7. n. 434. cum seqq.* Sols. *cell. 1. n. 2. et 6.*

Quid solvat. de alodis laicorum Barchinonæ; ac in hort. et vinet.

De alodiis Laicorum, quæ venduntur, seu emphyteuticantur, vel alio titulo oneroso alienantur, tam per Civem, quam per Forensem, sive de prædiis urbanis, sive rusticis sitis in Civitate Barchinonæ, et in ejus hortis, et vineto, decima pars pretii, seu æstimationis, et non ultra, pro laudemio est solvenda: Et in tantum est verum, quod Laici, tam intra Civitatem, quam hortos, et vinetum ipsius nequeunt recipere, nisi decimum, et non possunt paciſci, sive de novo stipulari super laudemii solutione ultra, nec citra decimam partem, prohibente Regio Privilegio transferito à *Solsona*. (*a*)

Cives pro tit. lucrat. nil solvunt.

Cives, tam in Civitate, quam in hortis, et vineto non debent solvere laudemium pro rebus adquisitis titulo lucrativo, vigore dicti Privilegii Dom. Regis Petri II. Forenses verò, seu Rustici, cum relatum Privilegium non extendatur ad ipsos, imò excludantur per Sententiam Arbitralem, in hortis, et vineto debent exsolvere medium Laudemium de prædiis Laicorum, quæ in ipsis hortis, et vineto adquirunt. (*b*)

Forenses solvunt.

Quando laicus recipere potest ultra decimum pro laudemio.

Licèt Laicus sit incapax recipiendi ultra decimum in Civitate, ac hortis, et vineto, vigore supradicti Privilegii; tamen aliquoties venit casus, quo potest recipere ultra decimum; nimirum, quando per Rusticum, seu Forensem aliquod venditur, seu alienatur prædium situm in dictis hortis, et vineto, quod tenetur per Ecclesiam in dominatione directa, et per Laicum in dominatione media; nam tali in casu, tertium solvendum dividendum est æqualiter inter Dominum directum, et medium.

Qui solvere debeat laudemiũ.

Tam de Jure Communi, quam Principatus Cathaloniæ, emptor, aut adquisitor regulariter solvere debet

(*a*) Sols. *cell.* 2. *n.* 2. *cum seqq. et cell.* 4. *per tot.*
(*b*) Sols. *cell.* 7. *n.* 30. *cum seqq.*

debet laudemium, nisi aliud sit actum per pactum, vel adsit consuetudo; nam in laudemiorum solutionibus primo judicandum est secundum pacta; postea Regionis consuetudinem; et demum secundum Jus scriptum: (*a*) Quare cum in Civitate Barchinonæ, hortis, et vineto ipsius adsit Privilegium, ideſt Sententia Arbitralis, qua cavétur venditorem, seu alienatorem debére solvere laudemium; hinc fit, quod rejecto Jure Communi, et Municipali, solum illud locale privilegium est attendendum in contractibus onerosis; nam in lucrativis in omni parte solvitur laudemium per adquisitorem.

Quid in Barchin, et in hort. ac vinet.

Licèt ex venditione concepta cum pacto de retrovendendo integrum laudemium debeatur, cum revenditio non sit secunda venditio, sed resolutio primæ venditionis in vim pacti de illa dissolvenda, et sic à principio ex omni parte jam sit perfecta: Attamen, ex consuetudine Barchinonæ, et aliis partibus ex venditione cum dicto pacto solum solvitur medium laudemium, et ex revenditione, sive resolutione aliud medium. (*b*)

Quid observetur in venditionibus instrumento grat.

NOTA. Si venditio non esset facta à principio cum dicto pacto de retrovendendo, sed postea ex intervallo; tunc ex revenditione debetur aliud laudemium, quia non fit vi primæ venditionis, et ex pacto in ea convento, sed vi pacti noviter conventi; quapropter novus contractus est censendus.

NOTA. Si dictum pactum de retrovendendo appositum de redimenda re intra certum tempus ad aliud prorrogatur, ex revenditione facta elapso dicto tempore debetur novum laudemium; quia non fit vi pacti primæ venditionis, sed vi secundi pacti; ac proinde etiam censendus est novus contractus.

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 11. *n.* 77.
(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 11. *n.* 78.

Ex alienatione necesaria non debetur laudemium.

Ex alienatione necesaria non debetur laudemium; exempli gratia: Si duo habent quamdam domum communem, quæ est individua; nam cum sit licitanda, vel uni eorum adjudicanda, si is qui partem habet ex licitatione emat, non tenetur ex illa parte laudemium solvere, quia ex necesitate vendita est, ac empta; Hoc tamen est intelligendum, quando alienatio est necesaria ex parte emptoris, vel illius in quem posesio transfertur per titulum: Ampliatur etiam ista alienatio necesaria, quando creditor recuperat rem venditam ex pacto antecedenti, eo quia emptor, seu posesor desierit exsolvere, aut adimplére quod promisit, et convenit: Item, quando quis est obnoxius vendere favore Religionis, libertatis, ædificiorum, quæ ad decus Urbis fiunt, pacis, aut alterius publicæ utilitatis causa: Attamen si venditio est facta per Judicem ad instantiam alicujus creditoris, licèt ista alienatio dici posit necesaria; nihilominus debetur laudemium de consuetudine, cum non simpliciter necesaria censeatur, imò causetur ex debitis voluntariè contractis per emphyteutam. (*a*)

Ampliatio.

Restrictio.

Ex alienat. prohibita non debet. laudem.

Ex alienatione facta de rebus emphyteuticariis, quæ prohibentur alienari à testatore, vel à lege, non debetur laudemium, cum similes conditiones sint impeditivæ contractus alienationis, et dominii translationis; et sic propter nullitatem, quam ex se habet alienatio, nullum laudemium debetur. (*b*) Nisi illa effectum habeat per longum tempus, et postea anulletur, quo casu exactum non repetitur. (*c*)

De venditione census debetur laudemiũ.

Si venditur census constitutus super re emphyteuticaria, debetur laudemium, nedum Domino directo,

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 11. *n.* 81. *et* 91. Ripoll *Var. cap.* 7. *n.* 274.

(*b*) Canc. *var.* 1. *cap.* 2. *n.* 119. *et cap.* 11. *n* 89. Peg. *in rep. cap.* Item ne super laud. *vers.* 1. *n.* 92.

(*c*) Font. *de pact. cl.* 4. *glos.* 9. *part.* 5. *n.* 129. *et seqq.*

to, verum etiam Dominis mediis uni, vel pluribus existentibus supra vendentem; secus vendenti inferioribus, propter juris repugnantiam: (*a*) ex quo fit, quod si immediatus domino directo vendit census, tunc Dominus directus integrum laudemium recipit.

In vend. sub cõdit. quando debet laudem.

Si sub conditione est concepta venditio; v. g. Si melior conditio allata non fuerit; usquequò conditio impleatur, laudemium nullum debetur; quia antequam conditio existat, nullus est contractus.

Si Dominus emit, seu usus fuit fatica penes se retinendo, non debetur ei laudemium, cum cessent omnes rationes, propter quas ipse recipit laudemium; quia ibi non est calamus, neque subscriptio, nec approbatio novi emphyteutæ, neque venditor inducit eum in possessionem, nec Dominus invitus recipit novum debitorem. (*b*)

Si Dominus emit nõ solvit laudem.

Licèt permutatio sit contractus onerosus, quia est species emptionis; (*c*) tamen non solvitur laudemium, sicut ex aliis contractibus onerosis; nam solum debetur Domino directo quarta pars justi valoris, seu rei æstimationis; sed in præsenti Civitate Barchinonæ, ejusque hortis, et vineto servatur clausula septimi, et quinti respectivè, de alodiis Ecclesiæ, et decimæ de alodiis Laicorum, pro ut in aliis onerosis contractibus. (*d*)

Quid de permutatione.

Quid de ipsa Barchinonæ. &c.

Ex donatione facta ad vitam alicui debetur laudemium, si ille cui donatum est vixerit ultra modicum tempus, et ad hoc ejus mors spectari debet,

Ex donat vitali debet. laud. et quãdo.

(*a*) Sols. *cell.* 6. *n.* 21.
(*b*) Peg. *in rep. cap. Item vers* 1. *n.* 113. *et* 118.
(*c*) Canc. *var.* 1. *cap.* 11. *n.* 76.
(*d*) Sols. *cell.* 8. *n.* 11. *cum seqq. ex edit. an.* 1576. *et tit.* Consuet. antiq. quæ olim fuit et nunc est. *n.* 12. *fol.* 16.

debet, ut certificetur, an vixerit per modicum, vel non modicum tempus. (*a*)

Quid de licen. luendi censum.

De licentia, aut facultate luendi censum, seu illius partem, non debetur laudemium tempore concessionis dictæ facultatis; sed in casu luitionis: Attamen, ex consuetudine, aliqui Domini Barchinonæ contendunt illud exigere tempore concessionis; licèt contrarium sentiat, acriterque defendat *Solsona*. (*b*) Et etiam quidam exigunt medietatem tempore facultatis, et reliquam medietatem tempore luitionis.

Quid pro charta precaria.

In Cathalonia pro carta precaria, seu renovatione investituræ, quam Dominus ob titulorum defectum facit emphyteutæ, solum dantur de consuetudine inconcussa Domino directo novem solidi jure calami. (*c*) Dominus non est obnoxius ad novam investituram faciendam, quin prius sibi præstentur laudemia ex alienationibus debita; nam per illam tituli renovationem videtur approbare præteritos contractus, et censetur per taciturnitatem remisisse laudemia.

Quid de recognitione emptionis.

Ex consuetudine hujus Cathaloniæ Principatus, de recognitione emptionis factæ pro alio, si fiat intra annum, laudemium non debetur; secus tamen, si post annum: Ratio diferentiæ est; quia in primo casu unus contractus judicatur, et creditur dicenti se nomine alterius emisse, et consequenter una emptio; in secundo verò duo, et sic duæ alienationes. (*d*)

Quid de re in dotem data.

Si res feudalis, vel emphyteuticaria datur in dotem æstimata, debetur laudemium; quia æstimatio facit fundum esse emptitium; nisi fieret, ut de valore

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 11. *n.* 79 *et* 83.
(*b*) Sols. *cell.* 9. *n* 31. *ex dicta edit.* 1576.
(*c*) Sols *cell.* 11. *n.* 1. *et* 2.
(*d*) Canc. *par* 1. *cap.* 11. *n.* 68.

lore rei apparéret reſtitutionis tempore, vel ut eſset in mulieris electione, an vellet rem, vel æſtimationem petere, ſoluto matrimonio. (*a*)

Si quis transigendo transfert rem feudalem, sive emphyteuticariam in alterum, debetur Domino laudemium; quia id facere nequit sine Domini conſenſu: Si verò retinet rem feudalem, sive emphyteuticariam, quam ante poſsidebat, dando aliquid adverſario, ſeu faciendo, non debetur laudemium; quia tunc tranſactio nullam importat translationem dominii, et sic sine Domini conſenſu permiſsa eſt. (*b*) Quid in tranſactione.

Ex locatione facta ad modicum tempus non debetur laudemium; ſecus si fieret ad longum tempus, cum locatio in tali caſu dicatur alienatio: In Civitate Barchinonæ, hortis, et vineto ejuſdem, ex quadam conſuetudine, longum tempus computatur ultra quinquennium: Extra tamen dictam Urbem, illiuſque hortos, et vinetum, in aliquibus locis, computatu r ultra decem annos. (*c*) Quid in locatione.

Ex divisione rerum, quæ commodè non poſsunt dividi, etiamsi interveniat pecunia, non debetur laudemium: Secus tamen si commodè dividi poſſunt, quia debetur de pecunia interveniente, cum in iſto caſu nulla neceſsitas; in illo verò omninò consideretur; et ultra, quia ſecundo caſu habetur inſtar emptionis, quod procedit de Jure Communi: In Civitate verò Barchinonæ licitum eſt quibuſcumque rem sibi à defuncto relictam dividere, quamvis inter- Quid in divisione

(*a*) Peg. *in rep. cap.* Item *vers.* 1. *n.* 81. *et* 109. Canc. *var.* 1. *cap.* 9. *n.* 122 *cum ſeqq.*

(*b*) Canc. *par* 1. *cap.* 11. *n.* 74.

(*c*) Sols. *præl.* 4. *n.* 27.

terveniat pecunia, sine metu solutionis laudemii. (*a*)

Quid de restit. rei fideicommis.

Ex restitutione facta per heredem gravatum in vita fideicommissarii debetur laudemium, non respectu hereditatis, sed considerata vita, quam vivere potest qui restituit, juxta dispositionem Legis *Computationi.* (*b*)

Quid in possess. pro tenuta.

Mulier non debet laudemium ex possessione, quam de mariti bonis capit pro conservanda tenuta; quia possidet pro creditis.

Laudemiũ usufructuario debetur.

Laudemium debet exsolvi usufructuario, et non proprietario, cum, licèt laudemium debeatur propter rem, sit tamen fructus ipsius dominii directi. (*c*)

Illud solvit proprietarius.

A proprietario est solvendum laudemium, et non ab usufructuario testamentario; quia cum unico actu fiat distractio proprietatis, et ususfructus, et laudemium debeatur ex proprietate alienata, cum sit onus reale; consentaneum est, ut potius debeatur à proprietario, utpote potiorem, et pinguiorem titulum habente, quam ab usufructuario, nisi alia sit consuetudo, quia tunc est ei standum.

Laudem debet. post tradit. rei.

Ut laudemium debeatur, subsequi debet realis, et actualis traditio, et sic, si res non fuit tradita, possunt partes resilire à contractu, et ab eo discedere sine metu solvendi laudemium. (*d*) Sed si, rei traditione sequuta, rescindant contractum; tunc debetur duplex laudemium, unum scilicet ex venditione, in quo fuit per venditorem translatum dominium emptori; et aliud ex resilitione, sive retractu, in qua emptor noviter transfert dominium venditori.

De-

(*a*) *Recognov. Proc. cap.* 70. Sols. *cell.* 1. *n.* 42.
(*b*) *Leg.* 68 *ff. ad leg. falc.*
(*c*) Font. *decis.* 205. *n.* 12.
(*d*) Canc. *par.* 1. *cap.* 12. *n.* 22.

Debetur laudemium tempore translationis rei alienatæ; quia contractus tunc recipit perfectionem, et non inſpici debet tempus celebrati contractus, ſed numeratæ pecuniæ, et rei traditionis; exempli gratia: Si vendidi tibi rem feudalem, ſive emphyteuticariam tempore, quo erat Dominus directus Titius, et ipſam rem non tradidi; poſtea ipſe Titius desiit eſse Dominus directus, et deinde ſucceſsit Cayus, quo tempore rem tradidi tibi emptori; debetur laudemium dicto Cayo, quia iſte invenitur Dominus directus tempore rei traditionis, et alienationis recipientis ſuam perfectionem. (*a*)

Debet. laud. tempore trãslat. rei.

Dominus nequit cogere partes, ut procedant ad realem traditionem rei feudalis, ſeu emphyteuticariæ; nam licèt contractus sit celebratus, sine Domini conſenſu, nullum ei ſequitur præjudicium, cum jus Domini non lædatur, niſi res feudalis, ſive emphyteutica novo adquisitori tradatur; quia tunc Dominus damno afficitur recipiendo novum emphyteutam propter mutationem perſonæ, et invitus recipit novum debitorem; quod eſt contra Jus Commune. (*b*)

Dominus nequit cogere ad trad. rei.

Notarius debet eſse cautus, ne in contractu venditionis in hac Civitate, hortis, et vineto partes conveniant, quod emptor exſolvat laudemium; quia tunc debetur Domino laudemium laudemii, et per tale pactum ipſum laudemium fit pars pretii. (*c*)

Barchinone cavendum eſt ſuper pactione ſolvẽdi laudemium.

Ex ſpeciali hypotheca, vel obligatione, quæ fit de rebus feudalibus, vel emphyteuticariis, si realiter, et de facto tradatur poſſeſsio, debetur laudemium Domino directo, quia tunc, cum sit ſpecies diſtractio-

Laudemiũ de ſpeciali hipotheca.

(*a*) Canc. *var.* 1. *cap.* 12. *n.* 79.
(*b*) Peg. *in rep. cap.* Item *vers* 1. *n.* 99.
(*c*) Sols. *cell.* 10. *n.* 44.

tionis, desideratur Domini consensus; nam quando aliquid prohibetur, omnia, per quæ venitur ad illud, prohibentur: Quod laudemium in feudis est vigesima pars quantitatis, pro qua res hipothecatur; in emphyteusi vero tertia pars quantitatis: Sed in Civitate Barchinonæ, ejusque hortis, et vineto aliud observatur; et cum rarò contingat de speciali hipothéca solvi laudemium, quia solet semper tradi possessio per clausulas fictas, seu simplicis constituti, quo casu nullum debetur laudemium, hic ommitto; et qui super hac materia scire peroptat, recurrere potest ad *Solsona.* (*a*)

Præscriptio laudemiim.

Laudemium præscribitur spatio triginta annorum, quæ præscriptio contra Dominum incipit currere à tempore, quo ipse laudemium sibi debére scivit, id est, quod feudum, sive emphyteusim in alium alienatum viderit: Sed contra fiscum in Cathalonia non præscribitur laudemium, nisi elapsis quadraginta annis, licet de dicto laudemio Fiscus non habuerit notitiam. (*b*)

In Cathalonia habèmus super laudemiis famosam *Constitutionem* 2. *tit de dret emphyteutich*, quam commentariis doctissimis illustrarunt *Peguera*, *et Vilaplana*, ad quos recurrere poteris, quoties de laudemio solvendo, aut non, occurrat dubium. Vide etiam *Solsona* in libro, quem inscripsit *Lucerna laudemiorum*: Cancer *var.* 1. *cap.* 11. *et* 12. Fontanella *decis.* 277. *et seqq. et decis.* 587. Socarrats *in consuetud. Cathal. cap. cautum est*, *quod si forte*; qui plura, tam de jure communi, quam municipali scripto, et consuetudinario in hac materia scripsére.

DI-

(*a*) Sols. *cell.* 8. *per tot.*
(*b*) *Cap.* 42. *curiar. anni* 1599. Canc. *var.* 1 *cap.* 12. *n.* 10. *cum seqq.*

Divisio Prædiorum Ecclesiasticorum

Divisio Laudem. Eccl. pro venditionib. Barc.

Computum laudemiorum de venditionibus per Cives, et Forenses factis de proprietatibus sitis in Civitate Barchinonæ, quæ tenentur per Ecclesiam, et sub ejus dominio, et alodio, aut per laicum succedentem Ecclesiæ.

SI Dominus alodialis est solus, recipit iste septimum, hoc est, duos solidos, decem denarios, et duas septimas partes denarii pro qualibet libra. 2 ſs. 10 $\frac{2}{7}$

Si adest unus Dominus medius, solum recipit alodialis tertium septimi, idest, undecim denarios, et tres septimas partes denarii. ſs. 11 $\frac{3}{7}$

Et medius decem, et octo denarios. 1 ſs. 6

Si duo sunt Domini medii, recipit alodialis idem, quod recipit, quando non est, nisi unus medius.

Medius immediatus alodiali sex denarios. ſs. 6

Et alius medius supra utilem existens unum solidum. 1 ſs.

Si tres sunt Domini medii, alodialis etiam recipit idem, quo supra.

Et quilibet mediorum, nulla habita differentia, sex denarios; et inter omnes sunt. 1 ſs. 6

NOTA Quod licet ut supra est dictum, septimum sint 2 ſs. 10 $\frac{2}{7}$, et tertium septimi sint ſs. 11 $\frac{3}{7}$. Attamen de consuetudine est, quod quando Dominus alodialis est solus, recipit dumtaxat duos solidos, et sex denarios, et si sunt Domini me-

dii, unus, vel plures recipit pro tertio dicti ſeptimi undecim denarios pro libra: quo verò ad Dominos medios nihil variatur.

Divisio Laudem. Eccl. de vendit. in hort., et vinet.

Computum Laudemiorum Ecclesiasticorum de venditionibus per Cives factis de proprietatibus rusticis sitis in Civitate Barchinonæ, hortis, et vineto, et Forenses de sitis intus Civitatem.

Si alodialis eſt ſolus, recipit iſte quintum; hoc eſt, quatuor ſolidos pro libra, 4 ſs.

Si adeſt unus medius, dumtaxat recipit alodialis tertium quinti, ideſt, ſexdecim denarios. 1 ſs. 4

Et Dominus medius decem et octo denarios. 1 ſs. 6

Si ſunt duo medii; alodialis etiam recipit tertium quinti.

Medius immediatus alodiali ſex denarios. ſs. 6

Et alter medius exiſtens ſupra utilem unum ſolidum. 1 ſs.

Si ſunt tres Domini medii, alodialis recipit idem, ut ſupra, videlicet, ſexdecim denarios.

Et unuſquiſque mediorum ſex denarios, insimul. 1 ſs. 6

Divisio Laudem. Eccl. pro ſtabilim.

Computum Laudemiorum Ecclesiaſticorum de intrata ſtabilimentorum per Cives factorum de proprietatibus, sive urbanis, sive ruſticis sitis in Civitate Barc., hortis, et vineto, et Forenses de sitis intus Civitatem.

Si alodialis eſt ſolus, recipit quartum, ideſt, quinque ſolidos per libra. 5 ſs.

Si

Si existit unus medius, solum recipit alodialis quartum quarti, hoc est, quindecim denarios. 1 ſs. 3

Et medius decem et octo denarios. 1 ſs. 6

Si sunt duo Domini medii, alodialis sicsimiliter recipit quartum quarti, hoc est, quindecim denarios.

Medius alodiali immediatus sex denarios. ſs. 6

Et alius medius supra utilem existens unum solidum. 1 ſs.

Si sunt tres medii, Dominus alodialis recipit ut supra, videlicet, quindecim denarios.

Et unusquisque mediorum sex denarios, insimul. 1 ſs. 6

Collige ex his utilius esse vendenti, seu stabilienti, quod in prædiis Ecclesiæ, ultra Dominum alodialem, existat aliquis Dominus medius; nam in hoc casu solum solvere debet de laudemio pro clausula septimi 2 ſs. 5; pro clausula quinti 2 ſs. 10; et pro quarta parte stabilimenti 2 ſs. 9, modo præexpresso inter dictos Dominos respectivè dividendos: Sicque 5 ds., et pars denarii clausulæ septimi; 1 ſs. 2 ds. quinti; et 2 ſs. 3 ds. quarti cedunt in favorem vendentis, ac stabilientis (ad quorum onus, juxta Sententiam Arbitralem superius insertam, in Civitate Barchinonæ, hortis, et vineto laudemii solutio venit): Si verò alodialis est solus, tunc recipit integrum septimum, quintum, et quartum respectivè.

Divisio Prædiorum Laicorum.

Divisio Laudem. Laicor.

Computum Laudemiorum de venditionibus, et ſtabilimentis, tam per Cives, quam Forenſes factis de proprietatibus, ſive urbanis, ſive ruſticis, quæ ſunt de alodio Laicali ſitis in Civitate Barchinonæ, hortis, et vineto ejuſdem.

SI Dominus alodialis eſt ſolus, recipit iſte decimum; hoc eſt, duos ſolidos pro libra. 2 ſs.

Si adeſt unus Dominus medius, ſolum recipit alodialis quartum decimi, ideſt, ſex denarios. ſs. 6

Et medius decem et octo denarios. 1 ſs. 6

Si ſunt duo Domini medii, recipit alodialis idem, quod quando non eſt, niſi unus medius, videlicet, ſex denarios.

Medius immediatus alodiali ſex denarios. ſs. 6

Et alius medius, ſupra utilem exiſtens, unum ſoldum. 1 ſs.

Si tres ſunt Domini medii, alodialis recipit idem; ſcilicet, ſex denarios.

Et quilibet mediorum, nulla habita differentia, ſex denarios; qui inter omnes ſunt. 1 ſs. 6

De

De Fatica.

CUM Dominus directus, tam de Jure Communi, quam Municipali in re feudali, sive emphyteutica, quæ per eum tenetur, habeat jus retinendi, seu prælationis, quod Fatica *vulgò appellatur, hìc ordo postulat, ut de Faticis tractetur.*

FAtica est: *Jus prælationis, seu retinendi rem feudalem, sive emphyteuticam alienatam pro eodem pretio, Domino directo competens.* Quid est Fatica.

Duplex est Fatica: *Legalis*, scilicet; et *Conventionalis*. Fatica *Legalis* est, quæ competit ex lege: *Conventionalis* verò est, quæ venit ex pacto, vel conditione inter partes inita; nimirum, quando quis vendit aliquem rem immobilem, cum pacto, quod infra certum tempus, aut quando voluerit vendens, possit rem venditam recuperare, vel quando inter partes conventum est in instrumento gratiæ, quod si vendatur jus luendi, emptor omnibus præferatur; de qua Fatica hìc non agimus, sed de *Legali*. Quotuplex

Si solus est Dominus directus, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, ei competit fatica, seu jus prælationis, tam ad proprium, quam ad alterius usum, scilicet, illam alteri concedendo, ut exprimitur in Sententia Arbitrali supra inserta, vers: *Declarantes nihilominus*; nam cum utile dominium, quod habet emphyteuta à dominio directo superioris voluntate separatur; æquum est, ut Dominus faticam adquirat, et præferatur aliis quibuscumque; (*a*) et casu quo penes se rem retineat, consolidetur utile dominium cum directo, Cui competit in Civ. Bar. ac in hortis, et vineto, si unus tantum est Dons.

(*a*) Sols. *quæst.* 3. *n.* 18. *et* 14.

directo, cum res ad ſuam primævam formam redeat. (*a*)

Si duo ſunt Domini.

Si verò ſunt duo Domini, videlicet, unus directus, et alter medius; tum iſte poteſt uti fatica ad proprium uſum dumtaxat, ideſt, ad opus retinendi, et non alteri concedendo; et nequit à Domino directo reprobari pro emphyteuta; nam qui ſemel admiſſus eſt, amplius reprobari non valet. (*b*) Sed si dictus Dominus medius non usus fuerit fatica, tunc directus poteſt alteri concedendo, non tamen pro ſe retinendo, ad evitandum juris impoſsibilitatem, nempè, quod una, et eadem perſona sit ſub ipſa re ſuperior, et inferior, ſeu Dominus, et Vaſsallus, vel Dominus, et Emphyteuta, quod nullo modo fieri poteſt; quia illud arte non permittitur, quod naturaliter denegatur, vel, quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt. (*c*)

Si ſunt tres vel quatuor Doñi.

Si autem ſunt tres, vel quatuor Domini, videlicet, unus directus, cæterique medii; tunc Dominus medius infimus exiſtens immediatus emphyteutæ alienanti, poteſt uti fatica ſolum ad opus retinendi, et debet præferri omnibus aliis; quia de natura, et qualitate rei feudalis, vel emphyteuticariæ, ut diximus, eſt quod res per jus retinendi, ſeu redimendi redeat ad ſuam naturam primævam: (*d*) Sed si ipſe Dominus medius non uſus fuerit fatica; tunc alodialis, ſeu directus poteſt rem alteri, cui placuerit, concedere ratione faticæ, non obſtante, quod allii Domini sint infra ſe; quia ipsi non poſsunt uti fatica penes ſe retinendo, ratione impoſsibilitatis, abſurditatis, et cauſa evitandi circulum, sive circuitum,

de

(*a*) Sols. *quæſt.* 3. *n.* 20. *et* 23.
(*b*) Sols. *quæſt.* 4. *n.* 6. *et* 12.
(*c*) Sols. *d. quæſt.* 4. *n.* 6. *cum ſeqq.*
(*d*) Sols. *d. q.* 4. *n.* 4. *cum ſeqq.*

de quo supra, nec possunt alteri concedere; quia hoc jus reservatur superiori, à quo omnes causam habent; Quæ omnia probantur per usantias, seu consuetudines scriptas Barchinone, quæ sunt *in volum. 2. Const. Cathal.* post dictam Sententiam Arbitralem.

In stabilimentis, et subemphyteuticationibus observatur, quod Domini medii existentes infra directum, seu alodialem, et supra stabilientem nequeunt uti fatica, ne sequatur illa juris impossibilitas, circulus, sive circuitus jam dicti, nec illam possunt alteri cedere; nam hoc est reservatum Domino directo, qui licèt non possit uti ad proprium usum, eadem de causa, ne fieret dicta absurditas; habet tamen jus faticandi rem alteri cedendo, vel concedendo. (*a*)

Quid in stabilim. servand.

De Jure Cathaloniæ Dominus uti potest fatica intra triginta dies, licèt de Jur. Comm. Domino directo concedantur duo menses; (*b*) est expressum in Sententia Arbitrali supra inserta, ibi: *Nisi prius data fatica triginta dierum, infra quos sit licitum retinere*; Et dicti triginta dies incipiunt currere à tempore notitiæ, seu scientiæ Domini per præsentationem instrumenti alienationis, et non à die, qua scivit contractum alienationis esse celebratum; quia ante non novit pacta, et conventiones factas in instrumento, et an ipsi Domino sint salva jura omnia dominicalia, vel ei expediat faticare: et ultra; quia ante præsentationem, seu oblationem instrumenti possunt contrahentes, invito Domino, de communi consensu resilire à contractu, et ab eo retrocedere, re tamen integra existente, sine metu solvendi laudemium, aut pœnam incurrendi. (*c*)

Intra quod tempus fatica competit.

(*a*) Sols. *quæst.* 4 *n.* 17.

(*b*) *Leg. fin. cod. de jur. emph. cap. fin. de locat. et conduc. Const. Cath.* Item ne super laud. *quæ est 2. tit. de dret emph.*

(*c*) Canc. *part.* 1. *cap.* 11. *n.* 58.

NOTA. Si Dominus usus fuit fatica, tenetur intra triginta dies pretium exsolvere, aut illud deponere, una cum expensis. (*a*)

In quibus contractibus habet locum fatica.

Habet locum fatica in omnibus alienationibus, in quibus potest Dominus dare, vel facere sine incommodo emphyteutæ, seu vasalli, illud, quod per alium, in quem est facienda translatio utilis dominii, dandum, sive faciendum est; ut in venditione rei feudalis, sive emphyteuticariæ; in emphyteusim, concessionibus; in transactionibus, si res datur ex causa transactionis, accepta pecunia numerata, et non è contra; et demum in contractibus innominatis, si res debeat dari pro certa pecunia. (*b*)

In quibus esset.

Locum verò non habet fatica in illis contractibus, in quibus Dominus non potest dare, vel facere sine incommodo vasalli, seu emphyteutæ illud quod per alium, in quem est facienda translatio utilis dominii, dandum, vel faciendum est; ut in permutatione, divisione, donatione, et similibus. (*c*)

Quibus casibus Dominus fatica privatur.

Privatur autem Dominus fatica in terdecim casibus: 1. Si consensum suum tacitum, vel expressum alienationi rei emphyteuticariæ præstiterit: 2. Si ab emphyteuta laudemium petierit; nam tacitè videtur contractum approbare, et novum emphyteutam admittere; ac per consequens faticæ renuntiare: 3. Si ab emphyteuta laudemium ob alienationem debitum acceperit, ratione supradicta: 4. Si paciscatur de laudemio sibi solvendo pro alienatione facta, vel facienda; quia etiam tacitè videtur contractum approbare, vel approbaturum esse: 5. Si fides sit habita de laudemio; quia visus est faticæ renuntiare: 6. Si Dominus intervenerit in venditione, et una cum ven-

(*a*) Mieres *super Const.* Item ne super laud. *n.* 49. *par.* 1.
(*b*) Sols. *quæst.* 3. *n.* 28. *et* 29.
(*c*) Canc. *part.* 1. *cap.* 11. *n.* 49.

venditore illam convenerit; quia per talem actum demonstrat nolle uti fatica, et renuntiare: 7. Si pro vendente promiserit teneri de evictione, ratione proximè dicta; quod intelligi debet in illis locis, ubi dies ad utendum fatica incipiunt currere à die notitiæ, et non præsentationis instrumenti, pro ut est in Civitate Barchinonæ, et in hortis, ac vineto ejusdem; Displicet tamen hæc differentia, cum sit verum, quod tam in uno, quam in alio casu militat eadem ratio; nam Dominus facit eumdem actum juri suo contrarium, et ubi est eadem ratio, est eadem juris dispositio; Quid igitur interest, ut dies triginta incipiant currere à die notitiæ contractus, vel præsentationis instrumenti, cum Dominus priori casu alienationi conventæ, secundo verò consummatæ intervenerit? 8. Si emphyteuta facit venditionem cum pacto, si Dominus laudaverit, vel ejus consensus venditioni accesserit; ratio, quia tali in casu venditio est imperfecta, et de venditione imperfecta non debetur fatica, et perfectio confertur in Domini personam; et sic, si laudat, et consentit, renuntiat faticæ, et propterea, sive laudet, sive non, privatur fatica; quod pactum rejicitur à *Solsona* (*a*), quia est cautela nimis periculosa, et valde suspecta de fraude, cum per eam excludatur Dominus à jure sibi debito, et sequeretur rem emphyteuticam alienari, et Dominum fatica carére absque culpa, nec facto: 9. Si alienatio fuerit Domino denuntiata, et ipse à novo acquisitore census acceperit; nam per scientiam, et patientiam inducitur consensus: 10. Si Dominus emphyteutam ad capibreviandum vocaverit, et mandatum illi præsentatum fuerit; quia ex eo videtur novum emphyteutam approbasse, ac per consequens juri suo renuntiasse: 11. Si rem quæ sub ejus dominio

(*a*) Sols. *quæst.* 3. *n.* 49. *fol.* 104. *ex edit.* 1576.

tenetur, permiſerit ſubhaſtari, et in licitatione ejuſdem haſtam fiſcalem alteri liberari; quia ſcientia cum taciturnitate, et sine contradictione inducit, ſeu operatur conſenſum: 12. Si intra triginta dies, qui conceduntur ad deliberandum, an velit, vel nolit uti fatica, poſt inſtrumenti præſentationem, non exſolverit pretium, nec illud depoſuerit: (*a*) 13. Si laudaverit contractum, in quo adeſt fatica conventionalis, nempè, quod emptor præferatur cuilibet in jure luendi; quod ſtabiliens habeat faticam ad opus retinendi, quod evenit, quando imponitur cenſus in nuda perceptione; quia in utroque caſu videtur Dominum renuntiaſſe juri ſuo, ideſt faticæ; niſi proteſtatus fuerit nolle contractum cum dictis pactis approbare; quia tunc per proteſtationem non sibi præjudicaretur, cum non sit ſuus animus approbare alienationes cum talibus pactis: De similibus, ac aliis vide *Solsona.* (*b*)

NOTA. Tam in Civitate Barchinonæ, quam in ejus hortis, et vineto Domini nequeunt uti fatica, nec penes se retinendo, nec alteri concedendo, ante oblationem, ſeu præſentationem inſtrumenti. (*c*)

NOTA. Si plures sint Domini directi alodiales in re, ideſt, quod communiter, et pro indiviſo rem possideant per partes æquales, vel inæquales (quo casu omnes non formant nisi unum corpus, et omnes loco unius, et pro uno reputantur) et duo concedunt faticam uni, et alius Dominus ſolus alteri; potior erit ille, cui per duos fatica conceſsa fuit; nam major pars minori prævalet, nisi ille solus velit uti fatica ad proprium uſum. (*d*)

NOTA.

(*a*) Mieres *ſuper d. Conſt.* Item ne ſuper laud. *d. n.* 49.
(*b*) Sols. *quæſt.* 3. *paſſ. per tot.*
(*c*) *Recognov. Procer. cap.* 80.
(*d*) Canc. *par.* 1. *cap.* 11. *n.* 57.

NOTA Quando quis unica emptione, et unico pretio emit plures res, quæ sunt de diverso alodio; Dominus unius rei nequit penes se retinére rem, quæ ab eo tenetur, nec alteri jure faticæ concedere; nam non est præsumendum, quod emptor emeret totum, ut habéret tantum partem; nec etiam æquum esset, quod unus Dominus uteretur fatica retinendo partem meliorem, et emptori prædium minus utile remanéret, cum sæpe sæpius aliquis emat inutile prædium ut utile, cui est annexum, habeat: Sed si omnes Domini volunt uti fatica, quilibet, nempe de re quæ pro eo tenetur, ita ut inter illos concordent de pretio, et illud integrum emptori restituant; nullum est dubium, quod possunt. (*a*)

NOTA. Post præsentationem instrumenti partes non possunt resilire â contractu, sine metu solutionis laudemii, et periculo faticæ; quia res desinit esse integra, et jam jus est quæsitum Domino in laudemio et fatica, sive jure retinendi.

Plura de hoc Jure Prælationis, sive *Faticæ*, et præsertim juxta jus nostrum municipale vide *apud* Canc. *var.* 1. *cap.* 11. *à n.* 45. Peguera, *et* Vilaplana *in repet. cap.* Item ne super laud. *vers.* 6. Socarrats *in consuet. Cathal.* Solsona. *quæst.* 3. *et* 4.

De

(*a*) Canc. *d. par.* 1. *cap.* 11. *n.* 57

De Amortisatione.

CUM, quandocumque res feudalis, vel emphyteuticaria ad Ecclesiam, vel ad aliam manum mortuam pervenerit, et ista de consensu Domini eam retinuerit, compensentur laudemia per medium amortisationis, ne jus lædatur; nonnulla de ea necessè dicenda sunt.

Amortisatio quid sit.

EST igitur Amortisatio: *Directi, vel feudalis dominii rei immobilis in manum mortuam translatæ, justa interveniente compensatione, legitimè factæ suspensio*; nam amortisatio inventa fuit, ne Domini destituantur suis laudemiis, quæ aliàs si res apud privatorum manum remaneret (quæ sæpe mutatur) recepturi erant; et sic compensantur per medium amortisationis, quæ cedit in locum laudemiorum.

Qui deb. amortisare.

Debet amortisare manus mortua, quando rem immobilem, quæ sub dominio, et alodio alicujus Personæ tenetur, acquirit; quæ manus mortuæ sunt Ecclesia, Monasterium, Beneficium, Confraternitas, Manumisoria, Civitas, Universitas, Collegium, et similia, quæ alienare nequeunt. (*a*)

Quid est manus mortua.

Manus mortua est illa, quæ de rebus suis liberam, et spontaneam facultatem disponendi caret, nisi cum superioris licentia, ac facultate.

Quæ res debent amortis.

Amortisari debent omnes res immobiles, quæ ad manum mortuam pervenerunt, et sub dominio alicujus

(*a*) Cortiada *tom.* 5. *decis.* 284. *n.* 2.

cujus personæ tenentur ; non autem mobiles; quia super re mobili non permittitur dominium directum, ac per consequens nec amortisatio : Item etiam amortisatur census, sive annuus redditus, si irredimibilis sit, et ad manum mortuam devenerit ; secus si sit redimibilis: Ratio differentiæ est, quia hoc casu remanet alienabilis, cum sit redimibilis: hinc est, quod ille sine magna difficultate ad alium transferri non valet, ideo amortisari debet, ut compensentur laudemia Domino exsolvenda, ac si in manu habili, et capaci res permanéret. (*a*)

Intra quod tempus est amortisandum.

Debet amortisari intra unum annum computandum à die acquisitionis rei, præcedente tamen Domini consensu : aliàs ad manum habilem, et capacem transportari debet post annum. (*b*)

Quomodo est facienda amortisatio.

Quo ad modum faciendæ amortisationis, adverte: quod si res parvi valoris sit (quo casu frequentius vendi solet) illud, quod pro laudemio ex justo pretio debetur, dividitur in triginta partes, et augetur annuus census in unam ex illis partibus : Si vero res sit magni valoris (quo casu tardius vendi accidit) tunc illud, quod pro laudemio debetur, dividitur in quadraginta partes, et augetur census pro quolibet anno, modo præexpresso. (*c*)

Amortisationis effectus.

Effectus amortisationis est : Quod dummodo res amortisata penes manum mortuam permanet, suspensum est dominium directum, ejusque vires : sed si ad manum habilem transfertur, seu revertitur, tunc reviviscit dictum dominium, et recuperat Dominus laudemia, et alia jura, cum cessent omnes rationes, per quas Dominus illis erat privatus.

NOTA.

(*a*) Comes. *Art. Not. cap.* 20. §. 10. *n.* 14. *et seqq.*
(*b*) *d. Const.* Item ne super laud. Canc. *var.* 1. *cap.* 11. *n.* 61.
(*c*) Comes *Art. Not. d. cap.* 20. §. 10. *n.* 21. *cum seqq.*

NOTA. Si res emphyteutica manui mortuæ venditur instrumento gratiæ redimendi, non tenetur manus amortisare; nam in tali casu non dicitur acquisivisse dominium irrevocabiliter, sed revocabiliter, ac temporaliter, cum ubi per venditorem pretium restituatur, manus mortua teneatur illi revenditionem firmare, ac per consequens Domino directo in laudemiorum perceptione nullum sequitur præjudicium. (*a*)

NOTA. Quando res emphyteutica transit de manu mortua ad manum mortuam, sive titulo oneroso, sive lucrativo, non tenetur ista denuò amortisare; nam Domino directo nullum fit præjudicium, cum nec natura, nec qualitas rei alienatæ, aut personæ acquirentis immutetur. (*b*) Et aliqui adhærentes huic rationi dicunt in isto casu, nec debere laudemium solvi; quia assiduè videtur Dominum esse compensatum; sed hoc obtinéret roboris firmitatem, si compensatio etiam foret tam pro alienationibus faciendis, quam pro illis quæ actu fiunt; cæterum illa tantum cedit pro faciendis, et non pro eis quæ in intermedio, et actu fiunt.

NOTA. Extra Civitatem Barchinonæ, et hortos, ac vinetum ejusdem, si res feudalis, seu emphyteutica pervenit ad aliquam manum mortuam ex titulo oneroso, solent solvi duo laudemia; unum pro amortisatione; et aliud pro acquisitione, ut attestatur *Ripoll*; (*c*) sed de praxi dubito.

NOTA. Si res feudalis, seu emphyteutica ad manum mortuam pervenit pro fundatione, constructione, reparatione, aut ampliatione Ecclesiarum

---

(*a*) Comes *Art. Not. eod. cap.* 20. §. 10. *n.* 10.
(*b*) Comes *Art. Not. d. cap.* 20. §. 10. *n.* 12.
(*c*) Ripoll *Var. cap.* 7. *n.* 143.

tum, seu Monasteriorum, cogi nequit ista ad transferendum illam ad manum habilem, et capacem, nec ad amortisandum; (a) quod fit, vel ex privilegio Ecclesiæ, vel quia ex quadam necessitate censetur ad eam pervenisse.

NOTA. Dominus, lapso anno, ab Ecclesia annuam pensionem recipiens, censetur laudare, et approbare acquisitionem, et sic remittere jus quod habebat ad obligandum manum mortuam, ut res ad manum capacem transferat; et dumtaxat potest cogere Ecclesiam, ut amortiset; nam jus superioritatis non præscribitur, licèt habilitas possidendi quadraginta annorum spacio præscribatur.

NOTA. Dominus directus acquisitionis instrumentum dominii ratione firmans cogere nequit manum mortuam, ut rem deponat, et transferat ad manum habilem, cum per talem subscriptionem censeatur approbasse totum id, quod continet scriptura; quia subscribens dicitur ratificare, et confirmare instrumentum illud, quod subscripsit; et ideo videtur renuntiasse juri ei competenti ad agendum, ut res ad manum habilem, et capacem transferatur.

Multa alia super hac materia accommodari possent; sed cum pro documento nostro videantur prædicta sufficere, ideo supersedeo: Si quis autem erudiri amplius cupiat, adeat Pech. *Tract. de Amortisat.* et alios AA., qui ex professo de hoc agunt.

Z

(a) Cortiad. *decis.* 284. *n.* 25. *et* 38.

LAUS DEO.

INDEX

OMNIUM CAPITUM, TITULORUM, AC §§. in hoc Opere contentorum.

TIT. I. De partibus Artis Notariæ. 11.
Tit. II. De Jure, & ſpeciebus Perſonarum. 17.
Tit. III. De Perſonis, quæ poſſunt contrahere, vel non. 22.
Tit. IV. De quibusdam Perſonis, quæ contrahere non poſſunt, ratione ſubjectionis. 26.
Tit. V. De aliis Perſonis, quæ ob defectum, vel delictum non poſsunt contrahere. 30.
Tit. VI. De rebus, quæ in contractu venire poſsunt, vel non. 32.
Tit. VII. De Obligationibus, & earum diviſione. 36.
Tit. VIII. De Hypotheca, & Pignore. 39.
Tit. IX. De Stipulationibus, ſive verborum obligation. 41.
Tit. X. De Fidejuſoribus. 43.
Tit. XI. De Actionibus. 45.
Tit. XII. De Pactis, & eorum divisionibus. 47.
Tit. XIII. De Pœnis. 52.
Tit. XIV. De Inſtrumentis. 53.
Tit. XV. De Renuntiationibus, & beneficiorum declarationibus. 57.

PRIMA PARS

DE CONTRACTIBUS.

CAPUT I.

De Emptione, & Venditione.

Tit. I. De Emptione, & Venditione. 77.
§. I. De Servitutibus. 85.
§. II. De Censualibus. 92.
§. III. De Arris. 94.
§. IV. De Poſſeſsione. 96.
§. V. De Evictione. 99.
Tit. II. De Permutatione. 101.
Tit. III. De Inſolutumdatione. 103.
Tit. IV. De Donatione. 105.
Tit. V. De Feudo. 112.
Tit. VI. De Emphyteusi. 116.

CAPUT II.

De Dotibus.

Tit. I. De Dote. 122.
§. Unic. De Augmento dotis. 127.
Tit. II. De Donatione propter nuptias. ibid.
Tit. III. De Sponſalitia Largitate. 130.
Tit. IV. De Sponſalibus. 132.
Tit. V. De Matrimonio. 135.

CA-

INDEX.

CAPUT III.

De Debitis, & Creditis.

Tit. I. De Mutuo. 139.
Tit. II. De Commodato. 142.
Tit. III. De Precario. 147.
Tit. IV. De Depoſito. 148.
Tit. V. De Delegatione. 153.

CAPUT IV.

De Cessionibus.

Tit. I. De Cessione. 155.
Tit. II. De Tranſactione. 157.
Tit. III. De Pacto de non petendo. 161.
Tit. IV. De Acceptilatione. 762.
Tit. V. De Aquiliana Stipulatione. 164.
Tit. VI. De Solutione. 165.

CAPUT V.

De Locatione &c.

Tit. Unic. De Locatione, & Conductione. 168.

CAPUT VI.

De Compromiſsis.

Tit. I. De Compromiſso. 175.
Tit. II. De Pace. 177.
Tit. III. De Societate. 179.
Tit. IV. De Divisione. 183.

CAPUT VII.

De Adoptione, &c.

Tit. I. De Adoptione, & Arrogatione. 186.
Tit. II. De Emancipatione. 190.
Tit. III. De Procuratione. 193.

SECUNDA PARS.

DE ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

CAPUT I.

De Teſtamentis.

Tit. I. De Teſtamentis. 199.
Tit. II. De Manumiſsoribus. 212.
Tit. III. De Legatis. 216.
§. Unic. De Falcidia. 222.
Tit. IV. De Exheredatione et præteritione. 224.
Tit. V. De heredibus inſtituendis. 227.
Tit. VI. De Heredum qualitate, et differentia. 234.
Tit. VII. De Subſtitutionibus. 237.
§. I. De Vulgari. 239.
§. II. De Pupillari 242.
§. III. De Exemplari. 249.
§. IV. De Breviloqua, seu Reciproca. 253.
§. V. De Compendioſa. 254.
Tit. VIII. De Fideicommiſsis, et ſubſtitutione fideicommiſsaria. 257.
§. Unic. De Quarta Trebellianica. 260.
Tit. IX. De Tutoribus. 264.
§. I. De Legitima agnatorum tutela. 269.
§. II. De Tutela Dativa. ibid.
Tit. X. De Curatoribus. 275.
Tit. XI. De Inventario. 281.

Tit.

INDEX.

Tit. XII. De Aditione, et Repudiatione. 285.
Appendix de Succesionibus ab intestato. 288.

CAPUT II.
De Codicillis.
Tit. Unic. 292.

CAPUT. III.
De Donatione causa mortis.
Tit. Unic. 296.

TERTIA PARS.

CAP. Unic. *De Judiciis.* 301.

TRACTATUS

De Laudemiis. 324.
De Fatica. 351.
De Amortisatione. 358.

Cidade S. Sebastião

B/7139